25
6
41
BIBLIOTECA NAZIONALE
CENTRALE • FIRENZE •

25. 6. 41.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

MISCELLANEORUM
EX MSS. LIBRIS
BIBLIOTHECÆ
COLLEGII ROMANI
SOCIETATIS JESU
TOMUS PRIMUS

ROMÆ MDCCLIV.

APUD FRATRES PALEARINOS

PRÆSIDUM FACULTATE.

Proſtant in Bibliopolio Palladis in Platea vulgo di Paſquino.

Digitized by Google

23. 6. 41

Digitized by Google

CLARORUM VIRORUM
THEODORI PRODROMI
DANTIS ALIGHIERJ. FRANC. PETRARCHÆ
GALEACII VICECOMITIS
ANT. DE TARTONA. COLUCII SALUTATI
LEONARDI ARETINI. CAROLI ARETINI. PORCELLI
JO: MANZINI DE MOTTA
ET
JACOBI SADOLETI
EPISTOLAE
EX CODD. MSS.
BIBLIOTHECÆ COLLEGII ROMANI S. J.
NUNC PRIMUM VULGATÆ





ROMÆ MDCCLIV.

EX TYPOGRAPHIA PALLADIS
SUMTIBUS NICOLAI. ET MARCI PALEARINI
PRÆSIDUM FACULTATE.

Digitized by Google

BENEDICTO XIV.

PONT. OPT. MAX.

NICOLAUS ET MARCUS PALEARINI

FELICITATEM.

QUÆ duo maxime ad litterarum gloriam amplificandam pertinere videbantur, ut optima præſtantiſſimorum hominum opera proferrentur in lucem, deinde ea

ut quam politiſſimis formis excuderentur, ut lectorum utilitati comoditas eſſet adiuncta, honoſque iis libris qui fieri poſſet maximus haberetur; ea ſi dicamus initio nobis fuiſſe propoſita, cum edendorum librorum officinam aperuimus, non veremur, ne aut aperti mendacii, aut glorioſæ nimium prædicationis, publico quaſi teſtimonio convincamur. Etenim qualia Scriptorum opera ſint hactenus a nobis repræſentata, ideſt præclariſſima, fructuoſiſſimaque omnibus, & ſapientum virorum communi conſenſu celebrata, illa in primis declarant quæ SANCTITATIS TUÆ XII. *voluminibus vulgavimus; deinde aliorum hujus Urbis doctiſſimorum, præſtantiſſimorumque virorum; quamque id nitide, atque eleganter, & emendate fecerimus, etſi malumus in aliorum judicio ponere, quam ſermone ipſi noſtro explicare; illud tamen gloriari poſſumus, per nos eſſe factum, ut nihil externarum regionum formis invideremus. Quod quidem eo majori animo aggreſſi ſumus, quod tanta cura, tantiſque impenſis non dubitavimus aſſecuturos, ut SANCTITATIS TUÆ quæ optimorum artium patronum ſe & vindicem, Leonis illius X. & ceterorum præſtantiſſimorum Pontificum exemplo,*

pro-

profitetur, patrocinium demereremur: quo quidem ſperabamus factum iri poteſtatem nobis, ut majora in dies atque ad Urbis & litterarum gloriam præſtantiora moliremur. Et nunc quidem eſt, quo a propoſito illo nequaquam nos diſcedere probaturi ſumus. Cum enim inveniſſemus qui Bibliothecæ Collegii Romani opuſcula quædam collegiſſet, quæ hactenus in paucorum manus pervenerant, aut nunquam fuerant educta in lucem, illorum edendorum curam lubentes in nos recepimus, nihil ut excellentium hominum aliquando deperiret, aut non quamprimum communi omnium commodo utilitatique efferretur. Atque inſtituto operi huic, præcipuo quodam jure, SANCTITATIS TUÆ præſidium depoſcere nunc videmur. Nam præterquamquod malunt hoc illi ad quos ea pertinent, & qui horum colligendorum curam ſuſcepit, impellitque argumentum ipſum quale tomi hujus magna parte continetur, Pontificum videlicet Romanorum nomine litteræ ſcriptæ, & Bononienſis hiſtoriæ particula quædam epiſtolis aliis nonnullis incluſa; ipſa operis ratio efflagitat, ut SANCTITAS TUA auctoritate illud ſua & beneficentiſſimo in litteras animo, ſtudioque tuea-

 tur.

tur. Nunc enim primùm ex longo intervallo; Romæ ubi Bibliothecarum multitudo tanta, tam præclara Mss. Codd. ſupellex, iſta breviorum quorumdam omnis generis colligendorum monimentorum cura repeti videtur; ut acceſſurum ſit hoc quoque felicitati eorum temporum, quibus cùm Reipublicæ Chriſtianæ univerſæ praees, tùm vero Romanam Urbem ſapientiſſimis legibus inſtitutiſque gubernas, ut Bibliothecæ quæ in urbe eſt reconditæ nunc tandem opes efferantur atque evulgentur. Quod ſi impetramus, aut ſi operam curamque noſtram non ingratam SANCTITATI TUÆ accidiſſe videbimus, ſperamus id magis magiſque curaturos in dies, ut nec litterariæ Reipublicæ inutilem, nec Urbi huic indecoram probare poſſimus.

PETRUS LAZERI SOC. JESU

LECTORI.

NIHIL *nunc quidem fieri frequentius videmus, quam ut clarorum Virorum ſcripta, quæ in tenebris diu jacuerant, in lucem hominum efferantur; non ſine gravi multorum querela, ea ſæpius evulgari, quæ nulla bonarum artium, nulla litterarum jactura celari facile potuiſſent, & ſi id fieret, hominum etiam illorum quorum nomine proferuntur famæ melius conſuleretur. Verendum ergo mihi eſt, ne dum novam hujuſmodi opuſculorum collectionem inſtituo, ætatis veluti genio indulgere, & morem hominum ſequi magis videar, quam Reipublicæ & diſciplinarum utilitatem; præſertim cum ex una, eaque non ſatis magni nominis bibliotheca educantur. Dicam quod res eſt, & conſilium hoc meum, quale ſit, unde natum ſuſceptumque fuerit, cum lectoribus communicabo. Cum antiquorum ſcriptorum aut recentiorum opera a doctiſſimis viris edita atque recognita in manus aliquando ſumerem, & ſimul Bibliothecæ hujus noſtræ codd. mss. ſubſecivis præſertim horis evolverem, vidi noſtra hæc præteriiſſe diligentiſſimos illos viros; quæ ſi vidiſſent, potuiſſent ab iſtis in reſtituendis ſcriptorum locis adjuvari. Conjecturam faciebam ex S. Cypriani operibus, quæ cum probatiſſimis codd. Beneventano præſertim antiquiſ-*

ſimo collata habemus a Cardinali S. Crucis, qui poſtea Pontificatum adeptus Marcellus II. dictus eſt; ex Codd. antiquiſſimis S. Io. Chryſoſtomi Cardinali Ptolemæo dono olim datis, in quibus commodior aliquando lectio extat, quam quæ in editis recentiſſimis curis exhibetur; ex Mureti, Sadoleti ſcriptis, aliiſque id genus plurimis, quæ ἀνέκδοτα repræſentari facile, cum recens illorum ſcriptorum opera edita ſunt, potuiſſent. Quid ergo hæc diutius paterer occultari, & non in publicam hominum lucem utilitatemque prodire? Nam ad id tempus reſervare, dum iterum eorum auctorum libri recognoſcantur atque edantur, longioris erit temporis, & fortaſſe majoris operæ, quam ut id perficiendi occupatiſſimis hominibus noſtris facultas aut otium detur. Id ergo cum cogitarem, primum varias ipſas lectiones antiquorum Scriptorum ex hujuſmodi codicibus noſtris vulgare decreveram, & ceterorum ſupplementa quædam, ſiqua luce digna viderentur. Hoc aggrediendi operis initium fuit: quod poſtea dies ipſa (ſunt enim meliores curæ poſteriores prioribus) atque amicorum conſilium aliquantum immutavit, ſive etiam expolivit. Cum enim otium nactus aliquod, diligentius forulos noſtros excuſſiſſem, inveniſſemque alia præterea complura nondum adepta hominum lucem, viſa ſunt ea quoque hominum cognitione digniſſima. Itaque id operis moliendi conſilium ſuſcepi, quod eſt mihi cum ceteris commune; ut quæcumque inveneram & ſepoſueram nondum edita evulgarem. Retinui tamen illud meum, ut ſeligerem pauca de multis, quæ ſcilicet juvandis bonis

nis artibus, expoliendiſque hominum ingeniis magis conducere videbantur. Quo quidem, quam arctioribus finibus operam ipſe meam concludam, quantum circumcidam inanium libellorum, ſane video; longioribus etiam operibus loco motis, ſubſtitutiſque aliis minutulis quibuſdam, lectionibus, adnotamentis, animadverſionibus, quas librorum margines capiunt & interſtitia verſuum. Verum ut ut illa opus certe grandius efficerent, atque iis qui ingentia volumina amant atque admirantur, plurimum commendarent, malo tamen ceterorum utilitati, quam nomini qualicumque meo, & operis apud iſtos commendationi ſervire. Et vero illi qui ſunt reconditioribus quibuſdam litteris imbuti non ignorant, quantum ſæpe acuti viri & docti adnotatiuncula præſtet multorum libris. Nec illud quidem verum eſt, me collegiſſe adeo pauca, ut neceſſe non fuerit plura in volumina partiri. Itaque feci, placuitque in hoc quoque lectoris commodum & utilitatem ſpectare, ut ea haberet ſuis quæque libris & voluminibus diſtributa. Quamobrem primùm omnia ad certa quædam genera ſeu capita revocavi, edenda ſeparatim: ea ſunt Theologica, Hiſtorica, Philoſophica ſive Mathematica, & Philologica. Deinde res ubi longiores viſæ ſunt, ut uno volumine comprehenderentur, in plura partiti ſumus, atque in illis diſtribuendis tempus, ſive argumenta rerum, ſive aliquid ſpectavimus hujuſmodi, quod ea ſive legentem, ſive quærentem juvaret. Ut a Philologicis exordirer, atque a Clarorum Virorum epiſtolis, non a Theologicis, feci alterius potius conſilium ſecutus

quam meum. Non enim poſſumus omnia agere arbitratu noſtro, aut non etiam tempori, amicis, iis quorum ſumptibus aut operis res agitur, ſerviendum eſt.

Hunc ergo primum nunc damus collectionis noſtræ tomum, ſive potius tomi, qui epiſtolas illuſtrium Virorum continet, partem primam; quæ epiſtolas habet ſæculo XI. XIV. XV. & XVI. ſcriptas. His paulo recentiores, partibus aliis ejuſdem tomi reſervamus. Ita autem has exſcribemus, ut ſiqua obſcura aut adnotatu digna aliquando occurrant ea in ipſa libri facie indicemus: de auctore vero ipſo, ſi non eſt adeo pervulgatus, ejuſque ſcriptis, & codicibus noſtris, nos fuſius aliquanto in præfatione dicamus. Audivimus enim de viris doctis, atque experimento ipſi aliquo noſtro didicimus, nulla re alia juvari magis poſſe litterariam hiſtoriam, quam ſi iis tractandis non operæ ipſi noſtræ, non lectorum ſtudio parcamus. Scribendi genus noſtrum quale ſit, quilibet vel me tacente videt; quale eſſe cupiam, complectar brevi, nimirum ut faſtidioſis præſertim lectoribus ſtomachum ne moveat, ne barbarum ſit omnino: nihil vero me niſi latine dicere, nec ego ſpero, nec ſi ideo oratio obſcuranda eſt, cupio, nec rerum ipſarum natura quas complectar patitur. Monumenta vero ipſa quod attinet, ita ea proferimus, ut ſumma fide ne dicam religione in his tractandis exhibendiſque verſemur. Mirari itaque lector non debet ſi librarii errores ipſos repræſentemus. Hoc ſapientiſſimi viri & artis criticæ magiſtri exemplo, & preceptis docuerunt; quorum ut unum aliquem potiſſimum nominem,

Cl.

Cl. Muratorius [1] Has ego, *inquit*, legitimas germanæ criticæ regulas reor; ſcilicet in Veterum monumentis primùm edendis nihil opus eſſe diſcedere a lectione codicis: immo rem poſcere ut quantum fieri poſſit, eadem lectio retineatur, excluſis tantum apertiſſimis librarii mendis, quæ tamen diſtinguere omnium eſt. Si quid vero gravius editori immutare, delere, ſupplere animus eſt, id clanculum facere, lectoribuſque minime conſciis, nequaquam licet. *Placet etiam illud ejuſdem viri docti, quod paulo ante poſuerat*; Mabillonio, mihi, ceteriſque Anecdotorum editoribus unum plerumque conſilium fuit, ac futurum eſt; nempe in litteratorum commodum quæ latebant in mſs. luce donare, non autem ſubſiſtere ad omnia expendenda meditatione rigida atque expurganda, ſuſcepta veluti anatome exquiſita vitioſi ac inordinati corporis. Eſt hoc hominum majori otio fruentium, immo omnium eſſe poteſt, qui beneficio per nos delato uti deinde velint. *Neſcio, an aliquid addendum ſit de titulo ipſo operis; quem primò feci, nullo exquiſitiori nomine uſus, quod noſtras ſive res, ſive diligentiam commendaret, ſed aperto & vulgari: quod in eo viri docti Stephani Baluzii conſilio atque auctoritate duci mallem. Deinde ideo inſcripſi* Miſcellanea, *non* Anecdota *aut ſimili voce quapiam, quæ omnia primùm nunc vulgari declararet; quod quominus alia exhibeam, ſive jam rariora, ſive nunc emendatiora, prohibitum me minime volo. Addid-*

1 *Antiq. med. æv. diſſ. xl.*

didi ex mss. libris Bibliothecæ Collegii Romani; *quod ambitione fortaſſe quadam facere videbor, aut amore nimio adductus rerum noſtrarum. Hic quoque ſinceritate illa mea utar, dicamque aperte. Etſi nobis non liceat eſſe ita beatis, ut Bibliothecam hanc noſtram cum celebrioribus Urbis conferre audeamus; non in eo tamen putamus eſſe reprehendendos, quod loco aliquo haberi aut etiam commemorari eam velimus; quam V. Cl. Apoſtolus Zeno in Italis Ephemeridibus* [1] *inſignem eſſe docuit, & conſtare ſelectis libris numero ſexaginta millibus; quam Hebraicis codicibus nobilem eſſe teſtatus eſt eorum ſcientiſſimus Bartoloccius* [2]*; cujus Græcos codices ſive Latinos Poſſevinus ſæpe, aliique compellarunt. Nimirum & antiquiores illi homines qui Sodalitati noſtræ nomen dederunt, ad eam cum venirent, non doctrina ſolum, ſed lauta etiam librorum ſupellectile inſtructi, utramque in domum noſtram intulerunt; e quorum numero Franciſcus Turrianus Græcos codices multos ad nos comportaſſe dicitur a Poſſevino; & aliorum etiam externorum litterariæ opes poſtea huc commigrarunt: inter quos primo loco commemorandus vir ſui temporis juris conſultiſſimus, omnique doctrinæ, & eruditionis genere ornatus Io. Baptiſta Coccinus Sacræ Rotæ Auditorum, ut vocant, Decanus, qui nos plurimis cùm editis libris tum vero manuſcriptis codicibus multis auxit. Deinde M. Antonius Muretus vir omnium conſenſu doctiſſimus, cujus Bibliothecam adepti, multos & ipſius manu exaratos.*

1 *Tomo 7. a. 1711. pag. 234.* 2 *Biblioth. Rabbin. part. 4. pag. 103.*

tos, ſive animadverſionibus adſperſos libros, & veterum Scriptorum codices nacti ſumus. Acceſſit boni Geometræ & Hiſtoriæ eximii cultoris Rogerii a Ventimilia litteraria ſupellex. Denique noſtræ quidem Societatis, ſed in ampliſſimum poſtea ordinem cooptati, Franciſcus Toletus, Robertus Bellarminus, Joannes de Lugo, Sfortia Pallavicinus, Io: Baptiſta Ptolemæus litterarias opes ſuas, hæreditarias nobis eſſe voluerunt. Horum libris auctam Bibliothecam, quæ præterea Ioannis Lorini, Benedicti Juſtiniani, Iacobi Lainii, Franciſci Turriani, Petri Poſſini, Humfridi, aliiſque id genus hominum monumentis nondum vulgatis abundat; nuper etiam laxatis parietibus, adjunctoque majori ædificio ampliorem factam; in qua vel ordinanda libris, vel curanda, multum inſumpſerim operæ atque temporis, non amem, aut amari ab aliis nolim? Verum, ubi ab amore iſto diſceſſero, video me hoc ipſum debuiſſe ponere; vel ut operis mei ratio ipſo ſtatim aditu, & prima libri fronte conſtaret, vel ut ea quæ exhibeo, ubi extent ſi quis requirat, cognoſcere atque explorare poſſit. Poſtremo reſpondendum eſſet nonnullis reprehenſoribus meis, qui conſilio hoc audito, ad aliud me ſtudiorum & litterarum genus vocabant. Quibus breviter repono, me, & alia quæ iſti volunt non negligere, atque id interea facere, quod viri eruditiſſimi fecerunt; quos in præfatione ad tomum 1. Theſauri Anecdotorum *recenſuit, in hoc eodem pulvere diu verſatus Edmundus Ma tene; Martenium vero ipſum ſecuti ſunt tam multi, ut nihil verendum ſit, qui idem ſtudiorum*

diorum genus ſectetur , ne ſe tueri magnorum virorum nominibus atque auctoritate poſſit . Nunc ſigillatim de operibus dicam quæ profero ; idque diſtinctis in locis ne longior in ſcribendo ſim , & lectorum ſatietati occurram .

INDEX

INDEX EPISTOLARUM

THEODORI PRODROMI

1. *Ephoro.* Pag. 18
2. *Logothetæ Domino Stephano Meleti.* 22
3. *Lyzico.* 24
4. *Eidem.* 28
5. *Mythæ.* 32
6. *Eidem.* 34
7. *Eidem.* 39
8. *Theodoro.* 38
9. *Eidem.* 44
10. *Metropolitæ Trapezuntis.* 46
11. *Orphanotropho & Nomophylaci.* 58
12. *Eidem.* 64
13. *Ariſteno Nomophylaci & magno OEconomo.* 72
14. *Domino Gregorio.* 76

DANTIS ALIGHIERJ.

Italis. 139

FRANCISCI PETRARCHÆ

1. *Delfino primogenito Regis Francorum.* 145
2. *Cardinali Bononienſi.* 148

GALEACII VICECOMITIS

1. *Bononienſibus.* 150
2. *Reſponſio Bononienſium.* 151

ANTONII DE TARTONA

1. *Galeacio Vicecomiti.* 153

Colucii Pierii Salutati.
Paſquino.
Leonardi Aretini.
1. *Senenſibus.* 158
2. *Innocentio VII.* 156
Caroli Aretini
Duci Mediolani. 160
Porcelli
Principi Sfortiæ. 263
Joannis Manzini de Motta
1. *Paſquino de Capellis.* 173
2. *Galeacio Comiti Virtutum.* 176
3. *Frederico de Villa Franca March. Maleſpinæ.* 180
4. *Franciſco Senenſi Phyſico.* 184
5. *Spinetæ Marchioni Maleſpinæ.* 185
6. *Andriolo de Ochis Brixienſi.* 189
7. *Ioanni de Horologio Patavino Phyſico.* 195
8. *Rizaldo de Villanis.* 208
9. *Conrado de Dovaria Cremonenſi.* 113
10. *Iacobo de Verme.* 219
11. *Reſponſio Iacobi de Verme.* 222
12. *Benedicto de Gambacurtis.* 224
13. *Laurentio de Gambacurtis.* 226
JACOBI SADOLETI S. R. E. CARD.
nomine Leonis X., Clementis VII.
et Pauli III.
1. *Io. Galeatio Comiti.* 297
2. *Marchioni Montisferrati.* 298
3. *Ioanni Laſcari.* 299

4. Geor-

4. *Georgio Duci Saxoniæ .* 300
5. *Sigiſmundo Regi Poloniæ .* 302
6. *Roſtanio Cantelmo .* 306
7. *Antonio Ianuario Neapolitano .* 307
8. *Marchioni Mantuæ .* 308
9. *Trojano Principi Melphis .* 309
10. *Regi Francorum .* 310
11. *Ludovico Francorum Regi .* 311
12. *Regi Catholico .* 316
13. *Regi Catholico .* 318
14. *Viceregi Neapolitano .* 319
15. *Pro Archidiacono Florentino .* 320
16. *Duci Sabaudiæ .* 321
17. *Patriarchæ Maronitarum .* 322
18. *Regi Francorum .* 326
19. *Duci Engoliſmenſi .* 328
20. *Regi Portugalliæ .* 329
21. *Regi Francorum .* 333
22. *Cardinali Sedunenſi .* 334
23. *Mutinenſibus .* 337
24. *Iacobo Sabello .* 338
25. *Troilo Sabello .* 339
26. *Laurentio de Medicis .* 340
27. *Cardinali s. Sabinæ .* 341
28. *Epiſcopo Verulano .* 342
29. *Ludovico de Franco .* 343
30. *Oratori Florentino in Gallia .* 344
31. *Epiſcopo Pariſienſi .* 345
32. *Imperatori .* 346

33. *Ge-*

33. *Regi Scotiæ.* 347
34. *In Scotiam.* 349
35. *Regi Francorum.* 354
36. *Epiſcopo Veſprimienſi.* 357
37. *Comiti Io. Corbariæ.* 359
38. *Gubernatori Vrbis.* 360
39. *Cardinali Eboracenſi.* 360
40. *Dominæ Engoliſmenſi.* 362
41. *Carolo V.* 364
42. *Duci Borboni.* 365
43. *Regi Hiſpaniæ.* 366
44. *Eidem.* 368
45. *Henrico Regi Angliæ.* 369
46. *Cardinali Eboracenſi.* 371
47. *Petro Priſco Epiſcopo Lavellinenſi.* 373
48. *Priori & Conventui s. Marci Florentiæ.* 374
49. *Viceregi Neapolitano.* 375
50. *L. P. Toloſæ.* 376
51. *Viceregi Neapolitano.* 377
52. *Cardinali Campeggio.* 378
53. *Nunciis in Hiſpania.* 378
54. *Ægidio Cardinali.* 380
55. *Eidem Legato.* 381
56. *Eidem.* 383
57. *Eidem.* 386
58. *Eidem.* 387
59. *Eidem.* 388
60. *Eidem.* 389
61. *Eidem.* 390

62. *Ga-*

62. *Galeatio Butrigario;* 163
63. *Carolo Duci Sabaudiæ & Philippo fratri* 393
64. *Priori magnæ Carthuſiæ.* 395
65. *Eraſmo Roteradamo.* 397
66. *Carolo V.* 400
67. *Cardinali Epiſcopo nobili.* 407
68. *Nobili vel Prælato.* 408
69. *Marchioni Brandeburgenſi.* 410
70. *Officiali Trevirenſi.* 411
71. *Cæſari.* 413
72. *Electori.* 416
73. *Confeſſori.* 418
74. *Tudenſi.* 420
75. *Georgio Duci Saxoniæ.* 422
76. *Franciſco Clericato.* 423
77. *Pro eodem.* 424
78. *Henrico Regi Angliæ.* 426
79. *Pro Franciſco Clericato.* 427
80. *Eidem.* 428
81. *Eidem.* 429
82. *Pro eodem.* 430
83. *Eidem.* 431
84. *Eidem.* 432
85, *Regi Chriſtianiſſimo.* 436
86. *Duci Genuæ.* 438
87. *Eboracenſi.* 439
88. *Eidem.* 440
89. *Eidem.* 441
90. *Cardinali Moguntino.* 445

91. *Matri Regis Chriſtianiſſimi.* 448
92. *Eidem.* 451
93. *Cæſari.* 455
94. *Dominæ Margaritæ.* 457
95. *Carolo V.* 460
96. *Duci Borbonio.* 466
97. *Herculi Gonzagæ.* 467
98. *Marchioni Mantuæ.* 469
99. *Baroni.* 471
100. *Electori.* 473
101. *Carolo V.* 475
102. *Eidem.* 487
103. *Regi Portugalliæ.* 488
104. *Helvetiis.* 497
105. *Cæſari.* 500
106. *Archiepiſcopo Trevirenſi.* 505
107. *Concilio.* 508

EPISTOLÆ FAMILIARES.

1. *Nicolao Teupulo.* 511
2. *Franciſco Victorio.* 516
3. *N. N.* 518
4. *Cardinali Ægidio.* 519
5. *Hippolyto.* 524
6. *Ferdinando Archiduci Auſtriæ.* 528
7. *Archiduci Auſtriæ.* 530
8. *Ejuſdem Secretario.* 532
9. *Sigiſmundo Regi Poloniæ.* 533
10. *N. N.* 535
11. *N. N.* 537

12. *Præ-*

12. *Præſidenti*. 540
13. *Novo Præſidenti*. 542
14. *Præſidenti*. 543
15. *Præſidenti*. 545
16. *Relatori*. 546
17. *Conſiliario*. 548
18. *Conſiliario*. 549
19. *Conſiliario*. 551
20. *Conſiliario*. 552
21. *Epiſcopo Mirapoys*. 553
22. *Epiſcopo Pino*. 555
23. *Domino de Pira*. 557
24. *Magno Cancellario Franciæ*. 558
25. *Langeo*. 560
26. *Clementi VII.* 562
27. *Eidem*. 571
28. *Epiſcopo Conchæ*. 572
29. *Clementi VII.* 576
30. *Bloſio Palladio*. 579
31. *Clementi VII.* 582
32. *Cardinali Carpenſi*. 585
33. *Paulo III.* 587
34. *Card. Carolo Lotharingio*. 592
35. *Ioanni de Lopis*. 595
36. *Annæo Monmorancio*. 598
37. *Ludovico Caſtelvetro*. 603
38. *Eidem*. 605
Fragmentum Operis de Rep. Chriſtiana. 608

Digitized by Google

THEODORI PRODROMI

EPISTOLÆ.

A

Digitized by Google

IN EPISTOLAS
THEODORI PRODROMI.

THEODORI Prodromi epiſtolas Græcas cur vulgandas nunc primum cenſeam, facit primo ejus hominis apud viros doctos celebritas, deinde harum ipſarum raritas. Nam ſi noſtrum codicem excipias & Vaticanum CCCV., *vix alium eſſe conſtat, quo illæ totidem numero contineantur. Montfauconius quidem in recenſione Bibliothec. Vindobonenſis* [1] *ponit Theodori Prodromi epiſtolas. Sed Lambecius, unde Montfauconius illud ſumpſit* [2], *epiſtolam unam tantum nominat Prodromi ad Gregorium. Non ignoro Caveum (Caveum* [3] *vero auctorem habent Fabricius* [4] *& Oudinus* [5]*) docere, in Bibliotheca Bodlejana extare inter codices Barroccianos epiſtolas Theodori* aliquot: *ſed eæ quæ ſint,*

1 Bibl. Biblioth. pag. 550. 2 Lib. 5. pag. 233. 3 Tom. 2.
4 Tom. 6. B. G. pag. 820. 5 Comm. de Script. Eccl. tom. 2. p. 976.

aut numerum illarum non docet. Facturum ergo me operæ pretium exiſtimavi, ſi epiſtolas quæ apud nos erant, nec ita facile inveniebantur, aliquando vulgarem, & viri celeberrimi opus hoc a tenebris vindicarem. Quantum enim nomen famamque hic Theodorus obtineat, teſtes ſunt qui eum ſæpe appellant Græci Scriptores; præterea Gretſerus, Poſſevinus, aliique qui celebriores Scriptores numerant, in primis vero Leo Allatius. Itaque alia ipſius quædam jamdiu fuerunt edita a Ribiſſo, Geſnero, Morellio, Gaulmino.

Codex Bibliothecæ noſtræ qui has epiſtolas continet eſt chartaceus, non ita antiquæ ſcripturæ, imo recentioris, ſed probæ plerumque; & præter epiſtolas, alia quædam continet ejuſdem, quæ hic commemorabimus, omiſſis iis, quæ vel jam ſunt edita, vel Fabricius recenſet.

Εὐχαριστήριος τῷ Νομοφύλακι Προτεκδίκῳ, καὶ Ὀρφανοτρόφῳ κυρῷ Ἀλεξίῳ τῷ Ἀριστηνῷ Gratiarum actio Nomophylaci, Protecdico, & Orphanotropho Domino Alexio Ariſteno. *Prima verba ſunt* εἶπε τραγῳδοί.

Ὑπὲρ τῆς γλώττης τοῦ Ὀρφανοτρόφου καὶ Νομοφύλακος κυροῦ Ἀλεξίου τοῦ Ἀριστηνοῦ. De lingua Orphanotrophi, & Nomophylacis D. Alexii Ariſteni ὑπὲρ τῆς τοῦ Νομοφύλακος.

Εἰσιτήριος τῷ αὐτῷ Ὀρφανοτρόφῳ Προτεκδίκῳ καὶ Νομοφύλακι δὶς τὴν τοῦ Ὀρφανοτρόφου ἀξίαν λαμβάνοντι. Oratio in ingreſſu Orphanotrophi & Nomophylacis, cum iterum Orphanotrophi dignitatem adiret. Πότερα πρώτερον.

Εἰς

Εἰς τὸν Καίσαρα ἢ ὑπὲρ πρασίνου Ad Cæſarem, ſive pro praſini coloris factione. Χρωμάτων πέρι.

Πρὸς τοὺς διὰ πενίαν βλασφημοῦντας τὴν πρόνοιαν. Ad eos qui propter paupertatem Providentiam blaſphemant. Τιμολέων ὁ τημοδή μου.

Εἰς τὸ, καὶ αὐτὸς προελεύσεται ἐνώπιον αὐτοῦ ἐν πνεύματι καὶ δυνάμει Ἠλίου. In illud; & ipſe præcedet coram illo in ſpiritu & virtute Eliæ. Τὴν ἀμοιρίαν ἀρχὴν.

Ἀμαθὴς, ἢ παρὰ ἑαυτοῦ γραμμάτικος. Imperitus, ſive apud ſe ipſum Grammaticus. Μαρσύαν εἴ τις.

Φιλοπλάτων, ἢ σκυτοδέψης. Amicus Platonis, ſive Coriarius. εἶεν ὦ παῖ.

Δήμιος, ἢ ἰατρὸς Carnifex, ſive Medicus. εἰ ἓν ἦν ὁ ἄνθρωπος.

Βίων πράσις πολιτικῶν, καὶ ποιητικῶν Venditio vitarum hominum politicorum, & poetarum: τὸν μὲν τόπον.

Εἰς τὸν πατριάρχην Κωνσταντινουπόλεως κύριν Ἰωάννην. In Patriarcham CPis Dominum Joannem. πῶς ποτὲ.

Μονῳδία εἰς τὸν πορφυρογέννητον, καὶ σεβαστοκράτορα κῦριν Ἀνδρόνικον τὸν Κομνηνὸν Monodia in Porphyrogenitum & Sebaſtocratorem Dominum Andronicum Comnenum. σκηναὶ, καὶ γραφαί.

Μονῳδία εἰς τὸν σεβαστὸν καὶ λογοθέτην κῦριν Γρηγόριον τὸν Καματηρὸν Monodia in Sebaſtum & Logothetam Dominum Gregorium Camaterum. Τίνι ὦ παρόντες.

Μονῳδία εἰς τὸν ἁγιοθεοδωρίτην κύριν Κωνσταντῖνον. Monodia in ſanctum a Deo datum Dominum Conſtantinum. *εἰ τὰς ἀγαθὰς.*

Ἐπιθαλάμιος τοῖς τοῦ εὐτυχεστάτου Καίσαρος υἱοῖς. Epithalamium feliciſſimi Cæſaris filiis. *ἐδέησε καὶ τειχῶν.*

Hactenus recenſita opera, ſi cetera deeſſent omnia, tempus oſtendunt quo Theodorus noſter vixit; præſertim Monodia *illa, quibus Porphyrogenito & Sebaſtocratori Andronico Comneno parentat. Eſt enim Andronicus hic Comnenus Alexii Comneni & Irenes Ducænæ filius, in bello contra Barbaros mortuus, ut Prodromus ibidem poſtea ſignificat, paulo ante patris exceſſum, ideſt* MCXVIII., *ut recte Du Cangius docuit* [1]. *In Codice Vaticano* CCCV. [2] *extant Heroici verſus ejuſdem εἰς τὴν βασίλισσαν κυρὰν εἰρήνην τὴν δούκαιναν ἐπὶ τῷ θανάτῳ τοῦ σεβαστοκράτορος υἱοῦ αὐτῆς.* In Imperatricem Dominam Irenem Ducænam de morte Sebaſtocratoris filii ipſius. *Idem conficitur ex eo quod ſcribit* In Patriarcham CPis D. Johannem. *Statuere omnino debemus hunc eſſe Ioannem IX. qui CPam ſedem adivit A.* MCXI., *tenuitque ad* MCXXXIV. *ut Gulielmus Cuperus* [3], *& Bandurius* [4]. *Alia ſunt quæ eidem Prodromo adſcribuntur in mſs. Vaticanis, in quibus multa ejus carmina continentur; Cod.*CCCV. *εἰσιτήριοι ἐπὶ τῇ νυμφευθείσῃ ἐξ Ἀλαμανῶν τῷ Πορφυρογεννήτῳ κυρίῳ Μανουὴλ καὶ Σεβαστοκράτορι.* In adventum Sponſæ ex

1 Famil. Bizant. pag. 176. 2 pag. 91. 3 In Tract. de Patr. CPis.
4 Tom. 2. Imp. or. pag. 915.

ex Alamannorum gente, & Porphyrogenitum Dominum Manuelem & Sebaſtocratorem: *præſertim vero de bellis a Ioanne Comneno contra Perſas geſtis, & oppugnata debellataque Caſtamone; ut,* εἰς τὴν ἐπὶ τῇ ἁλώσει τῆς Κασαμόνος ἐπινίκιον πρόοδον τοῦ κυροῦ Ἰωάννου τοῦ Κομνηνοῦ δεκάστιχα πολιτικὰ τοῖς δήμοις. In progreſſum D. Jo: Comneni poſt debellatam Gaſtamonem decaſticha politica, populis [1]. *De his Cinnamus* [2], *Nicetas* [3]. *Inveniuntur etiam verſus in ipſius Imperatoris ſepulcrum* [4] εἰς τὸν τάφον τοῦ αὐτοκράτορος Ἰωάννου τοῦ Κομνηνοῦ. *Sponſam illam ex Alamannorum gente, fuiſſe eam, quam Latini Bertham, Græci, nomine, ut moris erat, commutato, Irenem vocavere, omnino liquet. Itaque a Cinnamo* [5] ἡ ἐξ Ἀλαμανῶν αὐτοῦ ξυνοικήσασα *dicitur. Eam Robertus de Monte* [6] *Friderici Sveviæ Ducis filiam facit, ſed VVilhelmus Tyrius, Geſta Lud.* VI. [7] *Godefridus Viterbienſis* [8] *Berengarii Comitis Sultzpachenſis in Bavaria. Ingreſſus ejus Conſtantinopolim & nuptiæ ex eodem Cinnamo* [9] *contigere Manuele jam Imperatore, circa ann.* 1143. *Quamobrem ad hunc an. ab a.* 1118. *floruit noſter Prodromus. Ætatem hanc ex ejus ſcriptis confirmatam videtur dubiam facere quod illius pariter nomine legitur in eodem codice Vaticano* CCCV. [10] εἰς τὴν σοφωτάτην πορφυρογέννητον Καισάρισσαν κυρὰν Ἄνναν τὴν Δούκαιναν περὶ τοῦ ἑαυτοῦ. In Sapientiſſimam Porphyrogenne-

1 Cod. Vat. CCCV. pag. 105. Cod. CCCVI. pag. 50. Cod. CCCVII. pag. 221.
2 Lib. 1. hiſt. pag. 7. 3 Pag. 13. 4 Cod. CCCV. pag. 91. 5 Lib. 3. pag. 57. 6 ad a. 1142. 7 Cap. 10. tom. 4. ſcript. Fr. Ducheſn. p. 398.
8 Pag. 17. 9 Lib. 2. 10 Pag. 93.

tam Cæſariſſam Dominam Annam Ducænam de rebus ſuis. *Nam eo quidem tempore quod Prodromo aſſignavimus vixit Anna Ducæna nupta Georgio Palæologo Nicephori filio ex Anna Comnena* in Alexiade [1] (*itaque lapſum puto memoria Du-Cangium* [2] *dum Georgii Paleologi uxorem nominat Irenem Ducænam*); *ſed ea* Porphyrogenita, *cum ſit Andronici Ducæ filia, dici non poteſt, nec* Cæſariſſa. *Anna Ducæna Conſtantini filia nimis antiquior eſt, quam ut huc transferri poſſit. Præterea quid illa laus ſapientiſſimæ? Arbitror ergo pro* Ducæna *legendum* Comnena; *atque eſſe Annam illam ſcriptis & hiſtoria ſua nobilem; niſi* Ducænam *dictam mavis, quod Conſtantino Ducæ Michaelis Ducæ Imperatoris filio, eam adhuc puellam pater deſponderat.*

Eſt aliud Prodromi opus præcipuum in Vaticana, Barberina, Bibliotheca Regia Scoriaci &c. ἐξήγησις εἰς τὲς ἐν ταῖς ἱερωῖς δεσποτικαῖς ἑορταῖς ἐκτεθέντας κανόνας παρὰ τῶν ἁγίων καὶ σοφῶν Ποιητῶν Κοσμᾶ, καὶ Ἰωάννυ τῦ Δαμασκηνῦ Expoſitio in Canones SS. & doctorum poetarum Coſmæ & Joannis Damaſceni quos illi compoſuerunt in heriles ſive præcipuos ſacros & feſtos dies. *Hoc opus laudare putatur Euſtathius Theſſalonicenſis* [3] *item Nicephorus Blemmida* [4]; *a quo poſtremo Theodorus vocatur* ὁ ἐξηγύμενος . . . τῶν ἱερῶν κανόνων πρῶτος σαφηνιστὴς qui primus ſacros Canones expoſuit. *Sunt hi ſacri Canones, hymni in ſacris Græcorum officiis decantari ſoliti qui novem odis con-*

1 Pag. 55. 2 In famil. Byzant. pag. 230.
3 In proemio ſuæ expoſitionis Canonis Ioann. Damaſceni in Pentecoſtem.
4 Orat. 1. de Proceſs. Spiritus S. Græc. Orthod. tom. 1. pag. 11.

conſtant; *graviterque lapſus eſt Petrus Poſſinus dum Theodorum dixit explicuiſſe* Octateuchum Jo. Damaſceni. Octoechum, *opinor*, *dicere voluit*, *Eccleſiaſticum Græcorum librum*, *qui troparia & Canones continet a primis Veſperis Dominicæ*, *ad Miſſæ finem cani ſolitos*, *& octo Dominicis pro tonorum numero finitur*. *Sed neque hunc librum qui alia aliorum continet*, *Metrophanis Smyrnæi*, *Anatolii CPli*, *Theodori Studitæ*, *interpretatus eſt Theodorus Prodromus*, *ſed Ioannes Zonaras*. *Gravius etiam imponere incautis poſſet quod ex Blemmida diximus*; *primum Canonum ſacrorum Interpretem fuiſſe Theodorum Prodromum*. *Nam Conciliorum juriſque Eccleſiaſtici Canonum primus Interpres dicitur Theodorus Prodromus*, *quem multi Græcorum laudant*. *Verum neceſſe eſt hunc alium a noſtro fuiſſe*, *ſi verum eſt quod Nicolaus Comnenus Papadopoli* [1] *affirmat*, *primum Græcorum aggreſſum eſſe Canonum interpretationem ante nongentos annos*. *Hinc Theodori Prodromi nomine Scriptorem hunc alium præter noſtrum diſtinguit ex laudato Papadopoli Fabricius* [2]. *Atque antiquior ille ſcripſit præterea* de ſacris Eccleſiæ Synaxibus, *quem librum idem Comnenus* [3] *nominavit*.

An vero tertius quidam Prodromi *ſive* Ptochoprodromi *cognomine inducendus eſt Theodorus*? *Habentur codice Vaticano* DLXXIX. [4] Θεοδόρου τοῦ Πτωχοπροδρόμου στίχοι πρὸς τὸν βασιλέα κύριν Μανουὴλ τὸν πορφυρογέννητον. *Sunt autem Theodori hujus Ptochoprodromi*

1 In Prænot. Myſtag. pag. 409. 2 Vol. 9. pag. 231. & vol. XI. pag. 45. 3 Pag. 73. 4 Pag. 366.

mi carmina Politica ad Emmanuelem Comnenum in mores Monachorum ſui temporis . Eumdem hunc ac Prodromum noſtrum arbitratus eſt Du-Cangius in Indice , quem Gloſſario mediæ & infimæ latinitatis *ſubjecit , atque ex eo Oudinus ; item Petrus Poſſinus , qui expoſitionem illam Canonum ſive hymnorum* Prodromo pauperi *ideſt Ptochoprodromo aſſignat . Contra alii eos diſtinguunt, ut Cave, qui annos etiam ſingulis diverſos aſſignat . Sed vel unus vel plures fuerint , iiſdem temporibus vixerunt . Quid vero ſtatuendum de Prodromo ejus libri Auctore, qui in Indice Bibliothecæ Regiæ Scoriacenſis ita proponitur* Θεοδώρου τοῦ Προδρόμου ἐξήγησις εἰς τὴν γραμματικὴν τοῦ Μοσχοπούλου : Theodori Prodromi explicatio Grammaticæ Moſchopuli ? *Hic pæne tertius aut quartus enaſcitur Theodorus Prodromus , niſi ſit Moſchopulus alius Moſchopulo Manuele antiquior. Sed viri docti norunt , quam parum ſit hujuſmodi librorum titulis , ſive eorum indicibus fidendum . Simile quidpiam , ut infinita taceam , factum eſt in Theodoro Lectore , cujus hiſtoriæ extant* ἐκλογαι ἀπὸ φωνῆς Νικεφόρου , Excerpta ex ore Nicephori . *Miræus ita hunc titulum deſcripſit quaſi ea ex Nicephori ore Theodorus exceperit : itaque Nicephoro Calliſti recentiorem Theodorum fecit , rejecitque ad ſæculum* XIV. *atque ex eo hic error irrepſit in* Indicem Generalem *Bibliothecæ PP. editæ Lugduni an. 1677. & tom.* XXVI. *Atque ob hanc cauſam Sagittarius* [1] *collectanea hæc ſuppoſita eſſe judicavit .*

Cate-

1 In introd.

Cæterum, ex his quæ adſcribuntur Prodromo noſtro operibus, conſtat Grammaticum eum fuiſſe, Rhetorum facultate, & Dialecticæ myſteriis apprime eruditum. Grammaticum quidem oſtendit opus quod modo deſcripſimus; ſive ἐρωτήματα γραμματικὰ πρὸς τὴν βασίλισσαν, *quæ* codice Vat. XVI. [1] *habentur, atque aliis in Bibliothecis; ut Montfauconius teſtis eſt* [2]. *Ioan. Meurſius* [3] *laudat Theodori Prodromi* Lexicon, *& librum* de Accentibus [4], *quæ forte idem ſunt nam extat* Cod. Vat. 883. [5] λεξικὸν περὶ πνευμάτων. *De Dialectica teſtes ſunt libri* [6] παράφρασις εἰς τὰ ὕστερα τῶν ὑστέρων Ἀναλυτικῶν τοῦ Ἀριστοτέλους. Paraphraſis in poſteriora Analytica Ariſtotelis: *item* [7] τοῦ αὐτοῦ καὶ Λεόντος τοῦ Μαργεντήνου ἐξήγησις εἰς τὰ ὕστερα ἀναλυτικά τοῦ Ἀριστοτέλους. *Denique* [8] Περὶ τοῦ μεγάλου καὶ τοῦ μικροῦ, καὶ τοῦ πολλοῦ, καὶ τοῦ ὀλίγου, ὅτι οὐ τῶν πρός τι εἰσὶν, ἀλλὰ τοῦ ποσοῦ. Magnum & parvum, multum & paucum non pertinere ad relationem ſed ad quantitatem. *Eloquentiam ejus demonſtrant Opuſcula, quæ proſa præſertim oratione ſcripſit: nam carmina plerumque invito Apolline eum ſcripſiſſe, præſertim Heroica, neglecta etiam ſyllabarum ratione, fatentur quicumque legunt. Theologum erit qui non diffiteatur, quod expoſitionem Pſalmorum ſcripſerit, quæ habetur in Regia Scoriacenſi Bibliotheca. Habetur etiam, quod nollem ab eo ſcriptum,* περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου πνεύ-

1 Pag. 21. 2 Biblioth. Bibl. pag. 432. 344. 346. &c. 3 In Conſtantinum Porphyrog. de adminiſtr. Imp. cap. 51. 4 In Gloſſario v. λίγνον. 5 Pag. 15. 6 Cod. Vat. 246. p. 92. & Cod. 304. p. 1. 7 Cod. 1378. pag. 141. 8 Cod. Vat. 243. pag. 37. & cod. 305. pag. 134.

πνεύματος κατὰ Λατίνων de Proceſſione Spiritus Sancti contra Latinos: *ubi primis continuo verbis errorem Græcorum Schiſmaticorum defendendum ſuſcepit*, φανερόν ἐϛιν, ὅτι, ὥσπερ ὁ ὑὸς, οὕτω καὶ τὸ ἅγιον οἴεται ἐκ τοῦ πατρὸς μόνου ἔχειν ὕπαρξιν. Manifeſtum eſt, quia ut Filius, ſic & Spiritus Sanctus putatur ex patre ſolo habere ſubſtantiam.

Sed quis præterea qualiſque Prodromus fuerit, aut quod vitæ genus ſectatus ſit, difficile eſt ex illius aut aliorum ſcriptis extundere: CPli tamen vixiſſe ex his ipſis quas vulgamus ejus epiſtolis colligere potes; item Orphanotrophio addictum fuiſſe: Hoc enim indicare videntur epiſtolæ ejus, & opuſcula Orphanotropho inſcripta, qui tunc quidem erat Alexius Ariſtenus, vir apud ſuos nobilis, cujus extat collectio canonum in Bibliotheca Iuris Græco-Romani Iuſtelli[1] *atque in Pandectis Beveregii*[2]. *Quin* εἰσιτήριον *ſive* inauguralem *orationem eidem Ariſteno dictam, quam ſupra appellavimus, ita exorditur Prodromus, ut aperte ſignificet ſe ad Orphanotrophium ejuſque curam pertinere:* πότερα πρώτερον σοὶ θειότατε δέσποτα, τὸν εἰσιτήριον ᾄσομαι, καὶ παιανίσομαι τὸν ἐπιβατήριον, ἢ ἐμαυτῷ τὸν οὐκ ἐξιτήριον, οὐδὲ ἐκβάτερον, μὴ ὅτιγε κἀμοὶ καὶ τῷ οἴκῳ τούτῳ σωτήριον. *Nimirum, ut Anna Comnena Orphanotrophium CPum deſcribit*[3], *inerat litterarius ludus, in quo diſciplinis omnibus, omnibuſque doctrinæ partibus juvenes inſtituebantur; alebanturque cum diſcipulis*

1 Tom. 2. pag. 673.

2 Tom. 2. poſt pag. 188.

3 Alex. lib. xv. pag. 482.

lis magiſtri, ut Zonaras[1] *quoque ſignificat. Quin ex his magiſtris unum, Theodorum noſtrum facimus? Scholam rexiſſe indicare de ſe ipſe videtur ad Lizicum ſcribens*[2]; *ubi* βῆμα *illud ſuum extollit, quod nos docentis cathedram interpretari maluimus. Notum eſt enim præter vulgatiſſimam illam partis in Eccleſia excelſioris ſanctiorisque ſignificationem, alia ſignificare.* Locum dicendi in concione, & locum dicendi in judicio *in antiquiorum Græcorum ſcriptis interpretatus eſt Budæus; ſed ad locum quemcumque alium excelſiorem transfertur: atque ita novimus Manichæos* βῆμα *appellaſſe feſtum diem, quo Manes occiſus eſt, quod excelſa ſede poſita, ad quam per quinque gradus aſcendebatur, celebraretur. Aliàs apud Noſtrum ſedes ſive poteſtas cum* Regia *tum* Eccleſiaſtica *hoc nomine venit. Atque ita in illa inagurali oratione* διχῆ γὰρ, *inquit,* τῆς καθ' ἡμᾶς ἁπάσης διῃρημένης ἀρχῆς., καὶ δυσὶ συνδιανενεμημένης τοῖς βήμασι, τῷ ἱερατικῷ φημὶ, καὶ βασιλικῷ: *& in orat. ad Alexium Ariſtenum, eidem Nomophylaci & Orphanotropho tribuit* τὸ συγκλητικὸν τε ἅμα καὶ ἱερατικὸν βῆμα.

Plerique Monachum fuiſſe Teodorum noſtrum volunt. Et profectò, ſi unum eumdemque facimus, ac Ptochoprodromum illum de quo diximus, non poſſumus aliud ſtatuere. In iis enim verſibus, quos ſuperius indicavimus, id de ſe aperte narrat, ubi de aliorum elegantia ſcribendi dixit; ἐγὼ δ' οὐχ οὕτως γράφω, ὅτι γὰρ ἀγράμματος εἰμι, καὶ νέος ῥακενδύτης καὶ μοναχὸς τῶν ἀτελῶν,

1 Lib. VIII. num. 24. 2 Epiſt. 3.

λῶν, τῶν μηδὲν κεκτημένων. *Congruere hæc ſatis videntur cum iis quæ ad Lizicum ſcribit*[1] τὰ δ' ἡμέτερα ἀλυτοῦμεν *&c.* & ep. 1. *de ſolitudine ſua. Ut enim horum temporum ſcriptor Nicetas*[2] δέον ἐν τόποις δυσεννήτοις καὶ χωρίοις πανερήμοις τοῖς μονάζουσιν ἀποτάξαι τὸ σκήνωμα. *Quod ſi in Orphanotrophio poſtea vixit; fuiſſe ibi* καὶ μοναζόντων καὶ μοναζουσῶν καταγώγια, *Zonaras & Anna locis allatis narrant. Contra vero, quid eſſet, cur Monachus de capillo tantopere quereretur, quod capite fluxiſſet, ut ipſe facit* epiſt. 10.? *aut qui monacho idem conveniret unguento delibutus, ut habet* epiſt. 13.? *De Monachorum tonſura his temporibus, teſtis eſt Cedrenus, qui de Michaele Calephate a Zoe de imperio dejecto ſcribit,* ἐν τῷ κατὰ τὴν νῆσον πρώτην μοναστηρίῳ τὴν κοσμικὴν ἀποθέμενος τρίχα τὸν λοιπὸν τῆς ζωῆς διήνυσε χρόνον: In inſulæ Potes Monaſterio mundanum deponens capillum reliquam vitam exegit. *Verum, cum nunc quoque Græcos Monachos videamus capillo aliquanto longiore uti; & cum apud Latinos, non id facere* Eccleſiaſticam tonſuram, *ut crines reſecandi omnino ſint; rem plane apud me conſtituere non poſſum: etſi, ut verum fatear, in eam partem inclinat animus, quæ ponit, a Ptochoprodromo, qui ſe etiam Ilarionem monaſtico nomine vocat, fuiſſe Prodromum noſtrum diverſum.*

Verſus, quibus in Baream ſive Baryn ſcribens, parentibus ſe ortum probis narrat, optimiſque diſciplinis inſtructum, & de avunculo Epiſcopo loquitur, affert Fabricius.

1 Epiſt. 4. 2 In Man. Comm. lib. 7. num. 3.

bricius. Mirum eſt Koenigium, Prodromum ipſum noſtrum Epiſcopum facere Cotyæi in Phrygia; & ſcribere, eumdem floruiſſe ſæculo V. *Fabricius, quo auctore vel teſte id ille dixerit, fatetur ſe ignorare. Arbitror tamen, in errorem inductum a Cyri nomine, quod nonnulli ei tribuerunt, quod legerent* κύρȣ θεοδώρȣ τȣ̃ Προδρόμȣ: *Cyrum vero illum celebrem ſub Theodoſio juniore olim CPlis Præfectum, poſtea Smyrnæorum Epiſcopum, ſunt qui Cotyæi Epiſcopum fuiſſe volunt, ut Baronius* [1] *tradit. Supervacaneum vero eſt admonere,* κύρȣ *pro* κυρίȣ *dixiſſe, maxime ævi ſequioris Græcos, adeoque titulum honoris eſſe illud, non nomen in Theodoro noſtro, uti animadverterunt jam multi, Barthius, Gaulminus, Fabricius &c. Ceterum ætas Theodori, præter ea quæ ſuperius diximus, confirmatur ex his epiſtolis noſtris; ex poſtrema ſcilicet quæ ad Gregorium ſcribitur* ὅτε ἦλθε πρὸς τὸ νησίον ὁ ἁγιώτατος ἡμῶν δεσπότης ἀπὸ τȣ̃ πατριαρχίȣ ἀῤῥωστήσας καὶ παραιτησάμενος: quando ad Inſulam venit Sanctiſſimus Dominus noſter e Patriarchatu poſt morbum & abdicationem. *Nemo hic non agnoſcet Michaelem II., Oxiten dictum; qui cum an.* 1143. *Leoni Stypþiotæ ſucceſſiſſet, poſt annos duos, menſeſque octo, quos ejus ſedi Philippus Cyprius, atque omnes alii Patriarcharum catalogi tribuunt, ſe Patriarchatu abdicavit, ut Nicetas* [2], *& Cinnamus* [3] *ſcribunt. Atque hinc confirmatur, quod erat ex aliis monumentis conſtitutum a nobis, floruiſſe Prodromum, uſque ad an.* 1143.; *addere etiam poſſumus ad an.* 1146. *Hæc*

1 Ad an. 446. 2 Lib. 2. num. 3. 3 Lib. 2. &c.

Hæc longius fortaſſe de Scriptore noſtro, de quo ſunt ferme omnia, ut vides, obſcuriſſima: nec tamen nos aliquid non illuſtrare cupimus. Quod epiſtolas ſpectat, ſunt illæ numero XIV. *magnam partem officioſæ, quæque ab aliis acceptas epiſtolas laudant, aut eaſdem expetunt, non ſine aliqua intermiſſionis earum querela. Eloquentia tamen hominis extat plane ſingularis, quæ in eodem argumento, eoque vulgari, habet nihilominus ſemper aliquid quod delectat. Moroſis præſertim hominibus, qui genus illud faſtidient redundantis & quaſi laſcivientis orationis, reputandum eſt, non aliter ſcribere hoc tempore conſueviſſe qui apud Græcos doctiſſimi atque eloquentiſſimi habebantur, imo Hiſtoricos ipſos, ut ex Niceta, Anna Comnena, aliiſque conſtat. Reſtat ut de Interpretatione mea dicam. Et primum, cur Italice vertere has Prodromi litteras maluerim? Verum hoc ex me qui moleſtiſſimum hoc tricoſiſſimumque interpretandi negotium aliquando ſuſceperunt, eos quæſituros non puto. Satis enim norunt, quanto commodius Græcis Italica reſpondeant, quam Latina. Cur igitur minus hoc mihi moleſtiæ non caperem? minus etiam lectoribus, quos ferme Italici ſermonis non imperitos obventuros mihi ſperabam, exhiberem? Poſtea tamen, cum eſſent qui latinam interpretationem flagitarent, totum id negocii amico dedi, qui noſtram cum vidiſſet, e Græcis tamen ſuam adornavit. Itaque ſi hæc alicubi diſcrepat a mea, non recuſo, quominus illi potius lector hæreat quam meæ. Ego in Græcis exprimendis paulo fortaſſe liberius verſatus ſum. Nolebam enim, Italica*

lica

lica legentem, non tam Italica verba & ſermonem noſtrum invenire, quam Græcum ſeu barbarum. Sed ut in ceteris, ita hic multo magis ſua cuique ratio & conſilium placet. Ut Græca darem correctiora, ad Vaticanum Codicem CCCV. *quem ſuperius deſcripſi, confugi; attulit etiam opem aliquam in nonnullis quæ continebat, ejuſdem Vaticanæ Bibliothecæ codex Othobonianus. In* variantibus *lectionibus exhibendis, ſive emendandis noſtris, primum indicavi littera C., ſive eum,* Codicem Vaticanum *præciſe appellavi, alterum O. idest Othobonianum. Admoneo tamen nonnulla adhuc videri corrupta in Græco textu, quæ ex codicibus his reſtitui nullo modo potuerunt; & ex conjectura ipſe mea ſum interpretatus: in aliis etiam quæ ſunt integra, non aſſecutum me Scriptorem meum aliquando, credo. Sed nimirum ignoſcet hoc mihi, qui recentiorum Græcorum libri, novis ſæpe vocibus aſperſi, exemplis, jocis,* alluſionibus *quas appellant, aliiſque hujuſmodi referti, quam ſint obſcuri, non ignorant; vel etiam credent affirmanti, feſtinanter hæc, aliiſque diſtrictum, occupationibus ſcilicet quæ muneris mei ſunt, veluti ἐν παρόδῳ ſcripſiſſe.*

ΤΟΥ ΦΙΛΟΣΟΦΩΤΑΤΟΥ, ΚΑΙ ΛΟΓΙΩΤΑΤΟΥ ΚΥΡΙΟΥ ΘΕΟΔΩΡΟΥ ΤΟΥ ΠΡΟΔΡΟΜΟΥ ΕΠΙΣΤΟΛΑΙ.

I. ΤΩ ΕΦΟΡΩ.

Ἡμεῖς μὲν, ὀλβία μοι καὶ σοφωτάτη ψυχὴ, τρίτην ταύτην ἡμέραν ὅλως, ἀναπεπταμένοις ὠτίοις τῆς ἱερᾶς σου χελιδόνος ἐαρινόν τι μέλος καραδοκοῦντες καθήμεθα. ἡδὲ οὐκ οἶδ' εἴτε τὴν ἡμετέραν ἐρημίαν βδελυττομένη, εἰώθασι γὰρ χελιδόνες τὰς πολυανθρωποτέρους τῶν χώρων μᾶλλον περιλαλεῖν, εἴτε τὸ περὶ ἡμᾶς δυσχείμερον δυσχεραίνουσα, σιγᾶν ἐθέλει καὶ ἔτι, καὶ τὴν μελῳδίαν διαναβάλλεται. διαφθονουμένη μὲν ἡμῖν τοῦ μέλους, οὐκ ἂν εἴποιμι, ἀναξίους δ' ἴσως κρίνουσα τῆς ᾠδῆς. ἀλλὰ μὴ σύγε ὦ βελτίστη μοι χελιδόνων, μακρὰ σιγήσαις τὸν χειμῶνα ἡμῖν ἐπιτείνουσα. ἀλλ' ᾆσον, καὶ τὸ τῆς θυμηδίας ἔαρ τῇ ᾠδῇ συμπαρένεγκαι. εἰ γὰρ καὶ μίαν χελιδόνα ἔαρ ἀκούομεν μὴ ποιεῖν, ἀλλὰ

σύ

LETTERE

DEL DOTTO ED ELOQUENTE SIGNORE

TEODORO PRODROMO

AD EFORO.

SOno oramai tre dì interi paſſati, o felice e ſaggio amico mio; e noi colle orecchie teſe ſtiamo aſpettando il canto di primavera della ſacra rondine tua. E queſta, non ſo ſe ſdegnando queſto noſtro deſerto (perchè le rondini ivi ſogliono parlare più ove è degli uomini la frequenza maggiore) ovvero patir non potendo il freddo, che fa quì tra noi, sì vuole eſſa tacere, e va procraſtinando il canto ſuo. Perchè non dirò io, che ſottraer ce lo voglia del tutto, forſe noi di eſſo reputando affatto indegni. Deh non tacere o rondine più di ogni altra cara, allungandoci troppo l' inverno col tuo tacere. Deh canta, e col can-

σύ γε τοῦτο ποιήσῃς, ὅτι τοι καὶ τῶν λοιπῶν χελιδόνων ὑπέρκεισαι. εἰ γὰρ ὁ εἷς, μυρίοι, παρ' Ἡρακλήτῳ, ἐὰν ἄριστος ᾖ πάντως, καὶ ἡ μία χελιδὼν ἀντὶ μυρίων λογίζοιτο ἂν, ἐὰν κληρῶται τὸ ἄριστον. μυρίαι δὲ χελιδόνες θᾶττον πάντως ἔαρ ποιήσουσιν, ὡς ἔγωγε ἤδη καὶ τὴν ἡμέραν ἐαρινὸν γελῶσαν ὁρῶ, καὶ τὴν βοτάνην ἠρέμα τῆς γῆς ὑποφυομένην, καὶ τοῖς ἄνθεσιν οἷον τὰ δένδρα τριχούμενα. μετὰ τοιούτων σε τῶν ἐλπίδων, ὦ ἱερὰ σειρὴν, περιμένομεν· μὴ γοῦν ἐπὶ τῶν ἐλπίδων ἔτι καθῆσθαι ἡμᾶς ἀπολίπῃς, ἀλλ' ἄμειψαι γραφῇ τὴν γραφὴν, μὴ δυσχεράνας, ὅτι τοι ἀντὶ χαλκέων δίδως τὰ χρύσεα, ἀλλὰ μᾶλλον γήλους [1] ὑποπλησθεὶς, ὅτι ψυχὴν ἀνακτᾷ μυρίων ἀνιαρῶν κατακωχιμένην [2] ἔρρωσο.

LET-

1 γήθους Cod. Vat. 2 Ita in Cod. noſtro : ſenſus ſatis manifeſtus, vera lectio obſcura ; forte κατακωκυμένην *plorantem*.

SAPIENTISSIMI ATQUE ELOQUENTISSIMI DOMINI THEODORI PRODROMI EPISTOLÆ :

EPHORO.

NOS quidem , o ſapiens fœlixque anima , poſt tertium ipſum diem , arrectis auribus ſacræ hirundinis tuæ carmen expectantes ſedemus . Hæc autem , neſcio an noſtram hanc ſolitudinem averſata (conſuevere enim hirundines in frequentiſſimis locis eſſe loquaciores) an frigidæ hujus tempeſtatis pertæſa , tacere adhuc vult , cantumque ſuum differre pergit in dies . Neque enim nobis illum invidere dicam , indignos forte nos eo eſſe cenſens . Ne taceas o hirundinum optima , ſilentio tuo hyemem nobis diuturniorem efficiens ; imo cane , cantuque , veris nobis voluptatem repræſenta .

Etſi

tare il ſollazzo a noi ne porta della primavera. Benchè udiamo noi dire, che primavera non fa rondine ſola; ma sì che tu la farai, la quale le altre tutte avanzi: e ſe giuſta Eraclito, uno il quale ottimo è, vale per diecimila; ed una rondine pure, dove ottima s' incontri eſſere, dovraſſi per diecimila computare. E diecimila rondini ſaranno ben preſto la primavera; ſicchè io già ridente veda il giorno ſuo, e l'erba ſoavemente dalla terra ſpuntare, e gli alberi con quella come capellatura di fiori, coperti. Con tali ſperanze noi sì ti aſpettiamo, ſacra Sirena. Non permettere dunque, poichè abbiamo queſte concepute, che reſtiam noi così; ma lettere cambia con lettere, nè ti diſpiaccia, perchè debba tu dare oro per bronzo; riempiti anzi di gioja, che un anima ravvivi da mille afflizioni ſopraffatta. Addio.

Etſi enim dicere ſolemus; ver ab una hirundine nequaquam effici; facica tu tamen, quia reliquas hirundines antecellis. Si enim unus qui optimus ſit pro decem millibus eſt, juxta Heraelitum; & una hirundo pro decem millibus computari debet, ſi eveniat eſſe illam optimam. Hirundinum vero decem millia celerius omnino ver facient; ut & ridentem vernum ego diem videre poſſim, & herbam e ſolo molliter erumpentem, atque in capillorum morem arbores floribus onuſtas. Hanc ſpem foventes te, o ſacra Syren, expectamus. Ne ergo poſtquam hoc ſperavimus, adhuc ita morari ſinas, ſed epiſtolis epiſtolas repende; nec dedignere; quod pro ære tu aurum exhibeas; gaude potius quod animum leves ſexcentis ærumnis obrutum. Vale.

II. ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ ΕΠΙΣΤΟΛΗ ΤΩ ΛΟΓΟΘΕΤΗ ΚΥΡΩ ΣΤΕΦΑΝΩ ΤΩ ΜΕΛΗΤΙ.

Εἶπα σύ μοι λέγε τὸν ὑμηττὸν, καὶ τὰς σειρῆνας ἀρίθμει, καὶ τὴν θηβαίαν [1] λύραν προστίθεσο, εἰ βούλει δὲ, καὶ τοὺς [2] αὐλοὺς Ὀλύμπου, καὶ τιμοθέου, καὶ τὴν κιθάραν Ἀρίωνος, ἃ πάντα πάντως ἀηδῆτε [3] καὶ ἄμουσα πρὸς μίαν ταύτην ἐπιστολὴν συγκρινόμενα. ἡλίκον γὰρ, ὦ μέγιστε ἀστέρων ἥλιε, τὸ ὑπερβάλλον τῆς ἡδονῆς αὐτῇ ἐγκατέσπαρται. ὅσῃ μὲν τῇ ὑψηλῇ θεωρίᾳ θεαγωγεῖται τὸν νοῦν, καὶ μετεωρίζεται; ὅσα δὲ τῷ ἀττικουργεῖν τὴν λέξιν περιανθίζεται; οὐχ οὕτω Μύρων οὐ [4] χαλκετύπει, οὐκ οὕτω Φειδίας ἔγραφεν [5], οὐχ οὕτως Ἀρχιτέλης ἐλάξευε, καὶ ὁ μὲν τὸν ἀνδριάντα, ὁ δὲ τὴν εἰκόνα, ὁ δὲ τὴν στήλην, ὡς εὐφυῶς ἄγαν καὶ ὡς εὐρύθμως ἐδημιούργουν, ὡς σὺ τοῦ λόγου πλάττεις τὸν ἀνδριάντα, θεσπεσία μοι κεφαλή. ἀλλ' ἔλαθον ἐμαυτὸν, ἀνδριάντα λόγου τὴν σὴν ὀνομάσας γραφήν. ὁ μὲν γὰρ ἀνδριὰς τεχνητῶς τὰ ἔξω περιπλασθεὶς, οὐκ ἔτι καὶ τὸ τῆς ψυχῆς κεκλήρωται χρῆμα. τοῦτο γὰρ ἡ φύσις μόνον τῆς τέχνης ὑπέρκειται. τὸ [6] δὲ σὸν γράμμα καὶ σῶμα μὲν ὡραῖον ἔξωθεν περιπέπλαστο, καὶ ψυχὴν δ' εὐτύχει [7] ἔνδοθεν μουσικήν. οὕτως ἑαλώ-

1 O. θηβαίου. 2 O. τούς. 3 O. ἀηδῆ τε. 4 O ἐχαλκοτύπει.
5 Mirum eſt Noſtrum, Phidiam pictorem facere, cum πλάστης vocetur a Plutarcho in *Pericle*: & opera quæ Pauſanias aliique Phidiæ memorant, ſtatuæ ſint. De Phidia Abb. Gedoyn tom. XIII. *mem. des liter. des Ac. des Inſcr.* 6 O. δέ σου. 7 O. εὐτυχεῖ.

LETTERA DEL MEDESIMO AL SIGNORE LOGOTETA STEFANO MELITO.

O Va, e dimmi ora d'Imetto, e conta le Sirene, e ponmi avanti la Tebana lira, e ſe vuoi pure, le tibie d'Olimpo, e di Timoteo, e la cetera d'Arione: le quali coſe tutte, con una ſola delle lettere tue paragonate, certamente che meno grate, e rozze totalmente ſaran riputate. O Sole delle Stelle maggiore, quanto di ſoprabbondante dolcezza vi è in quelle lettere ſparſo! con quanto altiſſima viſta vien la mente a Dio guidata e ſublimata! come l'Attico parlar vi fioriſce! Non così Mirone in bronzo ſcolpì, nè così Fidia dipinſe, ò Architele lavorò; Mirone una ſtatua, una imagine Fidia, una colonna Architele, e con maeſtria grande e proporzione lo fecero, come tu, o uomo divino, di un parlar virile l'idea rappreſenti come in una ſtatua. Sebbene ho io errato, ſtatua chiamando lo ſcriver tuo. Perchè d'una ſtatua l'artificioſo lavoro, nell'eſterno ſolamente conſiſtendo, potere non ha di darle l'anima. Queſto è quel ſolo, in cui è l'arte dalla natura avanzata. Ma la tua lettera, ed è nel corpo ſuo eſteriore un bel lavoro, ed a queſto con mirabile accordo l'anima di dentro corriſponde. Così legati

λώκειμέν σου ταῖς μικραῖς συλλαβαῖς [1], μεγίστη ψυχῆ. οὕπω σου τοῖς ὀλίγοις ἠνδραποδίσθημεν. οὕπως ἐκ τῶν ὤτων δεθέντες εἱλκύσθημεν τὸν γλυκὺν τοῦτον ἑλκυσμὸν καὶ δεσμόν. ἄλλον [2] μὴ διαλίπῃς, καὶ [3] ἐπὶ τῇ χρυσῇ σου τῶν ἐπιστολῶν μηρείνθῳ δεσμῶν καὶ ἕλκων ἡμᾶς. λύεις γὰρ μᾶλλον οὕπω δεσμῶν, καὶ οὕπως ἕλκων [3] ἑδραιοτέρους μᾶλλον ποιεῖς.

1 O. μεγίστη ψυχή, atque hanc lectionem ſecuti ſumus in interpretatione.
2 pro ἀλλά. O. ἀλλά. 3 C. ἔτι .(12) O. ἑδραιοτέρας.

EJUSDEM EPISTOLA LOGOTHETÆ DOMINO STEPHANO MELETI.

Dicas mihi deinceps Hymettum, & numeres Sirenas, & Thebanam lyram proponas, & ſi vis etiam Olympi tibias, atque Timothei, necnon citharam Arionis; quæ omnia omnino minus jucunda & dulcia judicabuntur, ſi cum una tuarum epiſtolarum conferantur. Quanta enim (per ſolem illum qui ceteris ſtellis præſtat) effuſiſſima voluptate aſperſæ ſunt! quanto ſublimi contemplatione rapitur ad Deum mens atque erigitur! quantum floret in eis Atticus ſermo! non ſic Myron ære ſcalpſit, non ſic Phidias depinxit, nec ſic Architeles polivit; ille quidem ſtatuam, alter imaginem, hic columnam; atque

III. ΤΩ ΑΙΞΙΚΙ.

ΟΥΚ ἀγαθόν σε παῖδα, μεγαλεπιφανέστατε Λίζιξ, ἡ φιλοσοφία, ὡς ἔοικεν, ἐξέφερεν, εἰ ὑπὸ ταχὺ τῆς τε μητρὸς, καὶ τῶν, οὐκ οἶδ' εἴτε συναίμων εἴπω, εἴτε συντρόφων ἐπιλελήσεσθαι ἔμελλες, καὶ καθυπερφρονῆσαι ὅλων προδρόμων, ἐξ ὧν πολλάκις ἐναργῆ τὰ τῆς φιλίας ἐκομίσω τεκμήρια. ὅμως καλῶς ἐκεῖνο ἐῤῥέθη τῷ

ſcalcum, de regimine Principum libellus aureus incipit feliciter. *Atque hoc opuſculum non aliud eſſe quam ipſam hanc epiſtolam idem vir doctus denique cognovit. Occurrit deinde in codice noſtro abſque ullo titulo fabula Boccatii ultima latine a Petrarcha verſa edita* tom. I. Baſil. edit. pag. 541. *hoc titulo* de obedientia ac fide uxoria mythologia. *De hac interpretatione latina fuſe Dominicus M. Manni in* hiſt. Decam. *Tertiò epiſtola* Altiſſimum hujus regionis montem *in utraque editione Veneta & Baſileenſi* I. libri IV. *uti hic etiam numeratur, inſcriptione tamen prorſus diverſa. Nam cum in editis legatur* Joanni Columnæ, *in codice hoc noſtro titulum habet* Epiſtola ad fratrem Dionyſium de Burgo S. Sepulcri. *Huic magis quam illi, mihi quidem convenire videtur. Ioanni enim dum ſcribit, non dicam magis eum appellare familiariter, ſed ita certe, ut minus convenire in illum videantur quæ præcipue in extrema epiſtola poſuit. Vide eam ſi lubet & 8. lib.* II. Baſileenſ. edit.. *Quid illa?* univerſa percurram, præfatus illud Auguſtini tui. *Nonne hominem Auguſtinianæ familiæ deſignat qualis erat Dionyſius? Alia ſunt quæ inſcriptionem illius epiſtolæ reſtituendam perſuadent, ex codice noſtro; atque hanc aliis annumerandam quæ Petrarchæ ſunt ad Dionyſium eumdem, & recenſet Gandolphus* de Scriptor. Auguſt. pag. 123. *Nec vero dubito, qui diligenter eam legerit mihi eſſe conſenſurum. De Dionyſio hoc, ejuſque præſenſione rerum futurarum egregium extat teſtimonium Io: Villani* lib. X. cap. 87. *idque idem Petrarcha ſignificat de illius morte ſcribens ad Robertum Regem* So-

Solamen vitæ quoniam Rex optime perdis
Non mediocre tue, quis tecum conſulet aſtra
Fatorum ſecreta movens, aut ante notabit
Succeſſus belli dubios, mundique tumultus:
Fortunaſque ducum varias &c.

Atque ibidem patriam Dionyſii deſignat

Nobilis hunc igitur fato ſpoliata decore
Auſonia, hunc Burgus ſancti gemit ipſe ſepulcri.

Carmen aliud Petrarchæ inſcribitur Dionyſio de Burgo Sepulcro tom. 3. operum. edit. Baſil. pag. 80. *Familia* de Rubertis *fuiſſe illum ajunt. Additur in eodem codice noſtro dies ſcriptæ epiſtolæ & locus*, Kal. Majas Malauſanæ. *Quartò eſt ibidem epiſtola* Præcipitium horret, *quam diximus in Baſileenſi editione* tom. 1. pag. 531. *eſſe poſitam, atque hoc quidem titulo* de pacificanda Italia exhortatio ad majeſtate ſacroſanctum Principem Carolum IV. Rom. Imp. *In editione Veneta ultima ea eſt epiſtolarum ſine titulo* Franciſci Petrarchæ ad Invictiſſimum Cæſarem Dominum Karolum IV. Romanorum & Bohemiæ Regem illum, eò quod tardius Italicis rebus providerit incuſantis, & ut bonis conſiliis moram nullam facere dignetur exhortantis, ſimul ex antiquitate virtutem & excellentiam Urbis Romæ deſcribentis. *In codice noſtro hunc titulum habet*; Epiſtola miſſa Karolo Imperatori ante ejus coronationem: *Additurque epiſtolæ inſcriptionem hanc eſſe*; Invictiſſimo Cæſari noſtro D. Karolo Dei gratia Romanorum Regi. *Extat vero in fine ſubſcriptio* Tuus Franciſcus de Petrarcis

Laurea-

laureatus de Florentia. *Quinctò habet idem codex epiſt. in Baſileenſi editione* XVIII. *epiſt. ſine titulo, hac inſcriptione* Amico : *in Veneta bis, ut diximus, invenitur inter epiſtolas* ſine titulo XXII.& Senil. *lib.* XV. 6. *inſcriptione tamen diverſa; nam eſt primo loco* Ad quemdam doctum adoleſcentem & eloquentem; *in altero* Ad fratrem Ludovicum Marſilium ord. S. Auguſtini. *Poſtremam hanc inſcriptionem probat noſter codex in quo eſt hic epiſtolæ titulus*; Epiſtola Domini Franciſci Petrarchæ miſſa cuidam fratri Ludovico fratri cariſſimo ſuo. *De Ludovico hoc præter Gandolphum & ceteros Auguſtiniani ordinis hiſtoricos; item Florentinorum Scriptorum laudatores Bocchium* p. 13. *Pocciantum, Nigrum; fuſe vir doctus qui ejus epiſtolas una cum epiſtolis* B. Joannis Cellarum *vulgavit Florentiæ an.* 1720. in Præfatione pag. XXII.: *ſubſcriptio vero huic epiſtolæ in mſ. codice noſtro ſimilis ſuperiori. Sequuntur vero* Pſalmi Pœnitentiales *qui in Veneta editione poſiti ſunt poſt epiſtolas ſine titulo, in Baſileenſi* tom. I. pag. 369. *Poſt Pſalmos epiſtolæ duæ quas repræſentavimus, quod necdum editas eſſe ſuſpicemur. Deinde extat quæ in Veneta editione eſt prima epiſtola libri* IV. Senil. Non vereor: *in Baſileenſi* tom. I. p. 386. *hoc titulo*; De officio & virtutibus Imperatoris liber. *Atque epiſtolæ huic (nam ita eam malumus appellare) hæc adjicitur in codice noſtro ſubſcriptio* Franciſcus tuus, ſe. Patavii Kal. Aprilis, *ac deinde*, A tergo vero ſcriptum eſt. Aſſignetur viro inſigni Domino B. (*Benintendio*) Cancellario Venetiarum

G mit-

mittenda Domino Luchino de Verme magnifico capitaneo felicis exercitus Venetorum .

Magnifice Domine . Ecce quantum multo pluris facio, quam aurum, equos, vel arma, quæcumque vobis conferri vel dari a quovis rege vel principe potuiſſent . Mitto inſignem epiſtolam mihi miſſam de Patavio per reverendum meum Præceptorem & dominum, Dominum Franciſcum Principem poetarum , ut vobis quantocius mitteretur . In qua multa utilia & decora legetis , immarceſcibilem veſtris titulis addicentia gloriam , & calcar maximum ad virtutem . Chriſtus , quem cum aliud nequeam , pro felicibus veſtris ſucceſſibus frequens oro , optatam concluſionem injuncti vobis negocii , voſque victorem & incolumem cito nobis repræſentare dignetur ſua ineffabili pietate .

Datum Venetiis XXI. Aprilis

Benintendi Cancellarius Venetiarum totus veſter ſi quid eſt .

A tergo vero . Egregio & potenti militi & Domino ſuo Domino Luchino de Verme honorabili Capitaneo generali exercitus terreſtris Venetorum contra Cretenſes .

Ex quo quidem diſcimus , Petrarcham epiſtolam illam ſuam (atque epiſtolis bene olim fuiſſe annumeratam vel hoc Benintendii teſtimonium probat) Luchino de Verme per Benintendium miſiſſe . Benintendius ſatis eſt celebris Petrarchæ ad ipſum litteris atque ipſius ad Petrarcham & Modium Parmenſem. Variar. *Petrarchæ* 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. *De-*

Denique in codice noſtro legitur epiſtola Bene habet *libro* IV. *Senilium* 2. *in Veneta editione* ; *in Baſileenſi* I. , *inſigni errore inſcriptionis* Muchino Veremio. *Hic vero titulum habet hujuſmodi* . Ad egregium & inſignem virum Luchinum de Verme militem Veronenſem , Venetorum adverſus rebellantem Cretam belli ducem , congratulatio ſuper feliciter ac celeriter parta victoria . *Subſcriptio vero*, Franciſcus Petrarca tuus , Venetiis IIII. Id Junias . *Ex rerum Venetarum Scriptoribus liquet, bellum hoc Creticum ſuſceptum an.* 1464. *qui etiam de Luchini virtute ac dexteritate in re militari multa* ; *ceteris brevius Io: Baptiſta Verus* lib. 2. ad h. a.

Sed ut ad litteras a nobis vulgatas aliquando veniamus ; *ſunt illæ duæ quæ Petrarchæ tribuuntur in codice noſtro* , *& ſcribuntur nomine Io: Galeacii Vicecomitis* , *altera ad Delphinum* , *altera ad Cardinalem Bononienſem* ; *cum nunciatum eſſet, Galliæ Regem prœlio cum Anglis in captivitatem veniſſe una cum filio natu minore* . *Rem narrant rerum Gallicarum Anglicarumque ſcriptores* ; *ex noſtris diligentiſſime Matthæus Villanus* lib. VII. cap. 18. : *conſignant autem omnes anno* 1356. *Quamobrem dubitandum non eſt errorem irrepſiſſe in codicem noſtrum* , *ubi diſerte annus ponitur* 1366., *egregio documento* , *ab hujuſmodi librariorum vitiis* , *præſertim in numeris deſcribendis* , *nihil eſſe intactum* . *Ad Delphinum ergo ſcribit id. Carolum Normanniæ Ducem, qui regnum Galliæ poſtea adeptus*, Sapientis *cognomen ſortitus eſt* : *Rex vero erat Ioan-*

nes II. Philippi VI, filius. Bolonienſis Cardinalis, ad quem eſt altera epiſtola, erat Guido Roberti, ex Comite Boloniæ & Arverniæ ortus & Blanca filia Roberti Comitis Claromontani, filii natu minimi S. Ludovici Regis. Cum ergo propinqua adeo cognatione Regem attingeret, legatione ſæpius functus eſt, aliiſque negotiis gerendis præfectus. Extat inter notha Petrarchæ tom. II. Baſil. edit. pag. 1123. Nicolai Tribuni Romani ad Guidonem Boloniesem S. R. E. Cardinalem oratio. *De eodem Ciacconius* tom. 2. col 493.

§. 3. De litteris diffidantiæ Communis Lucæ, Colucj, Leonardi Aretini, Caroli Aretini, Porcelli.

Non antiquorum modo temporum, ſed horum etiam fuit, ſolemni quadam ratione, & quaſi formula uti in bellis indicendis. Voce ſæpius denuntiata ſunt; quæ denuntiationes verbis factæ, non vetuſtiſſimis modo temporibus de quibus Servius narrat [1], *ſed iſtis etiam,* Clarigationes *dictæ; unde &* clarigarius armorum *vox ipſa hac ætate uſurpata. Aliquando chirotecham, ſive* guantum, *aut* vanthum, *ut tunc dicebatur, adhibebant. In chronico Dominici de Gravina* [2], *Voyvada militibus convocatis hæc dicens inducitur;* Ecce per dominum Lodovicum Latinorum Regem ad prœlium invitamur per guantum in campo. *Et in Annali-*

1 Ad Æn. IX. 53. & X. 14.
2 Tom. XII. ſcript. RR. It. Murator. col. 647.

nalibus Mutinenſibus [1], *ad a.* 1297. Eo tempore Marchio Eſtenſis miſit Dominum Ludovicum de Petrezanis equitem & armigerum probum ad diffidandum Commune Bononiæ, & miſit guantum bataliæ: *nec tamen hujuſmodi mos ita certus erat belli indicendi, ut quandoque idem etiam, fœderis atque amicitiæ indicium non eſſet, ut ex* fabula IV. D. IV. *Boccatii liquet. Epiſtolis ſæpe miſſis bellum indictum eſt, quæ* diffidatoriæ, *aut præciſe* diffidantiæ *dictæ. In eodem codice noſtro multæ deſcriptæ ſunt hujuſmodi* diffidantiæ *Galeacii nomine; I. Franciſco Carrarienſi, quam recitant quoque Annales Mediolanenſes* [2], *& Chronicon Regienſe* [3]. *II. Antonio Scaligero. Hanc cum ſuperiore vulgavit etiam Corius in hiſtoria Mediolanenſi; atque huic alteri reſponſionem quæ in noſtro quoque codice reperitur. Dies tamen non congruunt, quibus datæ illæ litteræ dicuntur a Corio, cum noſtris. Nam altera apud Corium adſcriptum habet diem* 21. Aprilis; *hic* 17. Aprilis; *quod magis convenit diei quo reſponſio facta eſt, atque utrobique ponitur* d. 21. Aprilis. *Annus utrinſque* 1387. *Prima habet præterea in codice noſtro ſubſcriptum* Gancellarii *nomen,* Paſquinus. *Sequitur* II. diffidatoria *ejuſdem Galeacii Bononienſibus; quam vulgamus cum Bononienſium reſponſione. Denique alia Florentinis. Hanc recitat Leonardus Aretinus* [4] *inveniturque inter epiſtolas Colucii Salutati editas a Rigaccio* [5]. *Aretinus ſummam etiam reſponſionis refert, non*

1 tom. XI. col 74. 2 tom. XVI. col. 804.
3 Tom. XVIII. col. 97. 4 Flor. Hiſt. lib. IX. pag. 208. 5 P. I. ep. 8.

reſponſionem tamen ipſam, ut Recanatus ad Poggii hiſt: [1] *indicare videtur. Utramque*, diffidantiam *nimirum ipſam & reſponſionem habent, Annales Mediolanenſes* [2] *vulgavitque* [3] *Martene. Sed miratus ſum, virum erúditum, Ioannis Galeatii Comitis Virtutum hæc referre ad a.* 1490. *& ſæculo integro poſthabere. Illud etiam vereor, huic ut convenire epiſtolæ poſſit quod a Boninſegnio traditur* [4], *ſcriptam a Galeacio Florentinis Majo menſe. Etſi enim reſponſio facta eſt die* 11. *Maji*; diffidantia *data legitur apud Martene* Papiæ 18. Aprilis; *in Cod. noſtro* die ultimo Aprilis. *Ceterum de bello indicto Bononienſibus, litteris, quas hic exhibemus, fuſe* Chronicon *Bononienſe* [5] *deſcribens præconum veſtes ipſas atque ornamenta; ex quo forte ſua de iiſdem hauſit Pompeus Vizanus* [6] *Gaſpar Bombaci* [7], *Ghirardaccius* [8]. *Sed poſtremus hic nonnihil addit, quod ad rationem pertinet belli denuntiati per chirotechas una cum* diffidatoriis *litteris*. Mentre adunque in Bologna ſi facevano queſti apparecchi, entrarono Antiani Nanne Gozzadini, Egano Lambertini Cavaliere, Giovanni di Michele della Seta, Galvano Balduini dottore di Legge, Bruno Baldino, Andalo Bentivogli, Biagio di Dino, Azzone de' Bualelli, e Michel de' Sclaſſi. Nell' entrata de' quali comparvero in Bologna

1 Lib. 3. pag. 95.
2 col. 815.
3 Tomo 1. ampliſs. collect. col. 1612.
4 Lib. 4. H.
5 tom. XVIII. ſcript. Muraror. col. 540.
6 Lib. 5. pag. 247.
7 Lib. 2. vitæ Jo. Gozadini pag. 149.
8 Hiſt. Bon. tom. 1. pag. 437.

logna tre Trombetti uno del Conte di Virtù, l' altro del Marcheſe di Ferrara, ed il terzo del Signore di Mantova: e ciaſcuno di loro preſentò al Senato le lettere de' ſuoi Signori, con le quali sfidavano i Bologneſi a ſanguinoſa guerra; ſebbene nelle dette lettere ſi ſcuſaſſero eſſere forzati da giuſte cauſe (il che non era) a muovere l' arme contro la città di Bologna. Lette le lettere con lieta fronte accettarono li guanti inſanguinati, ed avendo fatti veſtire li tre trombetti con tre arme ricamate, della libertà di Bologna, del Re di Francia, e della Republica di Fiorenza fu loro comandato ſotto pena della forca che in termine di tre ore aveſſero ſgombrato il territorio di Bologna.

Ad Galeacium pertinet epiſtola Reip. Lucenſis quam ſcripſit Antonius de Tortona, atque ei gratias agunt pro Legatis humaniter receptis. Scripta videtur poſtquam Lucenſes in libertatem ſe aſſeruerant a. 1370. *& forte ad a. pertinet* 1388. *aut* 1387. *quando, ut Bonincontrius ſcribit in Annal.* [1], erat ea tempeſtate in omni Italia Galeacii potentia & robur, plurimum formidanda, præſertim a liberis Etruriæ civitatibus.

His epiſtolis ſubjecimus epiſtolam Colucj Pierii Salutati, quam inter alias necdum editas ejuſdem ſcriptoris ſelegimus, quod Paſquino ſcripta ſit Ioannis Galeacii, quem modo nominavimus, Cancellario. *Virum hunc, quem illuſtribus eorum temporum neceſſe eſt*

G 4 *fuiſſe*

1 Tom. 21. ſcript. Mur. col. 51.

fuiſſe annumeratum, mirum eſt ſileri ferme ab omnibus, qui ceteros luculenter celebrarunt; vel ab Ariſio ipſo Cremonenſium litteratorum hominum erudito laudatore in Cremona litterata : *quamquam ſcripſiſſe illum nonnulla ex codice ipſo noſtro planum eſt, in quo ejus nomine* Diffidatoriæ *Galeacii, ut diximus ſubſcribuntur. Illatam tamen hominis mentionem invenimus in hiſtoria Montisferrati Benevenuti de S. Georgio* [1]. L' anno milleſimo trecenteſimo octuageſimo ſettimo alli otto del meſe di Aprile l' Indizione decima, nella città di Pavia, in caſa dell' abitazione di Madama Bianca madre di Gio: Galeazzo Viſconte Conte di Virtù, dopo lungo trattato, fu conchiuſo il matrimonio tra madonna Valentina figliuola di predetto Gio: Galeazzo, e Ludovico Duca di Turonia &c. la coſtituzione della cui dote ſi contiene nell' iſtrumento ſopra di ciò rogato da Paſquino Capello figliuolo di Baldeſſarre Cittadino di Cremona. *Sequitur inſtrumentum ipſum, in cujus fine*; Ego Paſquinus de Capellis filius D. Baldaſſaris, civis Cremonæ, publicus Imperiali auctoritate notarius, conſtitutioni & ordinationi Procuratoris ſuperius nominati, & omnibus & ſingulis præſenti inſtrumento inſertis interfui, & hoc inſtrumentum per me rogandum, traditum & abbreviatum ad redigendum in publicam formam dedi infraſcripto Andreæ de Marinis notario Cremonæ, aliis occupatus, & ſolitum meum ſignum & nomen apponens

1 Tom. XXIII. ſcript. Murat. col. 611.

nens in teſtimonium præmiſſorum publice me ſubſcripſi. *Subjicitur ipſius Andreæ ſubſcriptio*; Ego Andreas de Marinis natus quondam Nicolai civis Cremonenſis, publicus Imperiali auctoritate notarius hanc cartam rogatam, traditam & imbreviatam per publicum Paſquinum Notarium ac prædicti illuſtris D. comitis Virtutum ſecretarium, de ipſius Paſquini imbreviatura ſeu protocollo, ex mandato ſuo fidelitate ſumpſi, extraxi, & exemplavi. *Eadem ferme habet in ſubſcriptione ſua*[1] *Ioannes Dempia. Ex quibus conſtat, Paſquinum hunc eumdem fuiſſe &* Notarium, *& Galeacii* Secretarium, *ſive* Cancellarium, *uti tunc etiam appellare mos erat; qui tamen aliorum, minorum ſcilicet* Notariorum *opera uteretur. Nam, ut cl. Muratorius*[2] honorificum olim fuit, & laudabilius etiam quam noſtris temporibus habitum eſt illud munus: *qui etiam nobilibus tantum viris licuiſſe eo fungi, aut ſaltem liberis, & non ignobilibus, docet. Itaque, ut idem admonet; inveniuntur interdum* Iudices ſacri Palatii, *qui ſimul etiam* notarios *ſe inſcribunt; imo qui ſimul dicatur* notarius & miſſus domini Regis. *Quamquam qui hujuſmodi eſſent viri inſignes aut majoribus rebus occupati, aliorum ſibi in ſcribendo notariorum operam adſciſcebant, ut hic noſter, vel his, quæ ſcribenda erant, dictabant. In Chronico Vulturnenſi*[3] *de diplomate Grimoaldi Ducis Beneventani*; Quam vero membranam conceſſionis di-

1 ibid. col. 627. 2 Diſſert. XII. Antiq. med. ævi.
3 Com. 1. part. 2. ſcript. Mur.

dictavi ego Wiſo Subdiaconus, ex juſſione ſupradictæ poteſtatis tibi Pergoaldo notario ſcribendum. *Ut ad Paſquinum redeam, floruiſſe illum prudentia & doctrinæ fama, ac liberalibus diſciplinis fuiſſe imbutum, etſi ex iis quas ſubnectemus Manzini epiſtolis abunde conſtabit; placet hic teſtimonium afferre Modii Parmenſis, ejus ſcilicet, quem celeberrimum faciunt Petrarchæ litteræ, quibus hominem ad convictum ſuum inſtitutionemque adoleſcentis cujuſdam vocat, & ſcriptorum ſuorum judicem eſſe vult*; Cupio equidem te, non ignarus magnorum tibi ac præpotentum hominum aulas patere &c. Si quæris igitur, ad quid te vocem, jam reſpondi, ad amicitiam, ad convictum ... in ſtudii mei partem veni; mea mihi magis probabuntur ſi tuo ſcripta ſint digito. Sperabo, ſi quid mihi, vel oblivione, vel incuria ſit elapſum, ſubterfugere manus tuas ingeniumque non poſſe. *Hic igitur Modius verſus quoſdam ad Paſquinum mittit quibus honorificentiſſimum ei teſtimonium perhibet, fuſius vero Galeacii victorias perſequitur. Etſi fortaſſe aliàs de Poeſi horum temporum dicturi ſumus, hic tamen Modii verſus illos in codice noſtro repertos deſcribemus. Nam una cum Paſquini cognitione aliqua, poeſeos illius temporis, quam, uno excepto Petrarcha, male nonnulli omnino jacuiſſe cenſent, ſpecimen extabit.*

Ad

1 Var. xix.

Ad litteratiſſimum virum, ſuumque Dominum ſingularem, Dominum Paſquinum Illuſtriſſimi Principis & excelſi Domini Mediolani &c. Comitiſque Virtutum Cancellarium digniſſimum.

Deliciæ Domini, Domini digniſſime Scriba,
Undique cui noſter ſupplicat orbis, ave.
Forſan & in Modio damnas oblivia, damnas
Otia Phœbeis invidioſa ſonis.
Quod mea ſopitis muteſcunt ora camœnis,
Nulla per Aonias fiſtula ſtridet aquas.
Otia cur tanto patiar torpentia ſomno,
Arguis? oblitum nec meminiſſe tui.
Parce, tuum quæſo, ſi fas eſt dicere, vatem
Non expectatis inſimulare notis:
Per ſacra, quæ comptis veneratur Roma ſacellis,
Jura, ſi quis adhuc ſanctus Oſyris erit.
Abſentem video; totus mihi viſeris abſens:
Te, quem non poſſum corpore, mente ſequor.
Arcus & arma meæ, mea ſunt & ſpicula, muſæ;
His tuus armato pectore miles ero.
Miles ero, te bella geram verboſa jubente,
Bellica pacificæ cedet & ira lyræ:
Et prius emeritum Titana recondet Hydaſpes,
Devius occiduo ſol orietur equo.
Certius a Ticino remeabunt flumina noſtro
Ad fontem, verſis Abdua curret aquis;
Quam tuus e noſtro labatur pectore vultus,
Hoſpite quo noſtri cordis abundat amor.

Fert

Fert animus, fateor, modo ſim tibi grata daturus
Carmina, de noſtro Principe multa loqui,
Cui tria felices juſſerunt numina fuſos
In ſua perpetuos vertere vota dies;
Cui favet invicti miranda potentia fati [1]
Omnibus optatur terris. Clementia quantos
Allicit, & juſti principis imperium!
Cernis ut acceſſit noſtris Verona triumphis?
Mœnia conſpicuis anguibus [2] alta micant.
Militat & nobis Atheſis; jam flumine pulchro
Ducit velivolas per vada noſtra rates.
Angue rubente ſtupent omnes a gurgite ripæ,
Adſtupet Adriaci quælibet ora maris;
Mirantur pueri, trepidant juveneſque ſeneſque,
Dum tulit ad Venetos imperioſus iter;
Noſtraque non ullo Vincentia facta tumultu
Diluit Euganei ſpem bene docta ducis,
Stravit iter nobis, aditum patefecit in omnem
Pannoniæ gentem, Theutonicamque domum.
Dum cæli, dum fata vocant, properemus & ipſi,
Protinus Illyricos exſuperare ſinus
Sic Anthenorei ſuperabimus ora Timavi
Se vectigalem Dardana tota dabit (bam
Carmina ſic quam multa tibi, quam plurima ſcri-
Otia dum tempus, dum locus apta dabit.

De Colcio ipſo nihil dico, quod fuſe de ipſo ejuſque ſcriptis Laurentius Mehus [3]. *Illud admonebo dumtaxat*

1 Abeſt pentameter in cod. 2 Stemma Vicecom. 3 par. 1. epiſt.

taxat eodem hoc codice noſtro contineri Colucii declamationes , ſive declamationem potius pro Lucretia, item ipſius accuſationem .

Proximum Colucio locum dedimus Leonardo Aretino , ei qui Cancellarii *Florentinæ Reip. munus obtinuit aliquot poſt Colucium annis ; eſtque ab eodem latinis litteris eruditus , ſive ad eas penitus cognoſcendas excitatus , ut ipſemet ad Colucii liberos ſcribit . De eodem (uti antea de Colucio fecimus) nihil dicemus ; quod & vulgo noti ſint , atque utriuſque epiſtolæ non ita pridem Florentiæ prodierint : Editor vero earum accurate ſane & diligenter de hominibus ipſis & ſcriptis agit , & noviſſime de Leonardo Cl. Apoſt. Zeno [1] item Philippus Bonamici [2] qui ejus etiam epiſtolam quamdam vulgavit. Rem tamen non ingratam facturum me lectoribus meis confido , qui guſtum aliquem habeant litterariæ hiſtoriæ; ſi cod. noſtros deſcribam quibus Leonardi opera continentur . Litterarum ergo habemus cod. duos , ut ego quidem arbitror, Leonardo ferme æquales. Primus complectitur partem primam omnem earum epiſtolarum , quas diximus Florentiæ editas a. 1741. , ac præterea 1. 2. & 5. libri* v. *quæ in alteram partem rejectæ ſunt ejuſdem editionis . Atque ordo quidem epiſtolarum mss. ita procedit ferme ut editarum ad quartam uſque libri* 1I. *Nam poſt eam interſeritur 3. libri decimi ; poſt 16. quarta ejuſdem libri ; & poſt. 21. quincta : deinde nuncupatoria Phedonis latine converſi quam hic vulgamus, 7. libri*

1 Diſſert. Voſſ. tom. 1. num . 21.
2 De claris Pontif. epiſt. ſcriptor. pag. 159.

7. libri VIII. *nuncupatoria fabulæ ultima Boccatii latine pariter facta de qua n.* 58. *Mehus. Cetera ordine eodem procedunt quo in editis ad tertiam libri* V. *nam ea & ſequens* 4. *omittuntur; quincta vero poſtrema eſt codicis noſtri, ut diximus. Alter codex continet tantum ſelectas; nimirum libri I.* 3. 9. 12. 14, 15. *II.* 11. 14. 20. *III.* 1. 5. 7. 8. *IV.* 5. 10. 22. 23. *V.* 4. 7. *VI.* 5. 6. 7. 8. 9. *VII.* 2. 7. 8. *Ex VIII. libro poſita eſt epiſtola Senenſibus, quam cum in editis non inveniremus, vulgandam cenſuimus, deinde* 2. 4. 7 8. *IX.* 1. 6. 8. 5. *Habetur poſtea epiſtola Caroli Aretini, quam pariter exhibemus. Sequuntur* Exempla exordiorum ſuper arte rhetorica Ciceronis edita per Gaſparinum oratorem Pergamenſem, *quæ multa ſunt;* Poggii contra Laurentium Vallam Invectiva, *Denique epiſtola Senatus Veneti Pontifici Sixto ſcripta* d. 24. Januar. 1483.

Quod alia pertinet Leonardi opera, De bello Punico *libros, tribus in codd. habemus. Primus eſt membranaceus* in fol. majori; *continet Livii decadem primam, deinde Leonardi de bello Punico libros tres; tum L. Florum. Ad finem Livianæ decadis legitur,* Tito Livio Patavino Hiſtoriographo præclariſſimo finem impoſui ego Johannes de Gayrardis de Mediolano die 21. Julii 1445. ad honorem & laudem omnipotentis Dei, & Beati Bernardini: *eadem vero manu ſcripta ſunt omnia. Alii ſunt codices duo membranacei pariter,* in minori folio; *atque in eorum uno poſt tres libros (quorum initium* I. non vereor; II. Reſponſo M. Attilj; III. Finito primo bello) *adſcriptum eſt;*

Expli-

Explicit bellum conductorum Charthaginenſium, & rebellium poſt primum bellum Punicum cum Romanis: *atque additur titulus libri ſequentis* Bellum Gallicum. *Initium ſit a verbis* Poſt patem. *Alter nihil notabile habet. Codex* IV. *chartaceus* in quarto *continet librum de inſtitutione adoleſcentium ad Ubertinum Carrarienſem ſine titulo. Sunt vero prima ejus verba*, Franciſcus Senior avus tuus. *Ad finem adſcribitur*, Pauli Vergerii de ingenuis adoleſcentibus ſingulare opuſculum feliciter explicit ſcriptum per me Matthiam Antonii MCCCCLIII. *Adjudicatum eſſe opus hoc aut ſimile quoddam Aretino, animadvertit cl. Mebus*[1]: *Sed hic quoque codex teſtis eſt, librum eſſe Vergerii. Sequuntur verſus nonnulli Latini; deinde* Iſagogicon *ſine titulo. In fine*, Leonardi Aretini Philoſophi cl. Iſagogicon explicit. *Denique conſolatio filio pro patris obitu, cujus initium eſt*, Res digna memoratu. *Codex* V. *charthaceus* in quarto *continet multa Ciceronis, aliorumque, atque inter hæc opuſculum hoc titulo*, Leonardi Aretini contra verſutos hypocritas invectiva; *de quo opuſculo cl. Mebus* n. 24. *Sequuntur Oeconomicorum Ariſtotelis libri duo latine verſi cum epiſtola ad Coſmum Mediceum. In fine appoſita eſt exſcriptoris adnotatio quædam, quam hic juvabit deſcribere*; MCCCCLXXIV. Baroli traſcripſi. In Epiro Civitas Santaren Venetorum a Turchis acriter dum oppugnaretur, Sixtus IV. P. M. me Silveſtrum de Datiariis Venetum, cubicularium Apoſtolicum, ad illas partes non cum parvis muneribus

1 De ſcriptis Aretini n. 17.

ribus commiſſarium ſuum deſtinavit, dumque Regis Fer. mandato in Apulia res frumentaria expediretur, nactus ocium, hunc conſcripſi libellum Baroli. Inde navim conſcendens, aliis onerariis ſequentibus; ventis maximis agitatus, tandem poſt duos & decem dies in Liricum tranſfretavi, gentes illas populoſque, pœne fractos repulſoſque, Religionem Chriſtianam defendentes, ad eorum ſalutem ſuam opinionem confirmavi. Anno Dom. MCCCCLXXIV. *De hoc quoque opere cl. Mheus nu.* 51.

Leonardum Aretinum laudavit Carolus Aretinus verſibus quos leges tomo VI. *carminum illuſtrium Poetarum Italorum editorum Florentiæ* 1720.[1] *cum aliis quibuſdam, ex quibus multum profeciſſe Latinam poeſim, poſtquam ſuperiori ſæculo quaſi poſtliminio revocata eſt, videbis. Eidem ſuffectus eſt Reip. Florentinæ* Cancellarius *ann.* 1443. eloquentiſſimo ac clariſſimo viro, *ut Blondus æqualis ſcriptor*[2] *narrat,* vir Græcis & Latinis litteris erudítiſſimus. *Denique mortuus menſe Aprili ann.* 1453.[3] *e regione Leonardi tumulum habuit in æde S. Crucis. Multa de eo Florentinorum præſertim ſcriptorum laudatores Pocciantus & Niger; quod nimirum Gregorius ejus Pater Dominici f., Minuccii Marſupini n., decrepita ætate, poſtquam aliquot annos* Cancellarii *munere functus fuerat Caroli VI. Galliæ Regis, & ejus nomine rexerat Genuæ urbem, Florentiam familiæ ſuæ*

1 Pag. 267. 2 In Ital. illuſtrata pag. 309. edit. Froben. 1559.
3 Non a. 1576. aut 1472. ut niger.

ſuæ ſedem delegit. Eum quoque cum laude commemorat Æneas Silvius [1] *Politianus* [2] *& teſte Ficino, Antonius Calderinus & Bindaccius Ricaſolanus. Sed multo luculentius Carolum ejuſque ſcripta illuſtraſſe audio virum clariſſimum Franciſcum Colleſcum, necnon eruditiſſimum Equitem Baccium Franciſcum Bacci* [3]. *Nos eam epiſtolam producimus, quæ ejus eloquentiæ, & Latini etiam candoris teſtis ſit; in qua Franciſco Sfortiæ Duci Mediolani gratias agit, quod ſe in doctorum hominum cœtum cooptaverit quibus ipſe delectabatur. Ex quo quidem colligimus, numerum præſtitutum virorum aliquot, qui litterarum laude florerent, & Ducis benevolentia aut etiam liberalitate uterentur, etſi abeſſent, aliiſque eſſent, ut Florentinorum Carolus, negotiis occupati. Poteſt ergo hæc Mediolanenſis inter litteratorum hominum* Academias *quas vocant, antiquiſſimas nominari; etſi hanc Mediolanenſem Quadrius, qui de Italicis hujuſmodi cœtibus fuſe agit* [4] *tacet; tacet etiam cl. Saxius in* Hiſt. Tipographico-litter. *ubi in* Prodrom. cap. 9. *de Franciſci Sfortiæ in litteras & litteratos viros multa; alibi vero de* Academiis *hujuſmodi inſtitutis, inter quas vetuſtiſſima quam Franciſcus Petrarcha* IV. *ab urbe lapide Linterni fundavit, omiſitque Quadrius in recenſione ſua.*

De Porcello (cujus epiſtolam Caroli epiſtolæ ſubjunximus) Voſſius fuſe, & ubi Voſſius peccavit, cl. Apoſt. Zeno [5] *inter*

H

1 In Hiſt. Europæ cap. 55.
2 In Epigr.
3 In Indice mſ. ſcriptorum Aretinorum.
4 In Hiſt. poeſ. lib. 1. p. 48.
5 Tom. 9. ephem. litt. Venet. & in Diſſert. Voſſian. tom. 1. pag. 55.

inter alia demonſtrans, unum hujus nominis ſcriptorem fuiſſe non duos, uti ſuſpicatus Voſſius fuerat, & Voſſium ſecutus Bailletus[1] *quod præter hunc ſæculi* XV. *alterum induceret æqualem Danti atque Petrarchæ. Idem cl. Muratorius* in Præfat. *ad ejus* commentarios[2] *ex locis ſcriptorum ipſius Porcelli, probat. De eodem Porcello præter laudatos ſcriptores & Toppium necnon Paulum Corteſium*[3], *Eminen. Card. Quirini in Diatriba præpoſita epiſtolis Franciſci Barbari; & Hieronymus Tartarottus, cujus verba de Porcello habes in* monito *præfixo* libro II. Commentar.[4] *ubi ex Montfauconio ſcripta Porcelli recenſet. Nuſquam tamen epiſtolæ ſive diſputationis hujus quam vulgamus de vita activa & contemplativa, utra utri præſtet, mentionem reperi factam. Et illa quidem nobis non inelegans omnino videtur, quicquid alii judicent de Porcelli oratione. Itaque probamus cl. Muratorii judicium qui* in Præfat. *de qua diximus, quod poeticam facultatem attinet, Volaterrano, Gyraldo, aliiſque conſentit, non magnam illi laudem tribuentibus*; At in hiſtoria contexenda, *inquit*, ita me Deus amet, nemo illi contendat elegantiam ſermonis, facilitatem atque facundiam. *Addo ad extremum, Porcellum hunc inter Hiſtoriæ Venetæ ſcriptores numerari a viro nobiliſſimo eodemque doctiſſimo Marco Foſcareno*[5].

§. 4.

1 In Jud. erudit. tom. 3. pag. 15.
2 tom. XX. ſcript. rer. Ital. pag. 68.
3 In Dialogo de hominibus doctis.
4 tomo XXV. ſcript. Murat. pag. 1.
5 in Hiſt. litterar. pag. 229.

§. 4. De epiſtolis Joannis Manzini de la Motta.

Ignoti ferme ſcriptoris epiſtolas producimus, nec illas quidem ſatis elegantes aut latine ſcriptas, ſed tamen meo judicio, hiſtoriæ præſertim litterariæ utiliſſimas. Multæ ſunt in eodem illo noſtro codice quem ſuperius nominavimus; de multis tamen ſelegimus paucas. Nec vero de ceteris quas omiſimus viſum eſt prorſus tacere, ut non ſaltem eos ad quos ſcriptæ ſunt (hominum enim illorum cognitio temporum cognitioni conducere aliquid poteſt), & argumentum ſingularum indicemus. Sed primo de his agemus, quas in lucem proferendas eſſe duximus.

Prima ad Paſquinum, laudes complectitur Io: Galeacii Comitis Virtutum; præcipue vero Patavinam Urbem ejus ditioni nuper acceſſiſſe narrat; unde elicimus, ſcriptam epiſtolam a.1388. aut proxime ſequenti. Nam Annales Mediolanenſes ad h. a. [1] Eodem anno Chriſti die 24. Nov. antequam exercitus Domini Comitis Virtutum ſe in aliquo removeret a partibus Paduanis, dictus Comes habuit dominium dictæ civitatis Paduæ & totius dominii dicti D. Franciſci de Carraria &c. *quæ totidem verbis leguntur in* Chronico Placentino [2]. *Quod de felici Patavinorum ſtatu ſub Galeacio narrat, potuit de primo illo tempore quo Patavium adeptus eſt, vere dici; nam poſtea, male habitos Patavinos, Petrus Paulus Vergerius Iuſtinopoli-*

H 2 *tannis*

1 tom. XVI. ſcript. Murat. col. 805. 2 Ibid. col 551.

tanus narrat in oratione ad Franciſcum Carrarienſem Iuniorem.

Altera eſt conſolatoria ad eumdem de matris obitu, Blanchæ videlicet Amadei VI. Sabaudiæ Comitis filiæ, ut in Chron. Azarii[1] *& in Chronico Bononienſi*[2]*. Guicheron*[3] *mortuam ait a. 1386. atque ex eo, puto, idem annus irrepſit in librum inſcriptum* Les Genealogies hiſtoriques[4]. *Sed ex hac epiſtola habes* 1. *mortuam poſtquam Verona Galeacius potitus eſt.* 2. *nato jam eidem filio. Iam vero potitus eſt Verona a.* 1387. *menſe Octobri;* Dicto an. 1387., *ajunt Annales Mediolanenſes* c. 149., de menſe Octobris cives Veronæ unanimiter & concorditer dictam civitatem Veronæ tradiderunt gentibus dicti domini Comitis. *Idem eiſdem verbis Chronicon Placentinum*[5]. *Auctor* additamenti II. ad Cortus. Chron.[6]. MCCCLXXXVII. di XVIII. di Ottobre la zente del conte di Virtù per traimento have la città di Verona. *Filius vero ei naſcitur die* 7. *Septembris an.* 1388. *Annales Mediolanenſes*[7]. Anno Domini MCCCLXXXVII. die 7. Septembris natus eſt in Habiate Graſſo Dominus Johannes Maria, filius legitimus & de præſenti primogenitus domini Comitis Virtutum ex domina Catharina ſecunda ejus uxore, & filia quondam Domini Barnabovis patrui dicti Comitis. E*t Chronicon Placentinum*[8]. Eodem anno Chriſti 1388. die 7. Septem-

1 Tom. 16. Script. Murat.
2 Ibid. tom. 18. col. 419.
3 Tom. 1. pag. 397.
4 Tom. 2. pag. 60
5 Col. 549.
6 Tom. XII. Mur. col. 988.
7 col. 804.
8 tom. 16. col. 551.

bris natus fuit in Abiate Graſſo comitatus Mediolani Dominus Jo: Maria filius legitimus primogenitus dicti illuſtris Domini Comitis Virtutum. *Addes Chronicon Bergomenſe*[1] *ad a.* 1388. Die Lunæ 7. Septembris ſupraſcripti anni natus fuit unus filius illuſtris Principis Domini Comitis Virtutum &c. *Mortua eſt ergo poſt hoc tempus. Menſe Ianuario fatis conceſſiſſe narrant laudati Annales Mediolanenſes & Chronicon Placentinum, atque annum indicant* 1388. *ſed cum a Martio annum exordiantur, ejus obitus ſtatuendus menſe Ianuario, ut communis nunc ratio fert, a.* 1389. *Atque hoc eodem anno ſcripta videtur hæc epiſtola. Non pigebit hic admonere, male in eodem illo opere Genealogico*[2] *Galeatii nuptias referri ad a.* 1390., *etſi Io: Maria a.* 1388. *natus ſtatuatur.*

Tertia Epiſtola adjungi poteſt reliquis inſignibus teſtimoniis quæ Urbanum VI. legitimum Pontificem virumque probum fuiſſe tradiderunt. Horum nonnulla Annalium ſcriptores protulerunt Abrahamus Bzovius & Odoricus Raynaldus, aliud Papebrochius[3]. *Videtur epiſtola noſtra ſcripta ante annum* MCCCLXXXIX. *quo Urbani res ſtatum aliquem magis quietum obtinuerunt.*

Quarta Scripta eſt Franciſco Caſini Bartholomæi filio quem Urbanus VI. Medicum ſibi allegit a. 1380. *ut Ugurgierius*[4]. *De eo etiam Mandoſius*[5].

Quintam Epiſtolam non ingratis opinor leget qui Ray-

1 ib. col. 856. 2 Tab. pag. 196. 3 In Propylæo pag. 95.
4 Pomp. Senenſ. part. 1. pag. 503.
5 In theatr. Archiatr. pag. 69.

Raynaldum Firmenſem Tyrannum in ea commemoratum videbit, quem ait malo fine vitam *concluſiſſe. De eo Franciſcus Adami*[1]*. Ab amicis proditus cum filiis aliiſque earum partium, aſino inſidentes circumducti per urbem; publice deinde Raynaldus & filii ſecuri percuſſi, ceteri laqueo ſuffocati. Illorum etiam capita lapide ſculpta columnæ affixa fuerunt cum hac inſcriptione, in qua Raynaldus loquens inducitur*

Tiranno fu[2] peſſimo, e crudele:
Sol per mal far di me, e di Luchina
Cari miei figli pateſti diſciplina.

Erit præterea curioſis hominibus non injucundum videre jam Sæculo XIV. *inductum eum morem, qui frequens eſt in Hetruriæ urbibus aliiſque in locis, vulgoque dicimus* battere il ceppo, *die qui diem Chriſti natalem antecedit.*

Sexta Epiſtola Andriolo de Ochis, etſi barbare ſcripta, ut ceteræ; quod non tam hominis quam temporum illorum vitium fuit; nonnulla habet unde proficere hiſtoria litteraria poſſit. Seni enim & in litteris illa ætate viventi ſcribens, eos enumerat qui natu grandiores aut ſenes jam decrepiti nondum ſe abſtrahere a litteris potuerunt. Magnum eorum numerum invenies inter eos quos mortuos majores annis LX. *recenſuit initio Chronologiæ ſuæ Ricciolius; nec tamen omnes. Hos inter Nicolaum Lyranum mortuum ait natum annos* CXX. *quod quidem nec Waddingus aut in Annalibus aut in Bibliotheca*

1 Lib. 2. fragment. hiſtor. Firm. cap. 62. 2 Id. ſul.

theca, nec Trithemius, aut alii, qui de Eccleſiaſticis Auctoribus ſcripſere, narrant, & uni noſtro debetur, qui id facile de homine celeberrimo noſse potuit, ea ætate mortuo qua ipſe vivebat: obiit enim Lyranus a. 1320. *Sed præcipuus fructus hujus epiſtolæ habetur in narratione mortis Franciſci Petrarchæ. Multos fuiſſe qui doctiſſimi hominis vitam contexerent, nemo ignorat; atque amplius* xxv. *id eſſe aggreſſos cl. Apoſtolus Zeno teſtatur* [1]. *Horum nonnullos appellat cl. Muratorius in Petrarchæ vita, quam Italicis ejuſdem verſibus præpoſuit. Iacobus Philippus Tomaſinus in* Petrarcha redivivo *vitam illius ſcriptam a Paulo Vergerio, ab Anonymo, Iannozzo Manetto, Leonardo Aretino, Ludovico Beccadello edidit, vitamque aliam a ſe compoſitam. Poſtea etiam Ludovicus Muratorius aliam ſuam, ut diximus, in verſibus iiſdem edendis; Ludovicus Bandinius ſuam; uti antea operibus Petrarchæ cùm in Baſileenſi editione, tùm in antiquiori Veneta adjuncta fuerat vita compoſita a Hieronymo Squarzafico: Italis vero carminibus editis ab Antonio a Tempo, Geſualdo, Daniello, Vellutello alia pariter adjecta Petrarchæ vita. Iam vero hi aliique omnes, quos quidem legere potuerim, parce ſatis de ejus morte loquuntur, aut ita varie, ut vix certum aliquid exculpere poſſis quod ſequaris. Galeatius Gatarus* [2] *fuſe Petrarchæ funus deſcribit, mortem paucis litteris;* Nelli anni del noſtro Signor Meſſer Gesù Criſto 1374. alli 18. di

H 4

1 Ephemer litterar. tom. 8. art. 5. num. 2.
2 tom. XVII. ſcript. Murat. col. 213.

di Luglio piacque all' Altiſſimo di richiamare a ſe l' anima benedetta dell' eccellente corpo di Meſſer Franceſco Petrarca laureato Poeta, la cui fama, come ſi ſa, di ſanta vita, non biſogna che io ne ſcriva, che l' è sì pubblica per l' univerſo mondo; ma dinoterò dove il detto corpo fu meſſo &c. *Ita & ejus filius Andreas*; Appreſſo gli altri danni della noſtra città di Padova occorſe nel detto milleſimo, alli 19. di Luglio, che paſsò di queſta vita il famoſo e laureato Poeta Meſſer Franceſco Petrarca, il qual era Arciprete del Duomo di Padova, e morì nella villa d' Arqua, ed al ſuo eſequio andò il Signor Meſſer Franceſco da Carrara &c. *Mantiſſa Monachi Patavini, poſtquam Petrarcam laurea donatum narravit*[1] Et deceſſit poſtea A.D. 1374. die 19. Julii ætatis ſuæ LXX., & oſſa ejus clauduntur marmoreo ſaxo, & in caſtro Arquadæ quieſcunt in Euganeis montibus. *Leonardus Aretinus*; morì il Petrarca ad Arquate caſtello del Padovano, dove in ſua vecchiezza ritraendoſi per ſua quiete a vita oziosa & ſeparata eſſer gran merito di virtù. *Ita in editione Tomaſini. Cod. ms. noſter, in quo multa aliter ſcripta legimus, in hoc quoque diſcrepat atque ultima verba commodius ſane habet*, vita otioſa & ſeparata da ogni impedimento, haveva eletto ſua dimora. *Atque obiter illud etiam admonere fas erit, non* Petrarcam *ſed* Petraccam *dici eumdem initio vitæ ab Aretino; quod cl. Apoſtoli Zeno emendationem confirmat*

1 Tom. 8. Scriptor. Murat. col. 740.

mat Poccianto adhibitam [1], *Atque hi nihil de genere mortis Petrarchæ. Sequuntur alii, qui in eo tradendo diſcrepant inter ſe. Anonymus a Tomaſino editus, qui vitam illam ſcripſiſſe dicitur a.* 1463. Mortem vero, quo ſolebat interdum vexari morbo tandem apoplectico obiit XIV. kal. Sextilis anno poſt natum J. C. 1374. *Sic & Vergerius*; Arquadæ rure montano apoplecticus, quo morbo ſæpenumero laboraverat, defunctus: *nec non Squarzaficus*; Cum jam ſeptuagenarius minus una die eſſet, apoplexiæ morbo, quo interdum vexabatur, in ſinu doctiſſimi viri Franciſci Aſerici ſpiritum ſuo creatori reddidit. *At Beccadellus, quem commodius ceteris vitam Petrarchæ conſcripſiſſe, affirmat Muratorius, eamque cl. Vulpius editis a ſe verſibus Petrarchæ Italicis præpoſuit*; Et fatto il ſuo teſtamento da vero & umile Criſtiano, com' anco ſi vede, preſi gli ordini della S. Chieſa, eſſendo aggravato di febbre nella detta villa d' Arquato; tra perſone a lui care & amorevoli alli 18. di Luglio 1374. due giorni avanti il ſuo natale reſe l' anima a Dio di età appunto di 70. anni. *Febri etiam obiiſſe Petrarca dicitur in vita præpoſita Italis ejuſdem carminibus editis a Geſualdo; atque in alia adjecta iiſdem & a Bernardino Danielli vulgatis Venet. a.* 1549. *In ea vero quam cl. Bandinius edidit*; Sopraggiunto da febbre ceſsò di vivere ai 18. ò come altri vogliono ai 19. di Luglio 1374.... Il Monaldi nel ſuo diario non ſolo va errato per difetto di chi

1 Diſs. 1. Voſs.

chi copiollo in ordine al tempo, ma eziandio diſcorda dagli altri nella qualità del male, mentre così ne parla; Adì 18. d'Agoſto; morì M. Franceſco Petrarca del mal di gocciola. *Tomaſinus, non febri, non apoplexia, ſed epilepſia ſive comitiali morbo, ut eum vocant, aut ſacro, obiiſſe affirmat* pag. 154. Rebus ſuis ita in tranquillum reductis, cum jam LXX. attigiſſet annum Petrarcha A. repar. ſal. 1374. die 18. Julii, ſacri morbi (non ut voluit Brivius, & alii, apoplexiæ, vitæ præter inducias nimium perniciosæ) inſultu ſæpe familiari correptus, ſolito vehementius, in ſinu doctiſſimi viri Franciſci a Serico beatam Creatori reddidit animam. *Epilepſiam ſive comitialem morbum, necem attuliſſe Petrarchæ narrat, & vita Antonii a Tempo & Vellutelli. Quod vero Tomaſinus expiraſſe ait in ſinu Franciſci a Serico, uti & antea tradiderat Squarzaficus, hauſerunt id opinor, a Iannozzo Manetto, qui tamen teſtimonium proferens Lombardi ipſius (nam Lombardum vocat) rem ita narrat ut ſubolfacere mendaciunculi aliquid ſeu affabre compoſitæ fabellæ quivis poſſit;* Peregregium namque diſcipulum ſuum nomine Lombardum quem ipſe unice diligebat, in cujus ſinu moriens expiravit, hæc de eo paulo poſt obitum ſuum retuliſſe perhibent, ipſum ſcilicet moribundum in extrema ultimi ſpiritus ſui efflatione, aerem quemdam tenuiſſimum in candidiſſimæ nubeculæ ſpeciem exhalaſſe, qui inſtar incenſi thuris, uſque ad laquearia tabulati altius elatus, ibidem vel paululum

lum requievit, poſtremo in aerem limpidiſſimum paulatim reſolutum evanuiſſe. *Vidi etiam poſtea cl. de la Baſtie* [1] *cum quæcumque de Petrarchæ vita dici poſſent diligentiſſime collegiſſet* [2]*, eadem de febri, & Franciſco a Serico, in cujus ſinu Petrarcha expiraverit, inculcaſſe* [3]. *Auctorem noſtrum qui rem aliter narrat nemo inficiari poteſt antiquiorem eſſe his omnibus; atque hæc ſcribere elapſis a morte Petrarchæ vix annis* XIV. *quibus quidem memorandi caſus memoriam par eſt exiſtimare, nondum omnino excidiſſe. Adde id referre, quod veroſimillimum omnino eſt, hominem morbo ſæpe eo tentatum, quo mortuo ſimilis concidebat (id enim ſibi aliquando accidiſſe ipſemet fuſe narrat* [4] *Urbano V. ſcribens), tandem mortuum repertum. Sic enim noſter habet*; in bibliothecæ ſuæ penetrali cubanti ſimilem compertum exanimem ſuper libro. *An vero ápoplexia an epilepſia perculſus obierit, nec ſcriptor aſte narrat, & difficile fuit ſine exquiſita aliqua medicorum diligentia, quæ forte abfuit, dijudicare. Atque hinc nimirum diverſæ illæ diſcrepanteſque de eo morbo opiniones. Ceterum illa Lombardi ſive Franciſci a Serico fabella, quam ut illuſtriorem amici mortem redderet, fortaſſe commentus eſt, aperte ex Scriptore noſtro refutatur.*

Se-

1 Memoir. de litter. de l' Academie Royale des inſcript. t. 15. 17.

2 tom. 15. & 17.

3 tom. 17. pag. 474. Vne petite fievre qui le minoit peu a peu ne lui laiſſoit que de courts intervalles de santè ... il mourut à Arqua entre le bras d' un de ſes amis nommè Francois de Serico

4 Libro XI. Senil. ultima

Septima longiſſima epiſtola eſt ad Johannem de Horologio Patavinum. *Eſſe hunc Ioannem Dondum nemo dubitabit. Verum quod hic de horologii ſingulari opere narratur; unde & *Dondorum *domus cognomen accepit* De Horologio, *Angelus Portinarus*[1] *Iacobo hujus Ioannis patri tribuit. Habuit hoc ille opinor, ex Bernardino Scardeonio, qui*[2] *hæc ſcribit*; Novum & admirabile per ea tempora Horologii opus, quod ſuper turrim nobiliſſimam in media civitate extare conſpicitur, Jacobo Dondo immortale nomen, & poſterius ejus cognomen ſempiternum dedit, ita ut quæ Donda prius familia dicebatur, deinceps Horologia appellari cœpta ſit; *& mox* Adinvenit hic quoque primus, ut dixi horologii opificium admirandum, quo non modo horæ diei ac noctis, ſed & annuus ſolis curſus per XII. ſigna Zodiaci, Lunæ menſtruæ aſpectus, ſingulis diebus, ſicut in cælo cernitur; menſium quoque ac feſtorum dies fabrili operatione Antonii Patavini ſolertiſſimi artificis, & acuto hujus ingenio, aperte conſpici poſſunt, cujus operis ſingulæ converſiones idem efficiunt in Sole & Luna & præcipuis Stellis errantibus quod in cælo ſingulis diebus ac noctibus fieri videmus. Hinc ergo (ut proxime dicebam) a tam nobili invento ipſe primus, antiquato priore cognomine, ab Horologio deinceps eſt appellatus, & poſtmodum tota ejus familia &c. *Vides profecto quam hic*

1 Felicit. Pad. lib. 7. cap. 7. pag. 272.
2 De antiqu. Patav. lib. 2. d. 9. *tit.* de Jacobo Dondo ſive Horologio.

hic Scardeonius habet Horologii *hujus deſcriptionem, eamdem ferme eſſe, atque iiſdem ſubinde verbis, quam epiſtola illa noſter facere inſtituit, ut dubitare non poſſimus, de una eademque re utrumque loqui. At noſter Ioanni eam tribuit, Scardeonius Iacobo. Atque hic poſtea addit, Ioannem Iacobi filium librum ipſum ſcripſiſſe* Planetarii *titulo tribus voluminibus diſtinctum*, lineiſque & figuris mirabili arte ſignatum, *quo id, ſcripto docetur, quod pater antea in horologio ſuo effecerat. Verum de libro hic non quæritur, ſed de opere ipſo, quis ejus auctor dicendus ſit. Scriptoris noſtri auctoritas mihi quidem eſſe videtur hujuſmodi, ut decidere rem poſſit & debeat. Addam tamen ejuſdem hujus ætatis teſtem Michaelem Savonarolam; quem Scardeonius ipſe eumque ſecutus Portenarius, a.* 1431. *diem ſuum obiiſſe tradit unum & ſeptuaginta annos natum; Muratorius ætatem produxiſſe ſcribit ad ann.* 1461. *Hic ergo in* Commentario de laudibus Patavii, *quem idem clariſſimus Muratorius edidit* [1], *illuſtres Patavinos homines in genera diſpeſcens, ubi* ſextum ordinem *fecit* illuſtrium Artium & Medicinæ Doctorum; *& primum locum tribuit Medicis* de domo S. Sophiæ, *alterum* Jacobo Forlivienſi, *ſubdit* [2] Neque in hoc litterarum genere parvum extitit noſtræ urbis ſidus Domus de Dondis ab Horologio appellata, de qua poſt; quæ tot illuſtres Medicinæ viros habuit, quorum doctrina & fama adhuc ſuperextat. Et in primis tertio loco Johannem ab Horolo-

[1] Tom. 34. Script. Ital. [2] Col. 1164.

rologio aggredior, virum, ut intelliges, penitus divinum, qui in medicinæ lectura omnipotenter valuit. Hic orator magnus, hic medicus praticus, hic mathematicus ſummus, hic manuum admirandus operator. Cujus ſapientiam, doctrinam, ingenium quum Petrarcha Franciſcus contemplaretur, & quadam ſua in epiſtola hujus admirandi viri dotes glorioſas diſcurreret, ait; nullum in orbe doctiorem virum eſſe. & quod omnibus his detrahebat, ſervile & minime ejus liberale exercitium fuit. Hic Papiæ horologium ſuis manibus & ingenio fabricatum edidit, cujus admiranda eſt ſpecioſitas, in quo eſt firmamentum, & omnium Planetarum ſpheræ ut ſic ſiderum omnium motus, veluti in cælo, comprehendantur: feſta edicta in dies monſtrat, plurimaque alia oculis ſtupenda; tantaque fuit ejus horologii admiranda congeries, ut uſque modo poſt ejus relictam lucem corrigere, & pondera convenientia aſſignare ſciverit Aſtrologus nemo. Verum de Francia nuper Aſtrologus & fabricator magnus, fama horologii tanti ductus, Papiam venit, plurimiſque diebus in rotas congregandas elaboravit; tandemque actum eſt, ut in unum, eo quo decebat ordine, compoſuerit, motumque, ut decet, dederit. Exiſtimo quidem, mi Antoni, ipſum inter præclaras mundi res digne collocari aggregarique debere. Res certe auditu ſtupenda, in ſæculo autem prius nunquam audita, neque individuum aliud par, aut quaſi par reperiri contingit. Ab hoc qui-

quidem horologio domus glorioſa de Dondis cognomen accepit. Tanti autem viri oſſa apud primam Cathedralis Eccleſiæ portam, arca quadam in altum elevata, ornatu cum magno tenentur. *Hactenus Savonarola, qui Iacobo deinde quintum locum, ſive* ſedem, *ut ipſe ait, aſſignat*. Quinta ſit admirandi viri Jacobi de Dondis qui admirandum & laborioſum opus congregavit, Aggregatorem de Dondis dictum; cujus theoricæ & practicæ non mediocris doctrina fuit. Hic autem Aggregator liber, ita Italis & Germanis carus exiſtit, ut qui practicantes ſunt, abſque eo non niſi magno cum labore operentur. Quod ſi famæ, ut litteris, locus daretur, eum tertio in loco collocare minime dubitaſſem: oſſa cujus in elevata tumba arci Johannis contigua jacent. *Nullam Horologii ab ipſo conſtructi mentionem facit, atque ejus celebritatem omnem, qua viciſſe indicat ſuperiorem, ab opere medico quod* Aggregatorem *dictum narrat, repetit. Præterea, cum utriuſque ſepulcrum deſcribat, ſibi ignotum non fuiſſe illud manifeſte ſignificat. Itaque quas horum ſepulcrorum inſcriptiones Scardeonius commemoravit, & ſcriptorum teſtes eſſe voluit, aut additæ poſtea, exemplo non in frequenti, aut in errorem legere feſtinantem induxerunt. Nam quæ de Ioanne eſt, illa quidem ſphæram ſive machinam quamdam qualem hic quærimus ſignificare poteſt, in qua ſiderum converſiones exprimantur*

Hic recubans Patavi ſupremaque ſidera terris
Cælicis hic ſeptem confecit myſtica Stellis

De

De Iacobo vero quid habet inſcriptio ?

Quin procul excelſæ monitus de vertice turris
Tempus,& inſtabiles numero quod colligis horas,
Inventum cognoſce meum , gratiſſime lector .

Horologium nimirum quod horas dumtaxat indicet , ab eo fabrefactum narrat , idque Patavii ; cum ſphara illa celebris Ticini conſtructa ſit . Moneo ad extremum , legi in Ioannis Epitaphio obitus diem MCCCLXXX. *die* XXVII. *Septembris ; cum ad eum hic Manzinus litteras det* d. XI. Julii 1388. *Itaque inſcriptionum , ut dixi , fides labaſcere videtur .*

Octava Rizardum de Villanis , quem Galeatius a conſiliis ſibi eſſe juſſerat, laudat, eique commendat avunculum ſuum exulem , ut reditum in patriam conſequatur: lectu digna viſa eſt, quod viros nonnullos ejus temporis doctiſſimos appellet, atque in his Cretenſem Præſulem .

Nona , ejus temporis quo Manzinus ſcribebat (ſerpebat autem peſtis omnium teterrima jam quadrageſimum annum) imaginem quamdam repræſentat ; necnon ipſius Manzini vitæ atque occupationis , qui in Paſquini filio erudiendo maxime verſabatur .

Proximas huic duas Decimam, & Undecimam ideo vulgandas cenſui , ut his quaſi exemplis ſpecimen extaret exercitationum ſive provocationum id temporis, quibus litterati homines uti ſolerent , cum ſe ſcriptis litteris ſive etiam verſibus laceſſebant . Et viros quidem ipſos principes petebant aliquando , ut ex Petrarchæ aliorumque litteris conſtat . Scribit autem Manzinus

nus ad Iacobum de Verme, qui dux erat copiarum Galeacii anno, quo hic Patavium recepit. Chronicon Bergomenſe[1] *ad a.* 1388. Die Veneris III. Novembris pugnatum fuit per gentes Principis præfati Domini Comitis Virtutum, exiſtente pro capitaneo generali Domino Iacobo de Verme, ad plebem de Saccho Epiſcopatus Paduæ.. Die Dominico XXIX. ſupraſcripti acceſſit Bergomum D. Franciſcus Novellus de Padua f. Domini Franciſci de Padua, eundo Mediolanum ad præſentiam Illuſtris Principis D.Comitis Virtutum, pro offerendo dominium Patavinum ſupraſcripto Illuſtri Domino. Et facta fuerunt fallodia ſuper turres, tribus noctibus continuis, mandato prælibati D. Comitis Virtutum. *Eſt hic idem epiſtolæ annus. Vivebat adhuc a.* 1391., *atque hoc anno a Bonincontrio in Annalibus*[2] *nominatur* Jacobus Vermes unus ex Galeatii ducibus miſſus cum equitibus,ut Senenſibus eſſet præſidio;*additurque*, ſub hoc duce *fuiſſe* duodecim millia equitum, & quatuor millia peditum.. *Iacobo de Verme extat Petrarchæ epiſtola*[3] *de Luchini patris obitu.*

Duodecima, & quæ eam ſequitur ultima ſcriptæ ſunt Benedicto & Laurentio de Gambacurtis. Fuit uterque Petri, ejus qui Piſis dominatus eſt, filius, Et Benedictum quidem ducem a Patre conſtitutum a. 1374. *referunt Piſana Chronica*[4]. Adì 18. di Ferrajo lo ditto M. Pietro Gambacorta ſi era forte

 ag-

1 Tom. 16. Script. Murat. col. 857. 2 Tom. XXI. Murat. col. 59.
3 Senil. VIII. 5. 4 Tom. XV. Script. Murat. col. 1065.

aggravato della perſona: di che la parte delli Bergulini, che governavano Piſa inſieme con lui, ſi fanno a conſiglio con li Anziani, e fecero Benedetto ſuo figliuolo maggiore capitano in ſuo piè. *Laurentio Pater, contra Appianum inſidias ſibi ſtruentem, cuſtodiam veteris pontis commiſit: commiſſo prœlio vulneratus ad Eccleſiam confugit; aditum præcluſiſſe Beatam Claram ſororem, narrant. Paulo poſt una cum patre ab eodem Appiano occiſus ann.* 1392. *Poſterior harum epiſtolarum priorem aliqua ex parte illuſtrat. Primam vero ideo præcipue vulgavi, quod narret tragœdiam a Io: Manzino ſcriptam de Antonio Scaligero. Nunc ſi Albertinum Muſſatum excipias, qui* Ezelinum *tragœdiam ſcripſit, a Felice Oſio primum, deinde a Muratorio editam* [2], *atque aliam* Achilleidem *quam edidit pariter Oſius, vix ad Sæculum* XVI. *ulla, quod ſciam, tragœdia extat; nec ullus Auctor, qui eas ſcripſerit nominatur.* Tragœdias *dictas quæcumque carmina ſublimi ſtylo ſcripta eſſent, admonet cl. Lauriſus Tragienſis* [3]. *Sed fuiſſe hanc Manzini Tragicam poeſim ſignificare ipſe videtur choro illo quem ex ea protuli.*

Nunc earum epiſtolarum quas omiſi inſcriptiones atque argumenta breviter indicabo, quemadmodum me facturum, ſuperius recepi.

I. Nobili Franciſco de Dallo Bonon. ſtudenti fra-

1 Tom. 15. Scriptor. Murat. col. 1087. *V. Paulum Tronci* Annal. Piſan. pag. 474. Additam. ad Chron. Piſan. 2 Tom. x. Scipt. rer. Ital. col. 785.
3 *De vizj e de i dif. del Mod. Teatr. pag.* 186.

fratri cariſſimo. *De vita ſua, & peregrinationibus Manzinus narrat.*

2. Præclaro & inclito viro Laurentio de Gambacurtis domino mihi quam præcipuo. *Refert Bencaſam, ejus domus familiarem, legatum veniſſe ad Lombardorum Principem, atque huic perferendos ad Laurentium dediſſe verſus, quos ibi habet.*

3. Baptiſtæ de Marzaſio. *Officioſa epiſtola tota eſt.*

4. Domino Spinetæ Marchioni Maleſpinæ. *Continet ſapientiæ laudes, eumque vehementer ad ſtudia litterarum hortatur, propoſitis etiam virorum principum exemplis; inter quos numerat Robertum Siciliæ Regem, de cujus Regis ſcientia etiam Io: Villanus* [1]. *De ipſo vero Spineta, habet;* Cumque ſis armorum facinoribus experientiam rerum magnam adeptus, per Apulos agros, terram Laboris, Abrutium, & Calabros miſſitando peragrans, cumque limen lethi pene pluries ſis ingreſſus, cumque carcerem, exilium, & quæque hujus mundi incommoda ſis perpeſſus &c.

5. Epiſtola tranſmiſſa Domino Johanni Manzino Secretario, per D. Magiſtrum Johannem de Traveſis de Emona, Trivii (*ideſt primarum trium artium Grammaticæ, Rhetoricæ, & Dialecticæ*) Doctorem &c. cum aliquibus carminibus. *Eſt id genus, quo antea diximus, viros litteratos ſe mutuo provocaſſe; atque huic adjungitur Manzini reſponſio.*

1. Lib. 12. cap. 9.

6. Magnifico & potenti militi Domino Benedicto deGambacurtis præcipuo Domino meo. *Navigationem ſuam quamdam deſcribit. Subſcribit epiſtolæ;* Papiæ XVII. Januar. 1388. Johannes Manzinus de Motta.

7. Magiſtro Ypolito Parmenſi Grammaticæ profeſſori. *Hic quoque de vita ſua narrat, quam in caſtris agit Galeacii.*

8. Inſigni ac claro viro Paſquino de Capellis honorando Secretario Domini Med. *Fabulam narrat de ponte quodam, qui ut reficeretur, ſingulis erat nummus pro vitio quolibet corporis ſolvendus.*

9. Magiſtro Bartholomæo de Regno Bonon. Grammaticæ profeſſori. *Iterum de vita ſua; data eſt autem epiſtola* Papiæ XXII. martii 1388. *Huic ſcribit & Coluccius Salutati* [1].

10. Ad Matthæum de Piſcia collateralem Domini Galeaz. Illuſtriſſimi Principis Lombardorum. *Deſcribit* Nebulæ vallem nobilem in Etruriæ partibus Piſtorio interjacentem Lucanæque urbi, *ut primis continuò verbis eam regionem appellat.* Vallem nebulam *appellat & Bonincontrius* in Annal.[2] *nunc* Valdinievole, *a fluvio* Nievole, *a quo alluitur.* Vallis nebulæ *meminit præſertim Salutatus*[3] *qui in ea natus. Ammiratus* [4]; Coluccio Salutati nato in un ignobile caſtello di Valdinievole detto Stignano. *Sed hujuſce rei & patriæ Colucii egregium tetimonium habet hic noſter hac ipſa*

1 Ep. 2. part. 1. editarum a Rigaccio 2 T. XXI. Script. Murat. col. 59.
3 Part. 2. ep. 12. 4 Lib. XIII. *H. Fl.*

ipſa epiſtola, in qua, ubi de vallis nebulæ amœnitate egit, Matthæum tandem alloquens hæc ſcribit; Veniam tamen ad id, quod principaliter intendebatur per tam longæ ſermocinationis præambulationem præmiſſam. Dum eis diebus unà cum quodam de Orlandis in platea Piſciæ deambularem, ab ipſo primitus nomen tuum commendabile tunc audivi, fratriſque tui, & Coluccii Stignanenſis; & primus omnium trium validus amoris ſtimulus me invaſit, & vere animo meo fabar; o felix hæc patria, talium producturâ virorum!

11. Perito viro Johanni Belhardo Parmenſi. *De ſe ſuiſque ſtudiis*.

12. Antonio de Luſchis Vincentiæ Muſarum tyroni egregio. *Reſpondet epiſtolæ de vera amicitia*.

13. Philippo de Valle Haſtæ amico dilecto. *Officioſa epiſtola*.

14. Generoſæ ſobolis & memorabilium virtutum viro fulgentiſſimo Andreaſio de Cavalcabolus, militiæ cingulo, & legum laurea decorato, domino præcipuo. *Ad eum ſcribens, qui uxorem nuper duxerat, de conjugio fuſe diſputat*.

15. Paſquino de CapellisPatri honorando *Præſagia continet de puerulo Paſquini, ſuæ curæ commiſſo*.

16. Domino Gulielmo de Dulcis de Aragonia *De vitæ hujus ærumnis*.

17. Magiſtro Ugoni de Regno medico, dulciſſimo fratri meo, brevis conſolatio de fratris obitu.

18. Antonio Manzini fratri meo. *Hortatoria ad virtutem.*

19. Magiſtro Thebaldo de Cumis de familia Stupanorum, Medico & Phyſico. *Reſpondet officioſæ illius epiſtolæ, ſubſcribitque ſuæ* Johannes Manzinus de Motta de Luniſana.

20. Bartholomæo de Oradinis, de Carraria, avunculo venerando & cariſſimo. *De vitæ calamitatibus.*

21. Ypolito Parmenſi *De imitatione celebriorum ſcriptorum. Se ejus diſcipulum appellat*; quatenus Johanni diſcipulo tuo quicquam ſcribas.

Nunc de Manzino ipſo dicam, & potiſſimum ex his ejus epiſtolis; ut ignotum hominem & cognitione ceteroquin non indignum in lucem aliquam producam. Patriam ſuam ipſemet narrat, cum ep. 10. *ex prætermiſſis a nobis, advenam inducit interrogantem*. Quiſnam & cujas es? *Reſpondet vero*: Johannes mihi nomen eſt; ortum traho de macra quadam & montana provinciola, quam Luniſanam vocitant ab urbe Luna, olim maris in litore, juxta montem Cornum, ad modum Lunæ cornuum interjecta, longiſſimis diruta temporibus, nominata, cujus iterum eſt inane nomen & modicæ reliquiæ. *Itaque* epiſtola *ex iis* 19. *ſubſcribit*, Johannes Manzinus de Motta de Luniſana. *Occurrunt etiam inter has Manzini epiſtolas aliæ ad eumdem ſcriptæ; eſtque inter illas quæ hanc inſcriptionem habet*; Facundæ, & ſcientiæ magnæ viro, Domino Johanni de Lunixana amico cariſ-

cariſſimo, *Atque hoc etiam, puto, ſignificat alia inſcriptio epiſtolæ ad eum a Petro Parmenſi miſſæ*; Ad Johannem Lunenſem ſapientia & eloquentia circumfultum. *Lunæ tamen oppidum, cujus vix reliquias extare dixit, ejus patria fuiſſe non videtur, imo ſe Fuzani natum indicat* ep. v. *Hinc adoleſcentulus Sarzanam miſſus eſt*, pro Grammaticæ ſcientia capeſſenda, *ut eadem epiſtola teſtatur. Poſtea ſeptennium Bononiæ litteris vacavit. Hoc idem ſignificat* ep. 1. ex prætermiſſis, *de peregrinatione ſua ſcribens*; Vere, vere plus exemplorum didici in unius anni ſpacio peragrans per plurifarios varioſque caſus, quam in ſeptennio, quo Bononiæ ſtudiis inſudavi. *Audiviſſe Hippolytum Parmenſem Grammaticæ profeſſorem, teſtis eſt epiſtola ad ipſum ſcripta, quæ eſt* præterm. 8., cœpi meditari tempus, quo puerilia gymnaſia dereliqui, tuis Grammaticæ doctus uberrimis fundamentis: tunc mihi florentiſſima ſtabat ætas. *Deinde verſus recitat quoſdam ab Hippolyto ſibi ſcriptos, quibus ſe ille ad litterarum ſtudium repetendum hortabatur; ex quibus quidem verſibus, qualis Bartholomæi eſſet poetica facultas, ideſt nulla, aperte cognoſcitur*; ubi tanta, *inquit Manzinus*, per te incutiebatur ſtudii ſolertia, quod mirande pudebat. Sic eleganter, Præceptor mi, paterno me dulcore monebas, conſulebas, & etiam hortabaris: ſic namque dixiſti;

Inclita te videat properando Bononia, care:
Dignus eras dudum, differs accedere, quare?
Opponens forſan; calor obſtat, tempus ineptum

Eſtque bonum Junio tenuem peſſundare lectum.
At nego: nam Juvenes non debent dura timere,
Sed decet hos ſemper, algore, calore, ſtudere.

Iuriſprudentiæ quoque operam dediſſe quinquennium ep. II. præterm. *indicat*; A quietis Dircæi fontis vadis, & apricis Heliconiæ ſilvæ jugis ad diſcriminoſas & undantes pelagi procellas ingenii mei naviculæ, progenitores, carbaſa tendere coegerunt, ſperantes quod mercibus uſquequaque coacervatis locuples & onuſtus reverterer ad penates, omnem domum meam ditioſe reſarciens. Sed o ſpes mortalium! contra enim naturam meam protractus ad leges, pravo uſu, & infecto mihi ingenii natura mutata eſt. Pater, quoniam ferme per quinquennium ſulcaveram legum fluctus, ut ſaltem contingam litora gradus ejus qui pellis potitur ſuffulctione candentis, rogat; *His poſtremis verbis* Doctoris *gradum qui dicitur ſignificare velle videtur. In eadem epiſtola ad Hippolytum, a litteris & ſchola ad caſtra militiamque traductum ſe, refert*; Hujuſmodi ſiquidem æſtate quæ proximior curſum explevit, me repperi in expeditione noſtri ſummi Principis contra Antonium de la Schala, cujus excidium & ruinam bene ſenſiſti. Deſerueram, enim, pater, ut bene noſti, togalem ſcholaſticumque habitum, & circum circa, ut de me fama, imo infamia tenuit, pervagabar. Inter gentes efferas, nullius fidei vel pietatis altrices deviatiſſimus obverſabar … Hæ taque ſcholæ meæ, inſtabilis locorum diſcurſus, armo-

armorum ſtrepitus & colliſus, vociferatio ſaccardorum, lituorum clangor pariter & tubarum &c. *Galeatii caſtra cum ſequeretur, navigaſſe ventis parum ſecundis narrat in epiſtola ad Benedictum de Gambacurtis* præter. 6. Ululatus nauticos mutuatus pro ſcholaſtica lectione: transfretabam enim Hyſteum caput, umbriferæ nimboſæque noctis expavens teterrimam tempeſtatem: carina ſuper undarum apices ad ſidera levabatur; vota Nicolao Barenſi quot illa nocte fuerunt abſque ſolemni ſtipulatione promiſſa! Mane vero, deſinente procella Hyſteum pontus tranavimus; paulo poſt gratiores ſortiti plenius undas æquoris, ad arces regredimur Venetorum. Ad Venetorum imperioſam urbem, ad Antenoreum Patavium, Euganeoſque agros me tranſtuli, guerrarum ſævientibus pugnis inter Scaligerum Antonium Veronææ urbis & Cimbricæ tunc tyrannum, veteratumque Franciſcum Paduæ, illiuſque Tarviſanæ Marchiæ monarcham, ubi cum gentibus armiferis ferme trimeſtri ſpatio reſedi. In eo quidem belli conflictu, quo rutilanti cruore Caſtagnarii campi rubuerunt & Atheſis ſanguineus, naufragantium cadavera demerſit, habui me repertum, ubi revera victorem ſibi Scaliger Catulus infauſto perſenſit in puncto. Ad hæc in exercitu victorioſiſſimi Galeatii, magnificentioris Principis Lombardorum, in perniciem & ruinam everſionis nominati Antonii, & a primo caſtrametatu ejuſdem felicis exercitus, ad ipſam captivitatem Veronæ, & præcipitem ejus fugam

fugam, magnis incommodis & laboribus vitam traxi. *Cum aliquamdiu in Galeatii caſtris fuiſſet, militaris hujus vitæ pertæſus, de litteris rurſum atque ocioſa vita & tranquilla cogitare cœpit. Eam mentem ſibi injectam, narrat epiſtola illa ad Hippolytum Parmenſem, cum Deiparæ ædem non procul a Benaco in Cavajono colle inveniſſet, atque ejuſdem aræ ſupplex accidiſſet; ac deinde Apocalypſim S. Ioannis in manus ſumpta incurriſſet in ea verba* cap.6. Sol factus eſt niger tamquam ſaccus cilicinus; *quæ ad ſe ipſe retulit*; Quid enim Sol, *inquit*, niger factus aliud figurate demonſtrat, quam meum competenter ſplendens ingenium, hujus ſæculi vanitatibus obumbratum &c. *Contulit ſe ergo rurſum ad ſtudia, & Paſquini de Capellis filium erudiendum in litteris ſuſcepit. Scribit Ptolemæo de Regno, quemſibi amicitia & ſtudiorum communione a pueritia junctum ibidem teſtatur* ep. 9. præterm. Apud Ticinenſem urbem Papiam ſcilicet vitam duco, imo verius mortem ſequor, otium ſtudio ſubigendo. *Hinc ea de Paſquini filio præſagia quæ diximus* ad ep. 15. *Atque hactenus quidem de ſe ipſe in epiſtolis ſuis, ideſt ad a.1388. Quid illo deinde factum ſit, aut quem vitæ curſum tenuerit, nobis eſt prorſus ignotum.*

EPI-

EPISTOLÆ

SÆC. XIV. ET XV. SCRIPTÆ.

I.

Ad tutti & ad ciaſcuno Re d' Ytalia & a' Sanatori [1] di Roma, & Duchi, Marcheſi, Conti, ed a tutti e' popoli lo humile Ytaliano Dante Allighieri di Firenze & confinato non meritevolmente priega pace.

ECco hora el tempo acceptabile nel quale ſurgono i ſegni di conſolatione & di pace. In verità el nuovo dì comincia a ſpandere la ſua luce, moſtrando da Oriente l'Aurora, ch'aſſottiglia le tenebre della lunga miſeria. El cielo riſplende ne' ſuoi labii, & con tranquilla chiarezza conforta gli augurii delle genti. Noi vedremo l' aſpectata allegrezza, e' quali lungamente dimoriamo nel diſerto. Imperò chel pacifico Sole ſi leverà, & la giuſtizia, la quale era ſanza luce al termine della retrogradatione impigrita, rinverdirà incontanente ch' apparirà lo ſplendore. Quelli che anno fame, & che bere deſiderano ſi ſatieranno nel lume de' ſuoi raggi, & coloro che amano le iniquitadi ſaranno confuſi dalla faccia di colui che riluce. Certamente il leone del tribo di Giuda porſe e'miſericordioſi orecchi, havendo pietà de' mughi [2] dello univerſale carcere; il quale ha ſuſcitato un altro

1 Senatori. 2 mugghi.

tro Moysè che libererà el popolo ſuo da' gravamenti degli Egiptii, menandogli ad terra, el cui fructo è latte & mele. Rallegrati oggimai Ytalia, di cui ſi dee havere miſericordia, la quale incontanente parrai per tucto il mondo eſſere invidiata etiamdio da' Saracini; però che el tuo ſpoſo che è letitia del ſecolo & gloria della tua plebe, il pietoſiſſimo Arrigo chiaro accreſcitore [1] & Ceſare, alle tue nozze di venire s' affrecta. Aſciuga o belliſſima le tue lacrime, & gli andamenti della triſtitia diſfai: imperò che egli è preſſo colui, che ti liberrà della carcere de' malvagi, il quale percotendo gli perpetratori [2] delle fellonie gli dannerà nel taglio della ſpada, & la vigna ſua allogherà ad altri lavoratori, e' quali renderanno el fructo della giuſtitia nel tempo che ſi miete. Ma non arà egli miſericordia d' alcuno? anzi ad tucti quegli perdonerà, che miſericordia chiederanno: percio ch' egli è Ceſare, & la ſua pietà ſcende della fonte della pietà. El giudicio del quale ogni crudelità arà in hodio, & toccando ſempre di qua dal mezzo, oltre alla metà meritando ſi ferma. Or dunque inchinerallo frodolentemente alcuno malvagio huomo? overo egli dolce & piano apparecchierà beveraggi profumptuoſi? No: imperoch' egli è accreſcitore [3], & s' egli è Auguſto non vendicherà e' peccati de' ricaduti, & inſino in Theſaglia perſeguirà Theſaglia, ma perſegui-

1 *Auguſtus*. 2 Hic quoque *latinizare* Interpres videtur.
3 Luſus in Italicis verbis non adeo bene ſuccedit ac in Latinis *Auguſtus, augeo*.

guiralla di finale dilectione. O ſangue de' Longobardi pon giuſo la ſoſtenuta crudelezza, & ſe alcuna coſa del ſeme de' Troyani, & de' Latini avanza, dà luogo allui, acciò che quando l' alta aquila diſcendendo ad modo di ſolgore ſarà preſente, ella veggia e' ſuoi ſcacciati aguglini, & veggia el luogo della ſua propria ſchiatta, occupata da' giovani corbi. Fate dunque arditamente natione di Scandinavia, ſi che voi vogliate la preſentia, in quanto ad voi appartiene, di colui al cui advenimento meritevole doctatene. Non vi ſottragga la ngannatrice cupidità, ſecondo il coſtume delle Serene [1]; nè non ſo per qual dolcezza mortificando la vigilia della ragione. Occupate dunque le facce voſtre in confeſſione di ſubgectione di lui, & nel ſaltero della penitenza cantate; conſiderando che chi reſiſte alla podeſtà, reſiſte all' ordinamento di Dio, e chi al Divino ordinamento repugna è eguale allo impotente che recalcitra; & duro è contro allo ſtimolo calcitrare. Ed a voi [2], e' quali ſoppreſſi piangete, ſollevate l' animo: imperciò che preſſo è la voſtra ſalute; pigliate raſtrello di buona humilitade, & purgate el campo della voſtra mente dalle compoſte zolle della arida animoſità, acciò che la celeſtiale brina adoperi alla ſemente, anzi il gittamento, venendo [3] indarno dell' altiſſimo caggia, nè torni in dietro la gratia di Dio da voi, ſicome la cotidiana roſa d' in ſu la pietra, ma come valle fecunda con-

1 Sirene. 2 E voi. 3 E venendo non indarno.

concepete & producete verdi germini; io dico. verdi fructiferi di vera pace, per la quale verdeggia fiorendo la voſtra terra. Il nuovo lavoratore de' Romani e' buoi all'aratro più deſideroſamente & più confidevolmente congiungerà. Perdonate, perdonate oggimai o cariſſimi, che con meco avete ingiuria ſofferta, acciò che el celeſte paſtore noi mandra del ſuo ovile, al quale & la diviſione temporale da Dio è conceduta ancora, acciò che la ſua bontà ſpanda l'odore. Dal quale, ſi come da un punto, ſi biforca la podeſtà di Pietro & di Ceſare, deſideroſamente la ſua famiglia corregge, ma più volonteroſamente miſericordia tribuiſce. Adunque ſe vecchia colpa non nuoce, la quale ſpeſſe volte come ſerpente ſi torce & in ſe medeſima ſi travolge, quinci potete vedere, & all'uno, & all' altro pare ad ciaſcuno eſſere apparecchiata, & di diſperata letitia già le primitie aſſaggiare potete. Vegghiate adunque tucti & levatevi incontro al voſtro Re. O abitatori d'Ytalia non ſolamente ſerbate a lui ubbidienza, ma come liberi, el reggimento: nè ſolamente vi conforto acciò che vi leviate incontro, ma altresì, che voi el ſuo aſpecto habbiate in reverentia, voi che bevete ne' ſuoi fonti, & per li ſuoi mari navigate, & che calcate le reni dell'iſole & le ſommitadi dell'alpi, le quali ſono ſue, & che ciaſcune coſe publiche godete, & che le coſe private non altrimenti che con legame della ſua legge poſſedete. Non vogliate ſi come ignari

ignari ingannare voi ſteſſi, ſi come ſognando ne voſtri quori & dicendo; Signore non habbiamo l'arco del quale exaltato è, ſi che cerchia el cielo. Or non è di Dio el mare, & egli il fece? Et non fondarono le ſue mani la terra? Non riluce in maraviglioſi effecti Iddio havere predeſtinato el Romano principe? E non confeſſa la Chieſa con la parola di Criſto, eſſere poſcia confermato in veritade? Se della humana creatura appare, eſſere inteſo per le corporali le inviſibili coſe di Dio; egli s' appartiene alla humana apprenſione pervenire per le coſe conoſciute in ſua natura, ſi che per lo moto del cielo colui che muove conoſciamo, & il cuore del quale è la predeſtinatione lievemente agli adguardatori ſieno chiare. Imperciò, ſe dalla prima favilla di queſto fuoco noi rivolgiamo le coſe paſſate, cioè dall' ora in qua che l' albergheria [1] a' Greci da' Trojani fu negata, & inſino da triumphi d' Octaviano, vaghi di riviſitare le coſe del mondo, molte coſe di coloro al poſtucto [2] vedremo havere trapaſſate l' altezza della humana virtude, & vedremo Iddio per gli uomini, ſi come per nuovi cieli, alcuna coſa havere operato. Et in verità non ſempre mai noi operiamo? anzi continuamente avamo facture di Dio & humane volontadi. A quali è naturalmente la libertate ancora de' ſoctani effecti, e' quali non nocevoli alcuna volta aoperano, & alla non colpevole volontade ecterna ſpeſſe volte coloro

1 Helena apud quam Paris hoſpitatus: 2 In tutto e per tutto.

ro ancillano ſconoſcentemente. Et ſe queſte coſe ſono ſi come cominciamenti a provare quel che ſi cerca non baſtano; chi è conſtretto dottare della conceduta concluſione, per tali coſe, innanzi paſſando la pace, cioè per iſpazio di dodici anni interamente haverà abbracciato il mondo; la quale la faccia del ſuo ſilogizatore figliuolo di Dio, ſicome per opera di Dio dimonſtra. Et coſtui, conciofoſſecoſachè ad revelazione di ſpirito huomo facto evangelizaſſe in terra, la quale dividendo due regni, & ad ſe & ad Ceſare, tucte le coſe diſtribuendo, & all' uno & all' altro comandò che foſſe renduto quello che a lui s' apparteneva. Ma ſe 'l contumace animo addimanda più innanzi, non conſentendo ancora alla veritade, le parole di Criſto examini etiamdio quand' egli era legato. Al quale conciofoſſecoſachè Pilato alla ſua ſignoria contrapponeſſe la noſtra, Criſto, luce egli di ſopra eſſere affermò, la quale colui ſi vantava, che in quello luogo per vicaria auctorità di Ceſare egli teneva uficio. Adunque non andate, ſicome le genti vanno, in vanitade, i cui ſenſi ſono oſcurati con tenebre, ma aprite gli occhi della voſtra mente: imperoch el Signore del cielo & della terra ordinò ad voi Re. Coſtui è colui el quale Pietro, di Dio vicario honorare ci admoniſce; el quale Clemente hora ſucceſſore di Pietro perluce l' Apoſtolica benedìtione all' humana; acciochè ove il raggio ſpirituale non baſta, quivi lo ſplendore del minore allumini.

II. *Do-*

II.

Domino Delfino Viennenſi primogenito Domini Regis Francorum, ex parte Domini Galeacii Vicecomitis, ſuper captione ipſius Regis capti per Anglicos in prælio commiſſo anno 1366. *die* XII. *Septembris* [1].

Urget hinc animum dolor, ſereniſſime Principum, in lamenta, præcipitat hinc ſilentium, jubet & attonitum hinc ſtupor, dum durum fortunæ jugum cogito, cui conditio eſt ſubjecta mortalium. Quid homini tutum? aut quis omnino fortunæ imperio ſit exemptus, quoniam ſummus hominum, illuſtriſſimus pater veſter, ac dominus meus Rex, ex altiſſimo ſolio tam repente, rotæ volubilis dejectus impulſu, quod ſine lacrimis meminiſſe non poſſum, in manus hoſtium dicitur perveniſſe? & quod non parva doloris acceſſio eſt, ſecum una minor filius amantiſſimus frater veſter, ut irrecuperabiles ſileam jacturas, ſtrages procerum, quos quaſi totidem regni lumina una triſtis, præceps, & calamitoſa dies obruit & extinxit [2]; mœſta, inquam, & flebilis & obſcurior qualibet nocte dies; quæ utinam pereat, ut illius ſancti ſenis [3] utar verbo, & vertatur in tenebras, non requirat eam Deus deſuper, & non illuſtret eam lumine; obſcurent eam tenebræ, & umbræ noctis; occupet eam caligo, & involvatur amaritudine; non computetur in diebus anni, nec connumeretur in menſibus.

K Vere

1 V. Præfationem 2 Indicem habes ap. Daniel ad a. 1356. 3 Job

Vere enim caliginoſa dies & infelix, & de numero temporum abradenda, quæ clariſſimum regni Solem ac ſtellas tam fuſca nube circumdedit, & quam tanti doloris veſpera, tantorumque fletuum vox conſecuta eſt. Hujus ego tam inſoliti & tam magni mœroris particeps ſum, inclite Princeps; Deum & conſcientiam meam teſtor, & quamvis à longe poſitum [1] pars pervenit lacrimarum. Nam præter communem & publicum dolorem qui ad tantæ ruinæ ſonitum, haud dubie omnium & in primis regum ac magnatum corda tenuerit, cogitantium nihil in ſuum caput non auſuram ſævam illam memorabilemque fortunam, quæ verita non ſit manu ſacrilega ſacrum Franciæ diadema contingere, eſt mihi privati gemitus ac doloris cauſſa juſtiſſima. Nolo enim veſtra Majeſtas exiſtimet, me illius forſan humanitatis immemorem, quam in me olim invictiſſimus avus veſter [2] exhibuit; quam idem veſter genitor [3] multis & variis benevolentiæ regiæ auxit indiciis; quam veſtra quoque jam tunc venerabilis pueritia & præclara indoles fronte lætiſſima & ſuaviſſimis cumulavit affatibus. Hæc ſingula equidem ſic in animo ſedent, atque imis penitus ſunt affixa præcordiis, ut eorum lucidam radicatamque memoriam nulla unquam ullius ingratitudinis nubes tegat, vel convellat oblivio. Quinimmo cum avitæ, vel paternæ, vel veſtræ benignitatis inſignia, quibus me certatim omnes hominem vix tenue-

1 ſic: forte *ad me* 2 Carolus Valeſius Comes. 3 Philippus VI.

tenuerunt vobis cognitum, honeſtatis multa & magna tunc merito judicarem; deinde certe memorata atque aucta ſunt tempore, meoque tantum crevere judicio, ut quæ tunc magna viſa ſunt, nunc maxima videantur, & prorſus omne meritum meum vincant. Quæ quodam tempore mecum reputans, una cum reliquis fidelibus & amicis veſtris queror & lugeo tanti Domini mei caſum. Verumtamen cogitans ſtatum veſtrum & juvenilibus humeris[1] regni pondus impoſitum, poſtremo cuncta circumſpiciens, quoniam dolori meo ægre impero, veſtrum cupio temperare, & lugentium unus e numero, conſolatoris partes, fide valida cogente, ſuſcipio. Dedit adoleſcentiæ veſtræ Deus, quod vix raro virorum illuſtrium ſenio dare ſolet, ut ætate hac, vanitatem rerum humanarum & fortunæ vim ac perfidiam agnoſcatis, quæ profecto nullis aliis artibus vinci poteſt, niſi ſumma ſtabilis animi virtute. Illam vobis natura contulit, experientia firmavit, ſtudium meditatioque perficiet: cujus ope vel hoſtium vel fortunæ vincetis inſidias. Remoto patre, regni ſalus & publicæ ſpei anchora in veſtra virtute fundata eſt; quam Deus ideo belli caſibus præſervavit incolumen, ut eſſet, per quem & ſperari poſſent tanti patris vel liberatio vel vindicta, & tanti regis gubernacula regerentur. Onus grave, ſed, Deo auxiliante, poſſibile; & quod ætatem veſtram excedat, fateor, non virtutem.

K 2 Sed

[1] erat annos natus XIX, aut forte XX.

Sed quoniam & recentis damni memoria, & præſens occupatio veſtra multiloquio ſtaret adverſa, finem verbis imponam; hoc adjecto, quod ſi veſtris regnique veſtri laboribus opem aliquam mea devotio ferre poſſit, quicquid ſum aut poſſum affero pura fide veſtræ inclitæ Majeſtati; quam mei memorem conſolari, patre inclito libertati ac gloriæ propriæ reſtituto; quamque feliciter ſerenare & ſtabilire divinitus ac victorioſam facere dignetur Altiſſimus.

Compoſita per dictum
Franciſcum Petrarcam

III.

Domino Cardinali Bononienſi[1] *ſuper eadem captione ex parte præfati Domini Galeacii Vicecomitis.*

REverendiſſime Pater & Domine. Audito rumore flebili ac ſtupendo ſuper caſu miſerabili & inaudito Illuſtriſſimi Domini mei Regis, tanto ſum mœrore ſimul ac honore concuſſus, ut vix aliquid loqui ſciam. Quis enim ſibi hanc vitam ac incertam fortunæ aleam tutam ſperet, quando in ſummo ac unico Francorum Rege tantum facinus auſa eſt; quem glorioſo e ſolio ad terram & uſque ad manus hoſtium detrahere manu impia & temeraria non expavit. Lugere debet, niſi me fallit amor, totus terrarum orbis, atque omne genus hominum, maxime qui in altiori aliquo ſtatu ſunt. Singularis autem

1 V. Præfat.

tem dolor, & inconſolabilis eſt ſuorum, quorum ego me numero adſcribere audeo, quin etiam teneor, recolens quam benigne, quamque ſuaviter viſus atque tractatus fui olim, tam per ipſum dominum meum Regem, quam per inclitæ memoriæ patrem ejus, necnon etiam per hunc filium ejus primogenitum, quem Deus omnipotens ad ſalutem regni, & tranquillitatem fidelium reſervavit: qui, quantum in illa tunc puerili ætate ſua fieri potuit, tanto me favore complexus eſt, ut imaginem ſuam præcordiis meis affigeret perpetuo duraturam. Illi nunc igitur, ut dignum eſt, ſincera fide compatior: de ipſius tamen egregia indole ac virtute confido, quæ divino fulta præſidio & patrem liberet, & deſtituti regni gubernacula moderetur. Et ſibi ergo devotionis ac fidei meæ teſtes litteras miſi, & vobis, quos poſt ipſum ſolum, mœſtos his rumoribus & turbatos ſcio. Hoc, quod inter luctum & occupationes meas licuit, ſcripſi, quo me veſtri doloris participem indicarem. Perſuadere ſibi dignemini, ut me ſuo in omnibus fiducialiter velit uti. Altiſſimus vos promoveat & conſervet.

Compoſita per ante dictum
Dominum Franciſcum,

I V.

Copia diffidantiæ Illuſtris Principis ac magnifici Domini Domini Galeacii Vicecomitis, Comitis Vi tutum, Mediolani, & Imperialis Vicarii Generalis miſſæ Bononienſibus.

A tergo. Egregiis viris. Ancianis. Conſulibus. Civibus & Comunitati Bononie.

DOlemus & compatimur, cives egregii, quod alienis demeritis, contra civitatem veſtram, quam ſemper claræ memoriæ Dominus Genitor noſter quadam ſpeciali cordialitate dillexit, quamque, nos paterna in hoc ſequentes veſtigia, firmaveramus in animo,& in comuni ſemper, & in particulari diligere; cogamur nunc bellica arma movere, quæ in ſolos auctores pertinaciſſimos tanti mali, ſalva re veſtra publica, ſi foret poſſibile, libentius, ceu in benemeritos) verteremus. Arciguelfos videlicet Florentiæ paucos intelligo, qui civitatis Florentiæ regimen ſub ſpecie libertatis uſurpant; quive non contenti civitatem illam deſtruere in qua nati ſunt, nunquam ceſſarunt, quouſque ſeminatis ſuſpicionibus ſubdolis, vos non ſolum ad imitandum ipſorum voluntatem, ſed ad quamdam ſervitutem ſecum, ſub coloratæ & longe impari confederationis velamine, ſeduxerunt. Et vos calliditatibus ſuis illaqueari adeo permiſiſtis, ut neceſſe ſit, quod ſi, prout

prout propoſuimus, contra ſtatum ipſorum, per ultionem condignam illatarum offenſarum magnificis filiis noſtris Senenſibus & Peruſinis, violatis per eos evidenter capitulis univerſalis ligæ, agere bellicoſe debemus, contra vos etiam & ſtatum veſtrum pariter agamus; ne quieſcentibus vobis, intactiſque rebus veſtris, poſſitis eos ullis favoribus vel ſubſidiis ſuſtinere. Proinde, non ut ulciſcamur injurias aliquas vel offenſas; nullas enim huc uſque inter vos & nos interveniſſe fatemur, cum tam multa intervenerint beneficia, quæ ne videamur improperare, ſilemus; ſed ut Arciguelfis auxilia veſtra deficiant, vos & ſtatum veſtrum a die præſentationis harum noſtrarum litterarum in antea, coacti plus quam voluntarii diffidamus.

Data Papie die ultimo Aprilis MCCCLXXXX. Indict. XIII.

Galeacius Vicecomes Comes Virtutum Mediolani & cameræ Imperialis Vicarius generalis.

V.

Reſponſio Bononienſium

A tergo. Magnifico & excelſo Domino Domino Galeacio Vicecomiti Mediolani &c. &c.

Non expectavimus uſque ad horam noviſſimam, vir magnifice, qui in malicia gloriamini tamquam potens in iniquitate, cognoſcere verſutias mentis veſtræ, quibus ab improviſo plurimos ſeduxiſtis.

xiſtis. Etenim jamdiu fictiones veſtras agnovimus, & contra illas ad præparationem pugnæ nos, digno ſuffragante conſilio, duximus eſſe muniendos. Et ut dimittamus fallacias virulentas, quibus non tantum minari conamini Communitati noſtræ, quantum & ſatagitis nos a contracta cum magnificis & potentibus fratribus noſtris cariſſimis Dominis Florentinis, inviolabili uſque ad exitum confederationem disjungere; diffidantiam veſtram exultanter accepimus. Et confiſi de juſtitia illius, qui diſſipat conſilia reproborum, quique eſt Deus exercituum, & Dominus ultionum, ad defenſas noſtræ populicæ libertatis & offenſas veſtras, promptiſſimis propoſitis conceſſam nobis a Domino potentiam oſtendemus. Sperantes quod hæc erit lætiſſima dies Judith contra Principem Olofernem, in qua penſata & machinata fidelibus diſpendia, in celebritatem preſentium, & extirpata radicitus tyrannica pravitate in poſterum, longiſſimam requiem convertetur.

Data Bononie die tertio Maii XIII. Indiction. MCCCLXXXX.

Priores artium & populi & comunitatis Bonon.

Vexillifer Juſticiæ & totus populus Bononien.

VI. *Epi-*

V I.

Epiſtola Antonii de Tartona deſtinata magnifico Domino, Domino Galeacio &c.

A tergo. Illuſtri Principi magnifico & excelſo Domino, Domino Galeaz. Vicecomiti, Comiti Virtutum, Mediolani &c. Imperiali Vicario generali, Principi & benefactori noſtro præcipue honorando.

Illuſtris Princeps, magnifice & excelſe Domine.

REdeuntes ad nos Oratores noſtri ad veſtram Celſitudinem deſtinati; plurima nobis gratiſſima retulerunt. Retulerunt ſiquidem eorumdem apud clementiſſimam dominationem veſtram noſtræ civitatis intuitu, benivolam, & hilarem receptionem; retulerunt exhortationes oblationeſque dulciſſimas, ea benignitate prolatas, quaſi a patre piiſſimo ad obſequioſos filios emanaſſent. Quid multa? Retulerunt quæ mentibus noſtris quamdam lætitiæ ſuavitatem & gaudii dulcedinem impreſſerunt. Nec eſt parvitatis noſtræ propterea tam ſublimi Principi poſſe perſolvere dignas grates; cum minus futurum eſſet quicquid circa exhibendas gratias dicere niteremur. Pro nobis igitur fidejuſſor pauperum Deus & gratias referat, & præmia digna compenſet, & glorioſum ſtatum veſtrum conſervet, & in longum augeat, ut optatis; quia quanto ſublimior

mior fuerit, tanto de libertate noſtra confidimus, & illam ſtabiliorem credimus, & ſperamus. Quam libertatem, Commune noſtrum, & nos ipſos ad honores & veſtra beneplacita præparatos Celſitudini veſtræ totis noſtris mentibus & affectibus commendamus. Datum Lucæ xv. Decembris.

Sub litta Anciani & vexilles Juſticiæ populi & Communis Lucæ.

VII.

Epiſtola una D. Collucii Pierii Cancellarii Comun. Florent. miſſa Paſquino Cancellario Illuſtr. Dom. Comit. &c.

Vir conſpicue, amice cariſſime. Cum virtuoſis, quorum profecto ingens ætate noſtra caritas eſt, favores omnes quos poſſumus debeamus, a quibus convenit illos petere, niſi quos videmus multorum cumulo præpollere? Noruntetenim ſapientes, hominem ad hominis auxilium eſſe creatum; cui inter cunctas animantes non eſt inventus adjutor ſimilis ejus. Memini & illum rerum omnium opificem Deũ nihil homini ſalubrius, nihilque etiam abundantius injunxiſſe quam caritatem, qua cum proximi dilectione Deum coleret & amaret. Novit & quilibet cui flumen ſapientiæ datum eſt, difficillime poſſe virtuoſos emergere, niſi quos voluit majorum benignitas ſublevare. Quorſum hæc? ut recorderis, quia cum te virtus tua extulerit, tum omnibus, tum

tum maxime virtuoſis obligatus es: non quia te poſſint convenire judicio, ſed ut ipſorum preces tum rationabilius, tum ſperantius tuis auribus ingerantur. Proinde, vir optime, quamvis te circumſtent ſupplicantium greges, & aures obtundant tuas uſque ad importunitatem, præbe rogationibus quæ de longinquo porriguntur auditum, & exaudi precor amicum pro amico, non tam ob amorem, quam ob ejus merita deprecantem. Et fac obſecro, ſi me diligis, ſi me carum habes, aut ſi unquam meis precibus moveri debes, quod pro egregio legum doctore Domino Rolandino de Campia de Regio, compatre & amico meo taliter intercedas, quod aliquod officium incipiendum de menſe Julii vel poſtea, quam citius fieri poteſt impetres & procures. Non enim pigebit, ut arbitror, in ejus promotione operam impendiſſe. Vir equidem eſt bonus, non illa vulgata bonitate, qua carentes malitia bonos appellamus, ſed illa bonitate, quæ, ut inquit Cicero, innumerabilibus meritis & laudibus continetur. Non ſum animi dubius, quod poſt experientiam, & amicitiam tuam merebitur, & ſibi majoris gradus eminentiam quamvis tacitus impetrabit. Vale felix; & illuſtri Domino meo, Domino Comiti Virtutum, quem mente tota veneror & adoro, ſi dignum putas humilitatem meam in conſpectu ſuæ Celſitudinis nominari, me devotiſſime recommenda; Et de hac reſcribe quid ſentias

tias & quid ſperes. Florentiæ xxv. Novembris.

A tergo litterarum. Inſigni viro Paſquino Cancellario Illuſtris Principis Domini Comitis Virtutum, frarri meo cariſſimo & amico honorando.

Sub litta. Tuus quidquid eſt Coluccius Pierius Cancellar. Florent.

VIII.

Leonardus Aretinus Magnificis Dominis Senenſibus.

MAgnifici ac potentes Domini, Dñi mei ſingulariſſimi poſt recommendationem. Non ſum oblitus, magnifici Domini, quanto me honore affecerit Civitas veſtra dudum, cum eſſem ad balnea Petriolana valetudinis cauſa profectus. Dona ſiquidem ac munera vel magno alicui domino congruentia Anteceſſores veſtri tunc in Magiſtratu ampliſſimo conſtituti, ſumma cum humanitate, ſummaque benevolentiæ ſignificatione uſque ad ea loca mihi tranſmittere dignati ſunt, ac tanto me honore afficere, quantus eſt puſillum hominem a civitate maxima publice honorari. Cum igitur & antea per me ipſum toto afficerer animo erga ſplendidiſſimam civitatem veſtram, tum inſuper tanto beneficio obligatus atque obſtrictus mihi viſus ſum ad reverentiam & amorem eidem civitati perpetuo exhibendum; quod præſtiti continuo ac præſtabo, quandiu mihi vita ſupererit. Cogitanti vero mihi

mihi jampridem, quemadmodum reddere aliquid viceverſa poſſem, non occurrebat ſane aliquid ante hoc tempus, quod dignum eſſet Excellentia veſtra. Nunc autem, quoniam noviter libros Politicorum Ariſtotelis in Latinum tranſtuli; & eſt judicio meo luculentiſſimum opus, plurimum utilitatis afferre valens gubernatoribus rerum publicarum (nam ejus doctrina tota eſt de gerendis, gubernandiſque civitatibus) volumen unum illius pulcherrimi operis veſtræ Magnificentiæ mittere conſtitui, quaſi ſignum & recognitionem amoris devotioniſque meæ. Veſtra igitur excellens magnitudo non dedignetur hoc parvum munus recipere, exiſtimans non exiguitatem doni, ſed affectionem mittentis, ac jubete, ut ejus legendi copia fiat civibus veſtris. Plurimum enim intereſt Reip. ut cives ſanctiſſimis præceptis imbuantur, ac non caſu, neque fortuito, ſed certo legittimoque calle per diſciplinam incedant ad civitatem gubernandam: hic eſt enim finis hujus præclaræ diſciplinæ. Nam, ut medico quidem ſanitas, gubernatori autem navis curſus ſecundus, Imperatori victoria; ita gubernatori Reip., felicitas civitatis ſua propoſita eſt, tamquam finis & intentio ad quam omnis operatio dirigatur. Hæc tamen non ad emendationem aliquam; nam optime gubernari Remp. veſtram judico; ſed ad incrementum rectæ gubernationis dicta intelligo; recommendans me ipſum ſublimati veſtræ, cujus ſum vere devotus. Florentiæ VIII. Kal. Decembr. 1438.

IX. *Leo-*

IX.

Leonardus Aretinus Innocentio Papæ VIII. *ſalutem & humilem recommendationem.*

QUI laudant tuam Sanctitatem, Beatiſſime pater, opus certe bonum agere pergunt, ſed contra tamen atque ipſi volunt efficere videntur. Rem enim ſupra ſuas vires aggreſſi, cum magnitudine ejus parem orationem præſtare non poſſint, tantam adhibentes, illam faciunt quantam ipſis verbis queunt inferre, cum veritate longe ſit major. Ego autem ſummas ac veras laudes in ipſis operibus tuis abunde petere arbitror, nec eloquentiæ omnino indigere; qui in ſummo faſtigio rerum, ſummaque letitia conſtitutus, ita ſalubriter omnia gubernas atque moderaris, ut univerſi homines te magnopere admirentur. Hæc cum per ſe illuſtriſſima ſunt, tum ea de cauſa magis elucent, quod exoluerant jam a ſæculo noſtro nec multis annis in Eccleſiam Dei reduci poſſe videbantur, quæ a te intra paucos menſes ſumma animi prudentia videmus reducta. Te vero Antiſtite, nihil ambitionis, nihil iniquitatis, nihil omnino ſordis auditur, aut cernitur: Tu omnem pompam, omnemque indignam potentiam repuliſti: Tu non vi nec armis, ſed lege & legibus valere voluiſti: Tu domum orationis reddidiſti. Pro quibus profecto rebus univerſi fideles, ſi modo eſſe volunt, optare dicunt immortalem fieri

fieri ut omnes animæ tam optimo paſtore diutiſſime paſcerentur. Sed cum inter ceteras tuas laudes doctrina quoque ſit rerumque ſcientia, putavi tibi fore non ingratum, ſi aliquid ſtudiorum meorum in tuo nomine oſtenderem. Itaque rem precioſam & valde luculentam, ſanctiſſime & beatiſſime Pater, ad te mitto, Platonis librum de immortalitate animorum. Nam cum illum Græcum legerem, multaque in eo libro pie & ſalubriter dicta intuerer; digna mihi res viſa eſt, quam in latinum converterem, & majeſtati tuæ deſtinarem; ut cui anima noſtra eſt mandata, intelligere poſſet quid ſummus Philoſophus de animo ipſe ſentiret. Erit igitur hic liber tibi, ut opinor, viro doctiſſimo & humaniſſimo non ingratus; ceteris vero hominibus valde utilis, cum ad doctrinam & intelligentiam, tum ad rectæ fidei confirmationem: nec enim minima pars Religionis eſt, quæ ad animas noſtras poſt mortem pertinet. Qua in re, licet Chriſtiana doctrina nullo indigeat adjuvamento; cum omnia uſque adeo firma & plana ſint, ut in neminem penitus, niſi omnino inſipientem ulla dubitatio cadere jam poſſit; tamen erit ad recte credendum non mediocris excitatio, ſi videbunt homines, Philoſophum ex omni gentilitate acutiſſimum ac ſapientiſſimum idem quod noſtri de anima ſenſiſſe.. Quamquam non in hac dumtaxat parte rectæ atque veræ fidei Plato conſentit, ſed in aliis multis; ut minime equidem admirer, fuiſſe jam nonnullos qui opinarentur Hebræorum

libros

libros huic Philoſopho non fuiſſe incognitos. Cernentes enim tantam doctrinarum convenientiam, nullo pacto ſibi perſuadere poterant, ex proprio ſenſu Platonem illa dixiſſe ſed aut ex externa Philoſophia didiciſſe, cum in Ægyptum profectus eſt; aut in ſacris libris, quos ſeptuaginta interpretes in Græcam linguam tranſtulerunt, legiſſe arbitrantur. Quod ſi temporum ſupputatio non patitur; tamen ex hoc intelligi poteſt, id quod nunc oſtendere volo; me ſcilicet eum Philoſophum ad te mittere, qui a vera religione, cultuque divino nequaquam abhorreret, ſed tantam haberet convenientiam, ut fundamenta ſententiarum ſuarum ex noſtris libris ſumpſiſſe videatur.

X.

Epiſtola Karoli Aretini ad Ducem Mediolani.

ILluſtriſſimo Mediolani Duci Karolus Martropinus[1] ſe commendat. Si quid Reges, aut quovis alio imperio conſtituti, feliciſſime & glorioſiſſime Princeps, ad ſua regna tuenda, civitateſve gubernandas viros ingenio præſtantiſſimos, moribus juvatiſſimos ſibi adjungendos putant, noſtro judicio præclare agunt. Nam & eorum vitæ jucundiſſimos comites parant, & ſuis hominibus eos gubernaturos præficiunt, quibus obtemperantes, ſi divino Platoni creditur, merito beatiſſimi ſunt nuncupandi. Non ſatis prudentis Principis foret, malle inter indoctos, quam

1 Sic, in Cod. *Marſupinus*.

quam inter doctos ætatem agere, & vocibus ſcurrarum, quam ſapientium ſuas aures quotidie circumſonare. Siquidem parens Philoſophiæ Socrates vel in conviviis, pſaltriis atque omni muſicæ varietati voces eruditorum anteponendas cenſuit: nec certe de ſuo imperio gubernando ſatis penſi habere videretur, qui id mallet temeritate fieri, quam ſapientiæ obtemperari. Quid enim abſurdius fieri poſſet, quam ſi noſtræ vitæ curriculo ducem quidem optaremus ſtultitiam, aſpernaremus vero prudentiam; præſertim cum hac felices, illa vero miſeri efficiamur. Quis in navigando, navi gubernatorem imperitum? quis gregi tuendo, paſtorem incautum præficiendum putat? navis namque magiſtro malo facile naufragium facit: grex paſtore improvido perit; univerſa verò res temeritate gubernante evertitur: quæ ſententia & apertiſſima eſt, & a Majoribus, non ſolum verbis comprobata, ſed re ipſa magis vſurpata. Quid enim aliud cauſæ fuit Pericli Athenarum Principi ut Anaxagoram; quid Scipioni ut Panetium, quid Dionyſio ut Platonem; quid denique tot Italiæ principibus ut Pythagoram accerſerent? niſi quod haud ſatis ſine doctiſſimis illis viris ſe felices arbitrabantur. Quo in loco ſi evagari vellem, non ſolum Fulvium, & Ennium, Catonem, Athenodorum; verum & Cæſarem, Alexandros, innumeroſque alios in medium adducerem, qui ſuas fortunas mancas eſſe quodammodo cenſuerunt, ſi ejuſmodi hominum moribus

 & do-

& doctrina non fruerentur. Itaque, clariſſime Princeps, quòd tuum imperium recte gubernari ducas, a viris gravibus, qui prudentia, qui doctrina, qui longo rerum uſu ceteris præſtent; quemadmodum tua ad nos humaniſſima epiſtola teſtatur, vehementer tuum judicium approbo: quamvis & tuum diviniſſimum ingenium, non minus conſilio & togæ quam bello & armis aptum exiſtat. Hujuſmodi tamen viri, cùm ob vitæ ſuavitatem, tùm ob imperii dignitatem & amplitudinem nullo pacto ſunt repellendi. Nam & Ajax ille Homericus Uliſſem ſocium non eſt aſpernatus, & Agamemnon, ſi plures ſibi darentur, Trojam facile perituram exiſtimabat. Quod vero in tam præclaro virorum cœtu me & cooptari & numerari non indignum eſſe putes, in eo tuam inauditam humanitatem, ſummamque in nos benevolentiam facile recognoſco: & quamvis nulla vox laude, ut inquit Xenophon, ſit jucundior; quamvis, ut Nævianus ille Hector a Priamo Rege & patre laudatiſſimo ſe laudari cupiebat, ſic ego ab illo Principe laudari cupiam, qui eſt militiæ ſplendor, decus Italiæ, omnium denique virtutum domicilium atque ornamentum; tamen amore hujuſmodi laudis non ita cæcus feror quin videam, quantum tam glorioſiſſimi ducis in nos humanitas & benevolentia de veritate detraxerit. Hoc certe fateor, me tali honore honeſtatum, cui, tametſi pro tui fortunatiſſimi imperii amplitudine vitam profunderem, nulla tamen ex parte reſpon-

ſponderem ; cui & nullæ gratiæ ſatis dignæ referri poſſunt. Nam cum id agere meditor, ſtupet ingenium, lingua hæret, eloquentia vero noſtra quæcumque eſt, muta quodammodo efficitur; omni denique ex parte vires noſtræ infirmæ reperiuntur. Non igitur ſatis tanto tuo in nos officio agi puta, ſi verbis quod fieri non poteſt explicetur, ſed, quod facilius eſt, ſi tacitis animis pandatur; nec eò me ingratum exiſtimes; ſed potius tributum velim magnitudini beneficii tuæ Celſitudinis: cui me, univerſamque noſtram familiam iterum atque iterum diligentiſſime commendo, quam æternus Deus fauſtam, felicem, incolumempue tueatur; eamdemque ſuis omnibus in cœptis ſecundet, fortunetque. Florentiæ XII. Kal. Martias.

Illuſtriſſimo ac glorioſiſſimo Principi & Domino Domino Franciſco Sfortiæ, Vicecomiti, Duci Mediolani, Domino ſuo præcipuo.

X I.

Porcellus Poeta & Orator Illuſtri Principi Sfortiæ inclito militum Duci felicitatem.

INſtituenti mihi quippiam ad te, humaniſſime Princeps, ſoluta oratione perſcribere, poſt divinum illud epigrammatum meorum munuſculum [1], digna quidem res mihi viſa eſt, ea ipſa de re

[1] Porcelli epigrammata nonnulla habes rurſum vulgata *Florentiæ* inter carmina *illuſtr. Poet. t. 7. p. 497.*

dicere,quæ maxime ad incredibilem virtutem tuam, & auctoritatem, ſi qua eſt, meam convenire videatur. Et quamquam non una eſt hominum utraque de vita ſententia, activa videlicet & ocioſa; id ipſe auxilio ac favore tuo fretus audenter aggrediar, ut & quid hac de re ſentiam intelligas, & tuum deinde quale ſit futurum judicium, tua pro liberalitate ediſſeras. Perſæpe enim, a negociis & rebus te bellicis transfers ad ſtudia litterarum, & ab ocio te ad negocium, militaremque diſciplinam traducere conſueviſti. Idque eo libentius facio, quod & res, mea quidem ſententia, quæ in medium deducatur digniſſima eſt, & dignitati tuæ, ut ante dixi, non inconveniens. Et ut quid exorare velim facile poſſis intelligere, nunc de re ipſa diſſerere incipiam, quam non modo aperire litterarum monumentis inſtitui, ſed me apud quemvis æquum judicem defenſurum non ſolum rationibus & exemplo, verum & ſumma hominum auctoritate, cui refragari poterit nemo,& id præcipue apud Illuſtriſſimum germanum tuum Franciſc. Sfortiam inclitum militiæ Imperatorem & Mediolanenſium Ducem, pollicear. Hoc mihi nihil gratius, nihilque jucundum magis eſſe poterit: ut & ille, non oportere magis ocio quam negocio indulgere, intelligat,

Non ignobilem arbitror, Princeps Illuſtriſſime, nec improbandam quidem, cùm pervetuſtam illam ceterorum virorum Illuſtrium conſuetudinem, tùm & in primis lautiſſimam divinamque Romanorum

manorum conſuetudinem,qui rem omnem quamvis arduam ac periculoſam fortiter & infatigate agere maluerunt, quam aliorum facta in ocio ſcribere; idque ea ut opinor ratione perſequi conſuevere, quod negocium ocio ſemper anteponendum judicarunt; tametſi alterum ita alterius eget auxilio, ut ab alio aliud corroborari videatur. Nam & arma conſilio regi oportet, & conſilio inveſtigata armis exequi neceſſe eſt. Quid enim Solonis Ariopagus tantum Athenienſibus profuiſſet, niſi clariſſimis Themiſtoclis victoriis, & rebus Milciadis filii Cimonis bene geſtis, eorum patria fuiſſet illuſtrata? Licet idem de Pauſania, deque Lyſandro ducibus Lacedemoniis dicere, quorum rebus geſtis, & dilatatum eſt urbis imperium, & nomen ita adauctum, ut vivant Lacedemoniæ res memoria hominum ſempiterna; etſi Lacedemoniorum Lycurgus auxerit gloriam legibus & diſciplinis. Prætereo ex eadem lingua & natione reliquos, Pyrrhum qui bello Tarentino primus elephantes in Italiam duxit, & Alexandrum Philippi Macedonis filium, qui ſubacta omni Græcia atque Aſia, in extremas Indiæ regiones penetravit; quos fama ad hoc tempus, cùm rebus optime tempore ſuo geſtis, tùm vel maxime ſcriptorum indulgentia unà cum illorum laudibus immortalitati conſecravit. Sed ad divinos illos Romani imperii viros,ut ſapientia, moderatione, liberalitate, ac juſtitia, ita & animi excellentia & corporis fortitudine præſtantiſſimos pedetentim veniamus.

niamus. Quis L. Apuleium Tr. Pl. ſapientem virum a Populo Romano habitum Furio Camillo audeat comparare, qui armis ſalutem patriæ ſtabilierat, & felicitatem, trucidatis Gallis Senonibus, ita auxerat, ut ſecundus pater patriæ cognominari mereretur? cum ille hunc, ferrea, ne dura dixerim, ſententia, ob prædam Vejentanam minus bene diviſam, falſo crimine in exilium miſiſſet. Qui duo Petilii, habiti in Senatu ſapientes in accuſatione Scipionis Africani? qui apud Linternum moriens ejus cineres in male gratam [1] transferri minime paſſus eſt. Et tamen ejus virtute & animi magnitudine Urbis Romæ imperium creverat, & ita creverat, ut Africani nomen ſibi vendicans, victo Annibale, fractis Pœnorum opibus, omnem Africam omnemque Hiſpaniam Romanæ ditioni adjudicarit. Quæro abs te, Princeps Illuſtriſſime, nunquid ſuis illi conſiliis tantæ patriæ profuerunt, quæ ſine Africano, Carthaginenſium incendio ac ferro; fuiſſet in cineres abſque dubitatione collapſa? At quem mihi Julio Cæſari parem dabis, ne ſuperiorem dixerim, qui oceano imperium & aſtris gloriam terminavit? Summa fuit in M. Catone ſapientia, & incredibilis tanti viri auctoritas. C. Lælius vir quidem maximo conſilio & ſingulari prudentia in Rep. habitus eſt. Sed ſi hunc vel illum ad divinam Cæſaris majeſtatem & animi magnitudinem, ſi ad clementiam & pietatem, ſi ad bellorum & patriæ glo-

1 Urbem.

gloriam; denique ſi ad augendum & ſtabiliendum imperium, comparaveris; nihil eſt ſane quod in medium afferri queat: cum ne ulla quidem in re Cato, nec Lælius, divinitati Cæſaris comparari poſſit. Quorſum hæc? ut intelligas, Princeps Illuſtriſſime, ſemper ocio negocium anteponi, vel ad conſervandam humani generis ſocietatem, quod a mundi principio æternus Deus voluit, ut terram repleret (unde eſt illud Domini, creſcite & multiplicamini, & replete terram), vel ad unius principis utilitatem, vel ad uſum rerum publicarum; quæ armis, juſticia, liberalitate, miſericordia, ceteriſque virtutibus, & cum moderatione ſapientia, non modo conſervantur, verum etiam augentur, & ita augentur, ut ceteris mundi Regibus eo dare leges & imperare videantur. Non enim ſolum nobis, ut eſt apud Platonem, nati ſumus; ortuſque noſtri partem patria vendicat, partem parentes, partem amici. Quis neget omnia ab immortali Deo in uſum fuiſſe creata? hominem autem ad uſum ipſius? unde illa eſt Philoſophi definitio; homo eſt animal ſociabile per naturam. Præterea quis eſt tam mentis expers, qui privato bonum publicum anteponat? Atqui actio communem & publicam affert utilitatem; ocium vero nihil habet commune cum ſocietate humana; ſolum ſibi vivit: unde eſt illud D. Hieronymi; ſancta quippe ruſticitas ſoli ſibi prodeſt. Q. Fabius Maximus ne privatos quidem honores ſaluti publicæ anteponit. Dicet fortaſſe

quiſpiam: nunquid, cauſſa eſt effectu ſuo nobilior, ac digna magis? Ocioſorum vita eſt hujuſmodi, ex qua activa oritur: quam quidem ob rem ex Philoſophi ſententia in argumentatione concluditur, ut ocioſorum vita negocio anteponatur; quandoquidem contemplatio negotiorum cauſa eſſe oſtenditur. Iſthæc diſputantis propoſitio non ſemper meo judicio recte concludit. Perſæpe enim filius, qui eſt patris effectus, eſt ipſo patre nobilior, ac dignus magis. Sed alio quodam modo reſpondendum cenſeo; quod hic de utiliore ac fructuoſo magis ad uſum humanæ ſocietatis, non de nobiliore digmioreque effectu contendimus. Activam vitam utiliorem Reip. & fructuoſam longe magis ad conſervationem humani generis, hoc certe ſcio nemo audebit inficiari. Inquirant igitur ocioſi, quod verum, ſimplex, ſincerumque ſit, & habeant ſimpliciter iſta ſtudia Philoſophiæ ſine invidia. Meum ſemper hoc erit judicium; intelligentiæ ſtudia perparum humano generi profutura, niſi ad actionem & communem utilitatem conferant. Recte igitur ac prudenter Cicero; contemplationis enim laus omnis in actione conſiſtit: abduci enim ab uſu publico propter ſtudia Philoſophiæ contra officium eſt.

At dices, Princeps Illuſtriſſime; Non mehercle quid velis intelligo; apertius poſt hac ſi placet; ut in omni hominum corona ea de ipſa re diſputare poſſim. Dabo equidem operam, & libenter, ut Claritati tuæ ſim mea hac oratione dilucidius. Eſt

ſermo

ſermo quidam in ore hominum, ſane imprudenter, parumque inconſiderate loquentium; quiocioſos his qui ſe ad negocia cujuſvis honeſti generis conferunt, anteponant. Sed reſpondeant, obſecro, aut deſinant clanculum minus bene loqui, ne invidi potius & detractores habeantur, quam veritatis inquiſitores. Eſt enim boni viri proprium, nolle fallere, ac ſapientis, ut A. Gellius refert, non poſſe falli. Adde, quod neque bonum, neque ſapientem virum decet, malle ſe videri quam eſſe ſapientem. Noſtris itaque aut rationibus acquieſcant, aut eorum opinionem defendant: quandoquidem vel victi mihi cedent, vel ipſe victus mutabo ſententiam, & ipſi militabunt. Quæro primum an non [1] perfecta eſt rerum cognitio, tametſi rem inchoatam nulla actio conſequatur; ſi eam virtutem deſerat, quæ pertinet ad tuendum humani generis ſocietatem, in quo eſt juſtitia? quis neget hoc? fides ſine opere nihil, ut D. Paulus inquit. Accedit, quod Majores noſtri actionem tanti æſtimavere, ut probante Cicerone, pluris, agere conſiderate putarent, quam cogitare prudenter. Præterea quæ eſſet illa animi magnitudo ſine hominum communitate quæ in actione conſiſtit? Quid ſcientia militaris? Quid cura triumphandi; etiam cum ſint omnia bene, prudenter, moderateque conſiderata & cognita? Dices, quod eſt apud Ciceronem; Parva ſunt arma foris, niſi eſt conſilium domi. Imo nullum

[1] Vim negandi habet.

nullum eſt pæne ſine armis conſilium. Ubinam conſiſteret illa humanarum rerum & utriuſque fortunæ contemptio? quod eſt proprium fortis magnique animi, & bene a natura conſtituti. Ubi eſſet quoque gratiſſima illa cùm ceterorum hominum, tùm vel maxime Rerumpublicarum ac Principum liberalitas? Qua ratione pietas in parentes, amor in liberos dignoſceretur? Quo pacto ſanctiſſimum illud vinculum amicitiæ intelligeremus? Quomodo Deorum immortalium religiones & ceremonias? Taceant, obſecro, iniqui tales rerum æſtimatores, qui negocio ocium anteponunt, ſi de rerum utilitate contendant. Sed quid te moror, humaniſſime Princeps? Num quid ipſa prudentia, quæ in rerum cognitione per ſe muta eſt? Quis eſt enim tam perſpicaci tamque acute ingenio, qui cum rectiſſime omnia noverit, omnemque rerum naturam intellexerit, non ſubito quærat, quicum quæſita & inveſtigata conferre, quem erudire ac docere poſſit? Socrates Philoſophorum parens Platonem erudiit; Lyſias Pythagoricus Epaminundam, Dionem Plato, Alexandrum Ariſtoteles, Trajanum Plutarchus, atque alii alios erudierunt, quò meliores fierent & doctiores. At dicet quiſpiam. Inquirant ocioſi volo; habeant quoad vixerint rerum omnium cognitionem ſine hominum ſocietate: ubi e medio exceſſerint, relinquant monumenta litterarum. O miram hominis ſapientiam! o incredibile acumen ingenii! o inauditam

ɪ Dionyſium.

ditam docti hominis inventionem! Hunc profecto hominem audire ſemper velim, qui novum ſane hominem fingit nunquam viſum, nuſquam inventum. Ego diſputandum de his rebus cenſeo quæ ſunt, non de his quæ eſſe poſſunt. Sed ſi ita eſt, nihil quidem refert roganti reſpondere: illi facile reſpondebunt; quod non ſine ratione ſuas ille rationes perſcripſit. In ea enim ſcribendi ratione actio eſt, ſine qua nihil altum, nihil magnificum, nihilque ad uſum humani generis accomodatum eſſe poteſt. Rogat quis denuo, quid de his dicendum ſit, qui divinitatem contemplantes ſine litterarum monumentis ſoli vivunt. Quapropter Chriſtiana religione conſecuti ſunt gloriam ſempiternam. Ego id ſacris Theologis inficiari non audeo; propterea quod intellectus & animæ bona bonis corporis anteponenda judicamus: hæc eſt & Ariſtotelis ſententia. Sed ſi velim in certamen deſcendere, eorum ratio longe abeſt a propoſita quæſtione, quæ uſum concernit rerumpubl. & humani generis comunitatem. Erit igitur nobilior ac tutior mentis agitatio, non utilior; nos vero de utilitate & neceſſitate certamus. Sed dic, obſecro te qui cauſam adverſarius ſuſcepiſti, quis inficiabitur, ſanctiſſimos illos patres, & contemplationi indulgentes aliquid agere? At quid, ſi quis roget? orant, contemplantur, mentes agitant, quas res in actione dubitat eſſe nemo. Nam orare ſedulo & contemplari quodammodo impoſſibile eſt. Ne igi-
tur

tur in ocio id temporis conſumant quod contemplationi ſupereſt, aliquid agunt; ut in vitis Patrum legimus; aut calathos & fiſcellas intexunt, retexunt; aut ſtagnant rivulos; aut hortis & oleribus indulgent. Hoc pacto vivendum eſt illis, quos neceſſe eſt, miniſtros eſſe ſibi in rebus ad cultum victumque neceſſariis. Id utrum ita ſit, humaniſſime Princeps, ſapientiſſimo judicio tuo differendum relinquo. Ad utrumque enim quam aptiſſimus, ſed, ad rem militarem longe promptior, & Majorum tuorum more inclinatior: tametſi, ut antea commemoravi, altera alteri auxilio eſt, actio tamen utilior, mentis vero agitatio tutior, quæ fortunæ volubilitatem contemnit, & periculis non ullis ſubjecta eſt. Quare perge ita ut facis, magnanime Princeps, ac gerendis rebus cùm pro regnorum amplificatione & paterni avitique nominis claritate, tùm & pro tuo, proque poſteritatis honore & gloria, ac ſeorſum [1] pro conſervanda humani generis ſocietate incumbas. Et cum ocio litterarum ſuppeditare non poſſis; res abs te magno fortique animo geſtas mandare litteris & æternitati potero in tuo ipſe nomine conſecrare: quod facturum vel metrica vel ſoluta oratione ſperes. Ita enim me velle ac debere, pro ſummis beneficiis in me tuis, profiteor; pro virili debitum erga te meum obſolvam. Vale Italiæ militiæque decus, ſpes mea & temporis noſtri gloria.

JOAN-

[1] Sin gillatim præcipue.

JOANNIS MANZINI DE MOTTA

Epistolæ Selectæ.

I.

Paſquino de Capellis honorando Secretario Principis Lombardorum.

PRincipem noſtrum glorioſiſſimum Joannem Galeacium, Virtutum Comitem, earum domicilium, Chriſtianitatis reparatorem, & Imperatorem Sereniſſimum Lombardorum, quanto nunc, & quam ingenti faſtigio ſummus rerum pater, & opifex exaltavit? Et quali voce, quibuſque operationibus, aut qua ſaltem imaginatione cordiaca, gratiarum ad debitas lationes ipſi omnipotenti Deo procumbere debeamus, nec mens ulla poſſet æſtimare, nec facunda quævis & fertilis ſermocinatio propalare. Multas quidem præſtantiſſimas & laudabiles victorias, grandiaque beneficia, non indigne tranſlatis tempeſtatibus, ſuæ magnificentiæ contulit ille princeps altiſſimus; quæ omnia in ſui laudem, nomenque benedictum, ſeſe recepiſſe faſſus eſt. Præ omnibus autem earum, preſens trophæum ſupradici ratio ipſa me cogit; cum excellat omnia mirabilia opera quæ noſtris temporibus contigerunt; ut antiquum & nobile Pattavium, ipſius victorioſo cooperante ſceptro, dudum ſibi ſublatam receperit libertatem, ſub tuto

tantæ

tantæ tuitionis imperio pacificam tranquillitatem de cetero poſſeſſurum. Quam ſævis & quam trucibus modis audiebamus & videbamus miſerandos & inſontes cives, qualibet humanitate poſtpoſita, immaniſſime lacerari? Hos uſu vivendi intempeſtive præciſo, vario exitiorum genere ſingultantem deformiter ſpiritum exhalare; hos funditus vulſis luminum orbibus vitam in tenebris tædioſam agere; hos mutilatis trunco tenus membris, ad nullum amplius vitæ commodum degere ſe deflentes [1]: hos linguis reciſis radicitus oppreſſionis ſuæ pœnas compaſſionabiliter lugere: alios plurimos utriuſque ſexus aut turpiter proſtitui, aut per alienas diſperſos terras gravi exilio profugari. Sed victorioſiſſimus princeps noſter has omnes miſerias propria virtute diſcuſſit, libertatem reſtituit, lapſos erexit, tyrannidem proſtravit, ſuperbiam conculcavit, & pacis commodum lætifica nunciatione reduxit. Quo igitur voto, vel qua lingua gratiarum debitas actiones Domino noſtro Jeſu Chriſto, a quo omne datum optimum donumque perfectum, rependere valeamus? Dicamus itaque canticum Moyſi ſervi Dei; Magna & mirabilia opera tua Domine Deus omnipotens, juſtæ, & veræ viæ tuæ Rex ſæculorum. Quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum? quia ſolus pius es; quoniam omnes gentes venient & adorabunt in conſpectu tuo, quoniam judicia tua manifeſta ſunt. Gloria in excelſis,

1 Hæc de Ezelino narrantur: ſunt tamen his temporibus paulo antiquiora.

celſis, gratia & benedictio Deo noſtro in ſæcula ſæculorum, quoniam vera & juſta ejus judicia ſunt. Accuſata etiam eſt inveterata malorum dierum nequities, perveneruntque peccata ejus uſque in ſummum, & recordatus eſt Deus iniquitatum ejus. Regi autem noſtro virtuoſiſſimo, honor, virtus, & victoria, & fortitudo potentiſſima, & corona aurea ſtellarum duodecim in capite ejus; quia eſt ſalus magna populorum Dei; qui habet in manu falcem acutam & colubrum ante ſe: immittat igitur ipſum & falce metat, quoniam venit hora ut metat, quia meſſis aruit, quia ipſe ſolus poteſt colligere. Irrumpat igitur more Cæſareo; & ſtatus orbis reformetur in melius ſub regimine ſuo. Quam modica enim manu, totius orbis ſibi Julius ſubegit imperium? Quam puſillo principio Alexander Rex Macedonum climata tanta ſubegit? Hiſtorias tibi omnium ipſarum refertiſſimo allegare ſupervacuum eſt. Nulla ſit mora tam mirando principio: non tepeat; quoniam ad ſummum pervenire, poſtquam pluſquam prima tenentur, eſt facile. Sibi non deſunt arma, non ſtipendia, neque conſilia, neque tempus. Cum ſecum habeat Camillos, Fabricios, Regulos, Scipiones, Marios & Catones. O Bononia quæ olim Matrecula dicebaris huc advoca Præſidem, Regemque tuum, & non irrigaberis quotidie tuorum incolarum cruore. Quanta enim latentia odia in te civium mentes rodunt? Quot redemptiones obſcenas ſingulis annis ſocialium officinis ex-

exburſas? Hæc omnia quantocius ceſſarent, & non Bononia pinguis, ſeu pinguiſſima diceteris, ſi ſub hujus feliciſſimo principatu te dares. Domine mi, non ita meritum unquam egit Dominus noſter, quam Bononiam liberare; quia non ab uno Tyranno ſed a mille canibus devoratur. Unum dicam; quod non ambigo, quoniam breviori tempore de ipſa voti compos extaret, quam Patavii fuerit: cum meminerim ea tempeſtate qua Bernabos Princeps ruit[1], me illic ſtudiorum cauſa degentem hauſiſſe mille voces optantium, ſub domini noſtri clementiam devenire. Prodeant igitur vexilla ejus, quia nihil ei reſiſtet, & faciliter poterit ad Imperiale faſtigium exaltari.

Joannes Manzinus de Motta.

II.

Illuſtri Principi Lombardorum Domino Galeacio Virtutum Comiti, materni obitus conſolatio.

FElix namque prædicaris in orbe, ſublimiſſime Princeps, nec immerito. Nam te Deus præpoſuit gentibus gubernatorem, & in brachii tui potentia, & in dexteræ tuæ robore populos ſub juſtitiæ regula, clementi ſubmiſit imperio. Te natura parens præſtantiori ſtructura membrorum, & decora

1 Forte cum captus eſt a Galeatio fratre a. 1385. Caſum illum ejuſdem *ruinam* vocat Sozomenus Piſtorienſis *t.* 18. *Mur. col.* 1128. antiquius tamen tempus aliquod hic indicari puto, ſive inſignem aliam calamitatem.

decora corporis elegantia glorioſiſſime perdotavit. Te fortunam ſuis affluentiis copioſum, famæ prædicatione per exteras nationes procul motas, Reges & Principes, excelſum, victorioſum in populis, gemmarum precioſitate fulgentem, equis & phaleris, aſturibus, falconibus, canibus, de ultimis regionibus barbarorum, ab Arabum & Indiæ Præſidibus muneratum, ſuum alumnum fecundius educavit in terra. Habes porro inclitarum urbium, ingentium caſtellorum, munitarum arcium & ædium regiarum precioſiſſimas poſſeſſiones, viridariorum ſepta, & ſilvas conſpicuas, ferarum varietate concluſas. Imperitas, Heros clariſſime, ei valli, qua in orbe terrarum nullam ſe opulentiorem, nullam arvis pinguiorem, nullam lacunarum piſcinis gratiorem ſe ſentit. Ipſa etenim Lombardia de Europæ provinciis, pro quantitate quam luſtrat, fama pinguedinis glebæ, ſtructura urbium, incolarum gregibus & virtute, amnium meatibus & rivorum, & denique qualibet præſtantia, & fructuum productura, ceteras antecellit. Huic itaque dignum Principem tuis meritis & virtute voluit Altiſſimus te præeſſe; ad majorum tamen culminum apices reſervatum multiplicabilibus incrementis. Nolo prætere illuſtres & præcipuas ſerenitatis tuæ dotes negligenti ſilentio præterire. Tu enim conſortia virtutum eminenti faſtigio comitaris. Te totum Prudentia circum luſtrat, Magnanimitas fortificatione præfulcit. Juſticia, quod cuique conve-

M nit

nit, te reddit munificentiſſimum largitorem. Te Temperantia modeſtiæ retinaculo propulſorem, præbet urgentium voluptatum. Te denique Spes optima, te Fides orthodoxa, & te perfecta Caritas conſectantur. Ideo bene meritò Comitem Virtutum [1] te prædicant univerſi. Præter hec eloquentiæ tam lacteo dulcore auditorum reficis aures & mentes, & quam dulciſſimis tui colloquii pabulis omnes avidiſſime ſaturantur. Sed ecce nihil poteſt eſſe ſub Sole continua ſui totalitate jucundum, nec poteſt dulciſſimum mellis nectar abſque muſcarum mixtione guſtari. Nec poteſt libari dulcedo, quam non inficiat aliqua fellea permixtura; ſed qui amplius de jucunditatis participat portione ſe debet feliciſſimum recenſere. Hæc ideo, ſereniſſime Princeps, preſenti oratione conſcribo; quoniam nequaquam ſum dubius, quod te multum diebus iiſdem carnis teneritudo momordit, tuo congerens cordi gemitus & amaricationis aculeos, tuis incutiens præcordiis mœroris ſpicula doloroſa, tuiſque propinans oculis ſcaturientes rivulos lacrimarum. Cum ſcilicet placuit illi Deo principi omnium creaturarum ſuas cæleſtes ad arces trahere tuam mellitiſſimam & dulciſſimam genitricem, cujus tantæ ſunt laudes & benemerita divulgata, quæ longam requi-

1 In verbo illo ludit; cum notum ſit *Comitem Virtutum* dictum, quod regionem *Verdus* dotis nomine a Galliæ Rege accepiſſet: quare *Procuratorium* Valentinæ filiæ ap. Benevenutum a. S. Georgio *tom.* 23. *ſcript. Mur. col.* 615. nominat Bertrandum Guaſchum *gubernatorem Comitatus Virtutum*.

quirerent prolixitudinem ſcripturarum. Eam ergo mitiſſimam & præſtantiſſimam matronarum Italiæ, imo mundi ad ſe feliciſſimam traxit Deus, melioris vitæ & felicioris letitiæ Chriſti gaudiis mancipandam. Et oro Illuſtriſſime Domine, quæ unquam legitur hera, que auditur matrona tantis gaudiorum cumulis floruiſſe? Hæc etenim longæva curſum vitæ ſatis amplum explevit, linquens poſt ſe filium tantæ dominationis celſitudine prominentem. Vidit ipſa pro majore ſuæ conſolationis augmento, ante ſui ſpiritus receſſum a corpore, poſt multas magnificentiæ tuæ palmas, glorioſiſſimoſque triumphos, vidit, inquam, felicem de alma civitate Veronæ victoriam, & tanti tui principatus augmentum. Et quis infitiari præſumeret, talem matrem feliciſſimam extitiſſe? & ab hujus ergaſtulo vitæ objiſſe contentam, quæ talem tamque celſum foret natum poſt ſua funera relictura? Quemadmodum enim te cernere potuit in dominio magis altum, cum ut Rex vel Imperator vel monarca unicus ſis in orbe? Et ad pleniorem lætitiæ ſuæ ſummam receſſit cum inexhauſto gaudio de præſenti, ſpem ferens ampliſſimam de futuro. Quare, celſiſſime Princeps, non plus de ejus debes funere profligari, quam, quod felix & beata deceſſit, gaudioſe lætari. Naturæ tamen ordo repoſcit, ut humaniter lugeatur; nec ſicci maneant oculi, nec etiam diu fluant. Satis igitur mœſticia ſuo jure functa ſit, abjiciantur luctus & lacrimæ. Vides enim

quodæternus opifex Deus te magnopere diligit. Abſtulit longævam & dulciſſimam genitricem; contulit dulciſſimum puerum tibi natum. Abiit mulier jam vetuſta; infans maſculus tributus eſt. Vento corruit arbor ſicca; ſed ex firmiſſimo ſtipite & radice ſolida tellus novum pullulavit arbuſtum. Eja ergo heros ſolenniſſime, cognoſce & adverte, quod es filius Dei dilectus, in quo bene ſibi complacuit, quem præpoſuit populo ſuo, potentia, viribus & decore. Solare Princeps, ſolare, quoniam magnificabit Altiſſimus thronum tuum & præficiet te regnis & urbibus; & beatus es, & bene tibi erit. Et ſentient gentes colubrum tuum mordentem, ſi a tua majeſtate divertant. Ponat igitur Deus in brachio tuo fortitudinem ſuam & in vertice tuo virtutes ſuas; ponat hoſtes tuos ſcabellum pedum tuorum, & ſubjiciantur tibi fines terræ.

Joannes Manzinus.

III.

Strenuo, & claro juveni Frederico de Villa Franca Marchioni Maleſpinæ &c. majori ſuo [1].

HEU quando dabitur malorum finis? heu quando navicula Petri per Scillæas rabies, Charybdimque disjecta, per fluctuoſoſque turbines, vada latebroſa, atque diſcriminoſas inſidias piratarum; quando,

1 Ideſt Domino ſuo.

quando , inquam , portum ſortietur quietum ? quando ceſſabunt circumdantia dolorum pericula ? & accnitum nocuum & vipereum virus, afflare non deſinens nigrantes nebulas , & ligurientes locuſtas, Dei Eccleſiam funditus conquaſſatam ſævo tabi virore perurentes , & indigna manducatione vaſtantes ? Quando reformabuntur tempora in priſcos mores laudandos , & imitabiles , per noſtros ſanctiſſimos patres traditos , & uſque ad orbis finem vehementi religione ſervandos , niſi prava gentium ſcelera obſtitiſſent , Chriſticolarumque degenerantium crimina , rapinis , libidinibus , ambitionibus , ſimoniis , ſuperſtitionibus , & denique ſceleribus quibuſque commixta . O mala ſemina ! o nequiſſimæ nequitiarum ſordes ! o pudenda rerum diſcrimina ! o peſtis infandiſſima ! o hydra immanior & truculentior Herculea! ad quid ventum eſt ? Tu o ſumme olympi rector , o bone Jeſu humani generis redemptor, jam finem ſtatue tantis malis : tolle de medio , tolle, diſjice hos truculentiſſimos homines derelictos ab humanitate , Chriſtianos derelictos ab omni Chriſti religione , qui portant veſtimenta paſtorum , ſed corda & operationes crudelium veſpertilionum , qui geſtant induvias ovium , rapacitatem Lycaoniam intrinſecus palliantes . Diviſerunt agrum tuum , ut deſolaretur populus tuus. O ſumme tonans qui pulcherrima facie tua , omnia conſpicis & illuſtras , intende & converte proſpectum ad tuum populum deerrantem , & reduc ad

unius verticis debitam unitatem, fluctuantem Eccleſiam. Cymbam Petri quaſſatam ſævis ventorum turbinibus ad portus placeat reducere quietos. Abjice de viventium cœtu diſſidentes turbatores, ſubdoloſque pomparum & libidinum ſectatores, non imitatores frugalitatis Chriſti. Fac omnes nationes orbis terræ ſe converſas faciant mente fidei tuæ ad Urbanum tuum ſanctiſſimum Vicarium; qui quantum propter nomen tuum paſſus eſt, ipſe noviſti. Quis unquam Petrus, quis Silveſter, vel quis alius tuus ſucceſſor, tuique vicarius ingentiores perſecutores habuit? quis graviora perpeſſus eſt? Quis Paulus majora per diſcrimina latronum, homicidarum, raptorum, & gentium efferarum tranſgreſſus eſt? Quis pelagi faſtidia, terrarum exilia graviora ſuſtinuit? Hic quos præfecerat, contra ſe ſævientes infanda rebellione perſenſit. O ingratitudo, ſervitiorum ingluvies, profunditas oblivionis, & beneficiorum abſorptio, & omnium facinorum fundamentum! o ingens deſperationis impulſio! contra ſe ſentire mordentes tamquam viperas venenoſas & aſpides mortiferas, quos ſuis beneficiis ipſe celſo erexerat in culmine conſtitutos. Habuerunt alii magis tolerabiles perſecutiones, ab hoſtibus, ab idolatris, ab infidelibus perſecuti: hic vero a ſuis filiis, a ſuis ovibus, a ſuis ſervis pulſus eſt, & enormiter eſt impulſus. Heu contra naturæ legem, inſurgere filios in parentes, contra dominum ſuos ſervos? Quis vero legem profeſſus, talia

fando

ſando non prorumpat in fluvios lacrimarum? Heu quotiens ipſe mecum gemui, dum adoleſcentulus percipiebam vicarium Chriſti, imo Chriſtum in vicario ſuo iterum cruciari, iterum obſideri, iterum laqueari. Quid reſtabat amplius, ni quod cruci figeretur Urbanus noſter beatiſſimus, columen Fidei Chriſtianæ, cæli Atlas, luminare majus in mundo? Dixit ipſe tamen, cujus verbum non deficit ſed impletur; nolite tangere Chriſtos meos: dixit; mihi vindictam & ego retribuam. Quæ enim de ipſo per ipſum miracula fecit Deus? Et non amplius terremur exemplis? non mutant animum terræ gentes? Et ecce nihil vidimus, majora cernemus. Juſtum eſt namque, ut in veſpera hujus vitæ recipiat magnam cenam, qui tam longam diei menſuram tanto ſudore, tanta fatigatione diſcriminis laboravit. Quot enim ventoſos montes tranſegit? Quantum fluctuantis maris emenſus eſt? Quantis curarum ponderibus fuit graviter oneratus? Sed Dei munere faciente, mirabilis emicuit, tamquam leopardus illæſus tranſiliens per tela & venabula venatorum. Audiebam hæc non ſine magno cordis angore & compaſſione gemebunda. Et utinam taliſmodi mentis & animi forent ceteri baptizati! nequaquam enim ejuſmodi Summus Pontifex & noſtræ Religionis vere Rex turbine quateretur; ſed ad ſolitum & condignum imperium animarum & mundi reſtitueretur in integrum. Deus tamen, cujus judicia ſunt inſcrutabilia, faciat voluntatem ſuam, dum incline-

tur ad populi ſui reſtaurandam ſalutem. Strenue juvenis, ut compertum tibi ſcio, tuam domum Majores ſemper mei ſibi principem & dominam habuere. Sic ego genitorem & fratres tuos, teque habeo; dumque vita dabitur, conſtanter habebo. Quare ſatis quantum decuit gratulatus ſum, percipiens te penes dominum noſtrum Summum Pontificem eſſe carum. Scripſi prædicta nobilitati tuæ, volens aliquid ſcribere; hocque primitus ſe menti, & calamo primitus obtulit. Demum te hortor, & tibi ſupplico, ut promptiſsima, & fideliſsima ſedulitate te ſuſtineas, ſubjicias, & aſsiſtas omni famulatui domini noſtri Papæ: Et ſi quando dabitur modus pro mea aliquali promotione, memoriæ præſentatum habeas, & teneto. Vale mei memor. Datum Papiæ xx. Februarii.

Johannes Manz. de Motta tuus, Papiæ ſtudens.

I V.

Ad excellentem Phyſicum, & artium egregium profeſſorem M. Franciſcum Senenſem domini noſtri Papæ medicum, primumque regentem ſtudium Peruſinum, Patrem colendum.

Repente, pater colende, me tempus curtum & ſpacio carens ſcribere nunc coarctat. Ideo notas animi brevibus explicabo. Puto, me habueris excuſatum, ſi in abitu tuo de civitate Papiæ, te, uti fuit debitum, non utique viſitavi. Quam-

Quamvis enim nequaquam jungamur præſentia corporali, contiguis tamen continuò mentis affectibus copulamur. Et hoc haud dubie tibi non ambigor perſuaſum. Præterea conſpice, ſi de te ſpem habeo, ſi tibi fiduciam tantam figo. Nedum enim me ipſum, ſed alios, mihi tamen caros & benevolos recomendare ſum audens. Eſt iſte præſentium geitor, nomine Lanzarotus, patria Mediolanenſis, ſtudio Scolaris, facultate Legiſta, carus quidem mihi. Quare te, Pater, quæſo, quod ſibi director aſſiſtas juvamine, conſilio, & favore. Demum de tuo, quem ſumme in omnibus cupio valde ſummum, ſtatu, me certum, precor, effice. Hoc pro extremo corollario colligens & recordans, quod amor infima ſummis mira parilitate coæquat. Vale mei memor. Paſquinus dominus meus, tuique dilector & proborum, valitudinem jucundam ſortitur. Datum Papiæ XXVIII. Martii.

Johannes Manſ. veſter totus,

V.

Celeberrimo militi Domino Spinetæ Marchioni Maleſpinæ [1] *Domino meo.*

MAnzinus genitor meus, quem tibi optime notum ſcio, me adoleſcentulum Sarzanam tranſmiſerat pro Grammaticæ ſcientia capeſſenda. Jam venerat Nativitatis vigilia, cujus ſolemnitatem

1 Filio Gabrielis Malaſpinæ fratri Azollni Malaſpinæ.

tem hodie veneramur . Expectaveram gaudioſus, quod pro me pater mitteret, ut ſecum Paſchales agerem dies & cum dilectiſſima genitrice. Sed videns me de meæ ſpei conceptione fruſtratum, anxioſus & cogitabundus extabam. Exiveram namque ſolum valvam inferiorem, ſcilicet eam quæ ducit ad Macram, & animum ſecundùm diuturnas morulas gemebundus ſuſpiriis exhalabam. Et ecce quidam de meis coævis conſortibus diſciplinæ, ſcilicet genitus tonſoris de Gaſſano, tunc accolæ Funzani, hærentem me reperit, & gementem. Et quidnam, inquit, frater hic hæſitas plorabundus? Cui ego: huc uſque præſtolabar patris nuncium, quo ad ipſum pergerem, dies Paſchales acturus. Sed ſpes lapſa eſt; nec ſpero, quod amplius ullum mittat. Hæc eſt igitur cauſa, frater, cur tibi videor fletu plenus. Tunc ipſe: non, inquit, frater, taliter crucieris. Accingamus iter patrios ad penates; te etenim avidiſſime comitabor. Inimus conſilium ambulandi: erat autem hora decimanona, vel circiter. Conſcendimus itaque voluntarie, ſudantes & feſſi montuoſum iter & aſperum verſus oppidum Foſdenovi tuæ dominationi ſubjectum, & tui incliti congermani [1]. Ubi tandem cum fuimus, campanæ pro veſperis tintinnabant. Hinc abimus verſus Pulicam gradientes. Poteramus tamen per Tendolam compendioſius pertranſire. Sed inexperientia juvenilis, ignorantiæ cæcitate animum obum-

1 Azolini

obumbrat. Jam ſol plurimum declinabat, & villarum tecta fumabant. Cum prope Pulicam jam eſſemus, deliberationem invicem captamus in Pulica nocturnare: umbræ etenim noctis plurimum properabant. Ingredimur igitur Pulicam ferme funditus diſruptam per nequiſſimum Raynaldum Firmenſem, qui malo fine vitam ſuam vidit: iniquitates enim ſuæ capiunt impium, & ſuorum laqueis conſtringitur peccatorum; licèt ad vindicem impetum lento & tardo itinere procedat altiſſimus Deus, tarditatemque, ſupplicii gravitate compenſet, Valerio comprobante. Hoſpitamur penes quemdam Branchinum indigenam loci. Jam omnes murmurabant infantuli, cælo ſtellas aſpici, & congregabantur vicini, ſcilicet vetuli, ſeniculi, adoleſcentes, & pueri, ut focum redimplerent. Truncus quidam arboreus de oliva hærebat ad oſtii latus dextrum, cum aliquibus faſciculis palmitum viridantium, & omnis generis virgultorum. Et, ut mos eſt, patrum, per patrem familias capitur anterius ligni robur; alii circumjuvant, portatur in caſam, rogant, ſuſurrant, & parant agnellos & porcellos, infantulos quoque mares, poſtea cum magna lætitia combibentes. O felix & benedicta petitio! non petunt regna, non opes & ſaturas, petunt diminutius agnulos & porcellos. Parabile enim eſt quod natura deſiderat ad vivendum; ad ſupervacua deſudatur. Refecti igitur potu, dehinc luſtramus tuguria vicinorum identidem facientes. Po-

Poſtea diſcumbentes cum Branchino, lucerna bachalatio penſa lumina mutuabat. Non illic lautiori ambitione olba ligni nigra, ſeu nitida potum miniſtrabat. Conſedimus igitur diſculo: adeſt quidam panis craſſitudinis eminentis; ſcinditur per bucellas: primò ſua portio datur trunco; pauperi ſua portio reſervatur. Uxor fuſca non colore fucata, lagana cum nucibus & pane, contrito ſimul caſeo miniſtrabat. Non illic Carpio carus erat, non Lucius, non Torentina, non Tenta. Erant rapæ decoctæ ſub prunis. Mandimus igitur gaudioſe & pariter fabulamur. Denique caſtaneas comedimus pizutellas de Pupignachi ſilva conſpicua, vel aliunde collectas: mandimus quoque dulcia poma. Saturamur igitur illis epulis atque Baccho. Poſtea dudum vigiles, circa focum ſtratulo diſcumbimus valde duro, ſubjectis linteaminibus & mirica: fuit, ut clarius loquar de geniſta. Mane vero, aurora prodeunte, diſcedimus montivagi: per terras tuas, & in hora merarii attigimus noſtros lares, cum noſtris parentibus lætos dies agentes. Hæc autem tibi Domine nunc ſcripſi, quoniam heri, dum forem in cena, memor fui moris noſtræ fideliſſimæ vetuſtatis, variis modis & ritibus in diverſis partibus obſervati. Vale Domine xxv. Decembr. 1388.

Johannes Manſ. veſter famulus.

VI.

V I.

Andriolo de Ochis Brixienſi.

EMinentium verborum edita ſenſibus, excelſi necnon ingentis ingenii vera index epiſtola tua, colende vir, ſuccinta admodum, ſed muxtuoſa, verum credulitatis de me acceptæ fama linguaci at non veraci referente, fallacia decepta nimirum, ad me venit. Hanc itaque quantocius habitam totam legi, ſummam intentus miſſoris deliciens concluſive [1], cujus iterata denuo lectione particulariter totam cœpi. Rebar hercle coævum mihi aliquem ex ephebis egreſſum, ſeu mei familiarem amicitiam capere meditatum, ſive me pro reſſponſo tentaviſſe pungentem, aut utriuſque rei de cauſa, ut aliunde mihi plerumque accidit, tam alto ſtilo & blandiloquo, mearum ironicarum laudum præconio, talia conſcripſiſſe. Solent enim juvenes, quorum ingenio vis fervida ineſt, peregrina, magnaque quæritare vocabula, & hujuſmodi ſententias altæ mentis incude malleare, & malleatas in formam egregiam figurare. Convenerat epiſtolæ tuæ lator, mei notitia carens, virum doctiſſimum phyſicæ & artium, in poetica ſublimem, virorum optimum & mei amantiſſimum Johannem de

1 Barbari ſermonis ſenſum vis elicias, qui tamen is eſſe videtur; *ut intentus nuncii verbis, ex his deliceret*, ideſt eliceret, quò res tandem verteretur, atque hinc relegens ſingulas partes epiſtolæ, quid tandem vellent, intelligeret.

de Traveſis Cremonenſem, qui illico pro me miſit, multarumque & eximiarum de te laudum, ſolum proprio nomine non expreſſo, pronunciatione promiſſa, ab ejus qui geſſerat manu, mihi tuam litteram præſentavit. Qua perlecta, ut ajebam: quiſnam, inquam latori, te oro, hujus elegantis eloquii fuit auctor? quis eſt qui tam dulciter poſtibus meis excit? Eſt, inquit ille, Andriolus nomen viro, d'Ochis cognomen, ſeu mavis agnomen, patria Brixienſis, habitu honeſtiſsimus, vita tractabilis & jucundus, ætate ſeptuagenarius vel circiter, & omnium denique virtutem ſcientiaſque colentium ferventiſsimus prædilector. O inquam, benedictus vir! o, Dii ipſum beent, ſalvent, & diutius vivum reddant. O felix patria tali viro! Et ſeptuagenarius eſt? Eſt, inquit ille. Profecto, pater, ſtupui, & lætatus ſum, quod iſte talis & tantus adhuc vigeat fervor ingenii. Poſt addidit ille, hic venderet fundum, venderet domum, venderet conjugem, venderet ſeſe, cauſa emptionis librorum; quorum tamen habet copiam inexhauſtam. Tunc ego, ſatis ſuperque de te gratulans & admirans conticui. Et valefacto illi meo venerabili Præceptori jam dicto, latorique, in Bibliothecam meam illico me conjeci, paternitati tuæ meditans aliquid reſpondere. Ecce igitur arrepto graphio, non quæ tibi juſta eſſet, ſed quæ de conceptibus erumpet meis, ordiar reſponſivam. Primùm quidem, rectiſsimum juxta arbitrium Cicero-

ceronis nil cenſeo laudandius attribui poſſe ſeni, quod quò morti propinquior efficitur, eò magis ferventiuſque hæreat & incumbat rebus his quæ pariunt immortalitatem. Quod feciſſe reperimus Philoſophorum Doctores & magis authenticos, ſanctiſsimoſque viros & amicos Dei. Quorum aliquot exempla, gratia jucundæ rememorationis adducam. Salamon, cui data eſt omnis ſapientiæ plenitudo, apud Hebræos omnium doctiſſimus, nobiliſsimam diſcendi cupiditatem, prætextu ingraveſcentis ſenii, non abjecit, imo novum aliquid ſemper addiſcens, mortem oppetiit ſeneſcendo. Plato Academicus, mundi plagas omnes ſiti obambulans addiſcendi, per multa variàque terræ, mariſque pericula profectus, a Ponti prædonibus venundatus, tandem quod optaverat, Tarantinum veniens ad Architam, regreſſuſque demum patrios ad lares, ſupremo, ſuoque natali, ut ajunt, die, ſeu legens, ſeu ſcriptioni inſidens hinc ſpiravit. Utque non incongrue mixtim nova veteribus coacervem, noſtri ſæculi gloriosum jubar, noſtræque ætatis ſpeculum, laureatus Petrarcha Franciſcus, poſt tot librorum volumina a ſe compilata, unius & ſeptuaginta exiſtens annorum, diem clauſit extremum [1], bibliothecæ ſuæ penetrali, cubanti ſimilis, compertus exanimis ſuper libro: cujus obitum ejus domus non fuerat ita e veſtigio ſuſpicata. Acciderat enim quandoque huic

1 V. Præfat. Malta horum exempla habet & Petrarcha Senil. XII. 1. librum de longævis hominibus ſcripſit Jannottius Manettus.

huic ſtudioſiſsimo vati, ut dum ſtudio daret operam, tamquam foret ad cælum, more Apoſtoli Pauli raptus, die una naturali vel pluſculum, mortuo ſimillimus immobilis teneretur. Huic novo, de veteribus eſt Carneadem adjicere non abſurdum, cibi dum diſcumberet, prehenſo jam bolo, non reminiſcentem: Archimedem quoque tanta cordis adhæſione ſuo cuidam confixum operi, ut ſe negligeret. Qui inter quaſdam deſignationes ſuas, profecto, ut credo, non ſentiens, mortem hauſit, gladio ſaucius hoſtili. Prudentiſsimus ille Cato Latinas litteras jam ſeneſcens, Grajas vero jam veteranus addidicit. Varro, ut perhibent, doctiſsimus Romanorum centeſimum explens annum, legendo ſemper aut ſcribendo, ſtudiorum amorem pariter cum vita conſumpſit. Livius autem Druſus ſenio & cœcitate confectus juris civilis Reipublicæ commodiſſimam fecit interpretationem. Idem feciſſe legimus Appium Claudium, qui ſeveriſsimam de pœnis ſententiam ſenex cœcuſque dixit, ſe familiamque ſuam & Rempublicam rite gubernans. Homerus apud Danaos in poeſi primus, eodem caſu laborans, & affectu, ſeniſsimus obit. Socrates jam ſenex capularis, ut cantum diſceret, inſiſtebat muſicæ melodiis. Chryſippus in ardore medio ætatis inchoatum opus altiſsimum, in ſenectute longæva complevit. De Oratorio Iſocrates volumen nobiliſsimum; Sophocles vero jam ſeniſsimus præſtantiſsimas edidit tragœdias; quorum primus & centeſimum

teſimum agens annum, & alter prope centeſimum. Cleanthes apud illos, apud nos vero Plautus, pauperie primò preſſi, demumque ſenio, precioſa a ſe volumina reliquerunt. Philemon quidem meditabundus, ac libro ſuper incumbens, ſociis ipſum opperientibus, Pieriam animam exhalavit. O dulciſſima mors, quam profecto opto, quando placuerit illi principi Deo qui totum regit, me diſſolvere. De his contentus ſum: poſſum namque amicos Chriſti numerare quamplurimos. Sed Nicolaum de Lyra, qui Theologiæ maximus declarator ſuper totam Bibliam latiſſima & ampliſſima fecit commentaria, quanta fortis non portaret aſellus, tacendum fore non operæ præſentium reor. Hic xx. & centum annorum & plurium [1], tamquam robuſtiſſimus juvenis, voce clariſſima adhuc nodos ſacræ paginæ declarabat. Nunc ad te venio. Gratulor igitur, pater, tibi, quod ſenex ita vivax tenes tenax ingenium, & tam perſpicacem poſſides intellectum, & tantum ardorem contines apprehendendi, & tuis validioribus epiſtolis reliquos fatigandi. Et quod tibi nos juvenes facturos fore decet, incipis ipſe primus. Procedo ad reliqua. Quæ de me ſcribis, ſub decipibili credulitate cœpiſti; ego cuperem judicio tuo ſtare. Quid me comparas aquilæ, quæ ad menſas Deorum rapuit Ganymedem, cui ritiſſime Johannem Evangeliſtam

1 Ad oram codicis antiqua manu; *mortuus cum centeſimum jam compleſſet*.

Digitized by Google

novimus comparari. Te tamen more humilium, modicæ & incapacis intelligentiæ fore dicis. Sed tuum verbum, tuumque præſtans eloquium te longe alium indicarunt: moſtrant enim verba plerumque mentis penetral; nobiſque ait Plato ad hoc datum fuiſſe ſermonem. Demum; quod mordacibus ſtiparis viris, dolenter afficior; & optarem, ut Atlantem juvit Alcides in poli rectione, tuarum ſic potens forem curarum participem fieri, & te ab hoc quo premeris onere relevare. Multiplicitas namque curarum quod intenditur impedit ne agatur; veluti ſata creberrima arcto in loco conjecta ſeſe præpedire noſcuntur. Sed, o curæ hominum frivolæ, metus inutiles, ſpes inanes! torquemur & minimis quibuſque proſternimur. Ideo miſerabiliter humana conditio, niſi rationis virtutumque ſuſtentaculo, relevatur. Quare cum ſis prudentia comitatus, ut video; cum ſis temporis experientia perdoctus, ut audio, ſolare in eo qui ſolus eſt omnium ſolatium, & ſalutare noſtrarum remedium jacturarum, & dede te libris, & has mundi vanitates poſterga; & præſertim cum non habeas filios, qui cor patrum plerumque mordacioribus eradicant curis, ſeſe filiorum amore, perditioni corporis & animæ, ut eos dites linquant, indigne ſubruentium; Et ut tandem claudam epiſtolæ meæ metam, me tuum, precor, habe; deincepſque ut filio me potire. Vale 1388. prima Julii.

Johannes Manz. de Motta.

VII. *Ad*

VII.

Ad Iohannem de Horologio Patavinum inſigniſſimum Phyſicum.

SPeculum quoddam, qualibet retrolapſi temporis ætate rariſſimum, mirandiſſimum in noſtra virorum ſapientia pollentium inaniſſima penitus, interque clariſſima illorum veterum ingenia, quos imperitantis Auguſti tempeſtate floruiſſe, veridica quadam tua, nec non facunda epiſtola, quæ priſcorum merito intellectuum præſtantiores prius natis excellentias præconizat, elegantiſſime nominaſti, locabile non indigne; ſplendidiſſimum ingenii tui lumen, laudatiſſime vir, omnibus virtute & humanitate conſortium diligentibus percolende, verùm mihi ſtrictiori quadam reverentia præferende, per diem digreſſus a te ſecreta mente, ſed jucunda conſideratione mirabar. Et ſcito, pater, quod dudum, poſtquam hanc urbem introgreſſus ſum, quemadmodum claris pleriſque viris faciebam, ad te quoque aliquid ſcribere meditabar. Sed clariori, imo clariſſimo litteraturus viro, ſingularius aliquid intendebam. Merces enim quælibet ſuorum ſunt valorum preciis diſtinguendæ. Lana nobilis, non ignobili fuco, ſed murice precioſo, colore quoque præſtantiſſimo tingi debet; regum corpora fulgentiſſimis veſtibus induenda. Viri ſapientiſſimi, non nugacibus, ſed ponderatis, maturi-

 turi-

turiſque ſunt alloquiis adeundi. Quare, quando me rebar impotentem ſcribere tibi huc uſque, vir præſtantiſſime, deſes fui: non enim mihi æquum videbatur, ſed abſonum; quod ignotus & indoctus ego, quique ſim juvenis imperitus, te virorum doctiſſimum, reverenda jam canicie colendiſſimum & maturiſſimum in omnibus, ſic inconſiderate, & præcipitanter affarer: præſertimque cum ferme per quadriennium a ſtudio vacaviſſem. Ad hæc, (ita mihi ſuperi auxilientur) oſtentandi de me cuiquam ſuſpicionem ingerere non optarem. Novi enim aliquot, qui ut mirabiles appareant dictatores & famoſi Rhetores, prædicant, ſcriptitant undequaque: qui cum ſeſe autumaverunt famam nactos, faſtidium ingerentes, indoctiſſimi ſunt reperti. Quorum de acie nollem fore; poſtquam de te jam indelebilem cordis mei conceptibus compreſſi fiduciæ cicatricem, quam cauterio caritatis impreſſi, & ubi intus mentis in medio ſumpſi tuæ venerandæ dilectionis emblema, teque habendum fore dum vives; poſtque fata, ſi tibi ſuperſtes manſero, abſentem, præſentemque pro meæ intentionis proſpectibus propoſui ſemper pro eo bono & ſpectabili viro quem dicit Annæus, ut tamquam te conſpiciente convivam, teque meis in actibus ſemper reverear: & quoniam ſilentium modo rupi & audacem ſtylum cœpi, non ut tibi blandiar vel me oſtentem, quoniam a me utrumque abeſſe curavi, ſed ne muta caritas introrſum torpeat

peat & vileſcat. Niſi enim carbunculus ſub acervo cineris conſopitus admotis combuſtibilium materiarum aridis nutrimentis excitetur in flammam, reſolutus in ſe ipſum, inter cineres penitus extinguetur; ſic amor tacitus, non expreſſus (niſi aliquibus juſtis & honeſtis fomitibus agitetur in flammam) paulatim deficiet & vaneſcet; ubi vero flamma, fomitibus undique coacervatis ad ipſam, excreverit in vaporem, non valet ullius aquæ reſpergine comprimi vel extingui. Ampliatur enim amicitiæ principium, tametſi requirat in virtutum mutuo ſubſtantiali fundamento primitus radicari, morumque ſimilitudine, coaugetur inquam & accenditur ignibus veri amoris, communicatione ſecreti cordis, dulci collocutione verborum, morum habitibus honeſtorum, decoris geſtibus honeſtatis, utriuſque participatione fortunæ, ſuavium viſitationibus ſcripturarum & hujuſcemodi. Eſt quippe aliquid, nec id evanidum, neque leve, cernere perlucentes ſplendidi cordis præcones, & indices amicantium radios oculorum ora gratiſſima contueri; veras audire & reddere voces, inquit Maro, in quibus ſæpe patet animi pulchritudo & conformitas voluntatum. Speculum enim mentis plerumque refulget in verbis, ait Ambroſius. Præterea jucundum eſt valde, litterarum figuras aſpicere, non volantium ſicut umbra, ſed durabiliter impreſſarum, manu ejuſdem quem maxime diligimus exaratas, & de ſuæ mentis fonte ſcatentes.

 His

His igitur aliiſque modis exſuſcitatur flammæ indeſinentis taliter incrementum, quod nullis flaminibus turbinum, nullis fuſionibus undarum mortificabitur vel deſiſtet. Quare poſt dulce colloquium jam tecum peramœne ſuſceptum, cum ſis ætate venerabilis, imo pater prudentiæ, & ſcientiarum excellentia dominus, & magiſter, vera bonitate & humanitate gratiſsima, multipliciter reverendus, propter ſe ſtabilitæ amicitiæ glutinio quadam caritativa parilitate domeſticus (æquat enim amor etiam eos qui gradu diſpares ſunt, ut noſti), calamum ſumpſi audentius, ut tibi aliquid qualitercumque notarem; nec curavi ſcribere tam amœne, quod neſcio, quàm amanter, quod vellem, ſpem de te, pater, non ambiguam geſtans, quod inſulſa recondies, reſecabis ſuperflua, & inconſonis vocem dabis. Nec tamen putato, ut te incitarem ad calamum, me nunc ſcribere: abſit. Nullo vellem te labore vel tædio affici; ſatis mihi eſt, quod hoc legas; ſatius enim eſt quod tibi non ingerat tædium, vel faciat occupatum, vel aliqualiter te diſturbet, ſatiſsimum denique mihi erit, idque permaximum quod me ames. Ad rem igitur nunc accedo.

Affatu nudius tertius tua de veneranda paternitate jam habito, ejus quidem merſæ jam lucis tenebris noctis obumbrantibus ſuperficiem terræ, vix oculos quivi ſaporoſa quiete concludere, ſed id longe ultra noctis medium parum feci: de te enim dum-

dumtaxat, & tui intellectus mirabili profunditate mea cogitatio volvebatur, & de tuæ præſtabilitate ſapientiæ, quam tibi donavit qui poteſt omnia Deus, quamque induſtriæ tuæ nobilibus & laborioſis ſtudiis adauxiſti. Quæ quidem cogitatio mire dulcis, quamquam ſopito mihi nulla ſomni gravedine decuſſa eſt: quin poſteaquam obdormivi converſa eſt in jucundiſsimam viſionem. Revidebam enim ſphærilogium tuis fabricatum manibus, deque tuæ profundiſsimæ mentis altitudine protractum in formam; opus hercle ingentiſsimum, opuſque divinæ ſpeculationis, opus denique hominum ingenio non dabile, neque operabile, & nullis unquam diebus antelatis plaſmatum: quamvis dicat Cicero, Poſsidonium ſphæram effeciſſe, cujus ſingulæ converſiones efficiebant in ſole & in luna, & quinque ſtellis errantibus, quod efficitur in cælo ſingulis diebus & noctibus. Non equidem reor, tantam illi operi infuiſſe rationem artis, non id ingenii magiſterium quod in iſto. Nec per poſterorum quemquam credo unquam factibile erit, vel ſaltem ſuperabile; cum non videamus in ætatum ſucceſſione tam excelſas ingeniorum auctelas. Sed quid fabor? Decentius quippe foret hujuſce rei ſilentium figere, quam exiguum loqui, ut de Carthagine Criſpus inquit. In hoc enim opificio artificiorum pleniſſimo, tuis manibus elaborato, elimato, atque adeo mire ſculpto, quod nullius artificis docta manus ipſum quiret agere, cernere datur

certis diſcriminatos metis ſeptem ſtellarum, quæ ab inceſſu dicuntur erraticæ, circos ſeſe orbiculata circinatione urgentes; quorum altior eſt is qui dicitur Saturni, quem ajunt in æthere minimum videri, ſed ipſum maximo ambitu circumagi; hicque tardivagus anno triceno ad metam a qua digreſſus fuerat regreſſum inchoat, & orditur; hic influentiam confert gelidam & rigentem. Poſt hunc Juppiter vertiginem ſuam rotat, volucriore tamen motu, annis ſcilicet duodecim complens curſum. Tertium Mars mox globum ſortitur, bino peragens viam anno, cujus ardore protenſo & ſuperſtantis pulpito primo ſenis rigore, qui falce recurva priſcis temporibus pingebatur, contemperatum Jovem utrique interpoſitum, ſalubrem influentiam dare conſtat. Sol autem lucis maximus lator, ſolus omnium generabilium poſt Omnipotentem Deum productor, & ſimiliter propagator, medius exiſtens perlucidiſſimis & ampliſſimis mentibus, annuo per Zodiacum tranſitu complet orbem; cujus aſcenſum pariter & deſcenſum, temporum vices, menſium ordinem, ſignorum reſpectum, dierum augmenta, nec non decrementa, horarum denique ſpatia & momenta, & totum ejus officium ſubtiliſſimis figurationibus exemplorum per ſingulos gradus & puncta, perſpicaciſſime deſignaſti. Poſt hunc Veneris ſidus, loca quod alterno perambulat itu; nam Solis ortum præcurrens ut egregius præco, primo Lucifer nuncupatur: ab occidente

dente vero lucem prorogans eſt nomen Veſperis conſecutum. Hujus ſideris influentia cuncta gignit in terris. Nam, ut inquit Plinius Veronenſis, in alterutro exortu genitali rore conſpergens, non modo terræ conceptus implet, verum animantium quoque omnium genituram ſtimulat. Signiferi autem ambitum peragit diebus illis totidem quibus Phœbus, ab ipſo numquam abſiſtens partibus ſex & quinquaginta longius, ut Timæo libet. Penultimum ſituaſti deſcenſive Mercurium, illi proximum ſed non ejus virium, non etiam quantitatis. Hic fertur novem diebus circulo ociore; modo autem ſolis exortum, modo radians poſt occaſum, ab eo nunquam xxii. partibus amotus, ut placuit Soſigeni. Phœbem, quam Lunam, Dianam, Dictynnam, Proſerpinam, & Cynthiam noſtri priſci vates variis reſpectibus nominarunt, Planetarum ultimum, terræ magis proximum demum ſiſtis; quæ nocturnarum tenebritudinum antidotum, variationis ambiguæ, nunc exiguam & inanem, nunc imbutam & bene pinguatam ſe offert, nunc arcuatam cornibus, nunc circumflexam orbibus, nunc nitentem juventa, nunc languentem ſenecta, nunc rubore ſuffuſam ventorum bajulam, nunc tinctam pallore nunciam pluviarum, nunc alba ſerenitate perlucidam tranquilli temporis quod a nobis mundo degentibus frequentius exulat hortatricem, quandoque latentem, quandoque ſerius, quandoque ocius apparentem; nonnunquam corolla præcin-

cinctam, puri coloris aliquando, aliàs denique rutilantis: hæc eſt aliquando ſanguinea magnarum pertenditrix jacturarum, excelſa plagis in ætheris aliquando, contigua montibus aliquando; aliquo tempore vergitur erecta in boream, nonnunquam dejicitur verſus auſtrum: ambitum quippe ſuum minimum obit; vicenio namque ſepteniſque diebus, & tertia diei portiuncula tantumdem ætheris emetitur, quantum gelidi ſenis ſphæra trigeſimo luſtrat anno. Fratris iſta fulgore ſuum radium occulit & aſſumit, amplificat ac extinguit; hujus ob interventum eumdem etiam Solem nobis occultari compertum eſt, ipſamque Lunam terræ obice: radii enim Solis, Lunæ interpoſitu opacati, ſplendorque Lunæ, terræ objectu, tenebras invehunt repentinas. Quæ quidem omnia ſingulaque intuentibus perſpicaciter, materiali exemplo vivo mirabiliter demonſtraſti. Sed de his ſatis ſuperque per me neſcium ſiderum perſtrictum ſit; de quibus cum alio penitus ſiluiſſem, tecumque, ni fidens audacia de te ſumpta me intimidum feciſſes & promptum; cujus & non alterius in manus fore perventura, tam temerariis ut ſinerem non eſſem auſibus, quia poſſem facillime ſubſannari, ut in Oratore ſuo Cicero riſum narrat ab Hannibale Phormionem, tanto tamque probato bellorum imperatori ſcientiæ militaris monitus ingerentem. Porro circulus ille inferior in opere hoc tuo locatus, in quo dies ſingula menſis cujuſvis, & totius anni computus, & kalen-

lendaria feriate noſcuntur, & rimatæ ſeſe offerunt feneſtrellæ, feſti ſolemnitatem, ſi quam ea luce celebrari contingat, oſtendenti, pandentique cancellulo Sancti nomen deſignatum in circulo; non parum admirationis ignorantibus cauſam affert, intelligentibus vero delectationis ingentis. Atque ut paucis expediam, nullum magnis temporibus tam egregium, tam mirificum, tamque præſtantis artificium ingenii non fuiſſe repertum. Quod ædepol ſi fuiſſes tempeſtate priſcorum, ante ſcilicet quam Verbum, & Unigenitus Dei Chriſtus ex utero Virginis carnales ſumeret induvias, te coli feciſſes, & tranſtuliſſes in Deum. Si enim Apollinem cithara, ſi Æſculapium & ipſum Apollinem medicina, ſi Saturnum Bacchumque & Cererem agricultura, ſi Vulcanum fabrica, ſi linum Oſirim; ſi denique, ut ſileam ceteros, oliva Minervam munere Divinitatis beavit, & in culturam celebrem poſteris ſuggeſſit, cur non te tam mirabilis horologii inventorem, in Aſtronomia ceteris eminentem, naturaſque rerum omnium, & arcana rimatum, utque teſtabatur in quadam magna quam tibi ſcripſit epiſtola laureatus noſter Petrarcha [1], heu dum vixit amantiſſimus tui, principem medicorum, cum ipſo ſuperſtite tot florentiores qui modo vigeant reperti forent medici, te tamen præponentis omnibus non indigne; cur non, inquam, te in Deum merito poſteri coluiſſent? Verum te vere divinum, orbiſ-

[1] V. Præfat.

orbiſque ad finem uſque nominandum , Chriſti Jeſu crucifixi pro nobis veri Dei fides perfecta, tuis viſceribus ab utero genitricis radicata , virtuſque tua clariſſima , quæ te tale vexit in culmen, & nominis gloriam tam ſublimem perenni fama celebrabilem facient infallenter. Es præterea, ultra prædicta, tam dulcis & amœnæ facundiæ , quod quaſdam epiſtolas tuas cernens caſualiter his diebus , ſtupidus ſatis ſteti, & vehementer admiratione commotus. Nam ſi ſemper eloquentiæ operam impendiſſes, equidem ſatis foret . Eſt igitur ingenium tuum ad omnia verſatile. Unde de te, non ſecus ac quod de Julio Cæſare ſcribitur , dici poteſt : videtur namque te natum fore ad ea ſola quibus applicas mentem tuam , cum in omnibus , & ſingulis emineas ſingularis . Ad hæc ſtudium poeſis & amorem , quomodo nunc in ſenectute ſectaris , quantas laudes mereantur , explicare non poſſem . Facis præcipue ex tua elegantiſſima ſcientia medicinæ , mundo commoditatem immenſam , quod poſt orbi commodiſſimam legum editionem , Graiorum ſapientiſſimus Solon , ut noſti recitare Timæum , legitur effeciſſe : unde itidem de te dicendum putem , quod de Solone nuntiatur ibidem . Quod ſi non perfunctorie , ſed dedita opera fuiſſes Poeticam executus , profecto non opinor, te minorem Heſiodo vel Homero ; utque de noſtris adjungam , Virgilio , Statio , vel Petrarcha fuiſſe ; ſed in ea maximus atque famoſiſſimus evaſiſſes . Quantum autem rapacibus dilectionis uncinis præ-

ter

ter cetera trahat me hoc tua ſeneſcentis in Poeticam ferventiſſima mentis adhæſio, æſtimare non poſſes. Hæc eſt enim jucundiſſima cura & cupido laude digniſſima, hocque tam præſtabile ſtudium, quam Catonis ſenis capularis, Danaum litteras inſequentis; quamque Archimedis ſuo cuidam operi deſignando a ſupervadentis hoſtis gladio crudeliter occumbentis; quamque ſenis Carneadis obliti buccellam ori, dum diſcumberet, apponendi. Eſt tam etiam ſenibus rerum earum quæ immortalitatem ipſis morientibus propagent & pariant commendabile ſtudium, qualecumque ſectantur. Quale legimus de Platone, Varrone, Livio, Druſo, Appio Claudio, Socrate, Chryſippo, Iſocrate, Sophocle; quorum atque ceterorum conſimilem his plurium hiſtorias te non ambigo non ignoraſſe; quale etiam vidiſti de illo fulgentiſſimo Sole mundi Petrarcha, ſæpe mihi dicto, ſæpiuſque dicendo; quale denique præprimis de Nicola de Lira, qui centennis exiſtens, voce vivaciſſima, & rejuveneſcentibus gutturis arteriis, & repullulantibus mentis ramis, diſputando, reſpondendo, legendoque patefaciebat ſcrupulos Scripturarum, extricabatque nodos ſacratiſſimæ Theologiæ, quam ſtudens continue, de Hebræo perfidoque Judæo factus Chriſticola perfidelis, x. & centum moriens annorum [1], ſupra totam Bibliam lecturas ſolennes & immenſæ amplitudinis dereliquit. Horum itaque, colende

1 V. epiſt. ſuper.

colende pater, ſenectus, rebus non fuit momentaneis & morticinis attributa: horum cupiditas, habendi ſiti, nec avaritiæ ſtimulis puncta fuit; horum denique cura omnis, rebus eminentibus extra terram, & ſplendore ſubjecti nobilis, nec unquam extinguibilis, eſt verſata. Quorum tu, virorum optime, virorum doctiſſime, imitaris veſtigia, imo tua, quo non alius evidentius novit res mundi quaſlibet, caſuum præcipitiis ſubjacere; virtutem vero & ſcientias alte tolli, perpetuitatemque mereri: hæc enim virtus ſola felicitat homines; hæc virtus de gradu aſcendentes in gradum nos tamen perducit in montem Sion, ubi eſt fons vivus, & præ aquarum opulentia ſaliens in vitam æternam. Tu igitur, ut ad ſeriem revertar, Poeticam diligis, eique, dum tempus datur, invigilas. Vera ſolet eſſe ſententia; delectatio perficit operationem; veſtrum etiam ſolet eſſe conſilium; ut animus gaudens ſit, & animi mœror abſit, & humores melanchonicos abigitis, ne cor ſuffocent & obumbrent. Et recte quidem, cum Salamon ipſe dicat; Spiritus triſtis exſiccat oſſa, animus vero gaudens floridam vitam facit. Et alibi legitur; Triſtitiam non des animæ tuæ, & non affligas temetipſum in conſilio tuo: jucunditas cordis, hæc eſt vita hominis, & theſaurus ſine defectione ſanctitatis; & exultatio viri eſt longævitas; miſerere animæ tuæ placens Deo & contine, congrega cor tuum in ſanctitate ejus, & triſtitiam expelle a te:

multos

multos enim occidit triſtitia, & non eſt utilitas in illa; zelus & iracundia minuunt dies, & ante tempus ſenectam adducit cogitatio. Quamobrem ſane & conſiliariter facis, dulcedini Poeticæ tete dare, ubi reperis myſterioſa colloquia, per amœna vocabula, & tegumento incredibili, rerum veritatem, profundaſque ſententias palliari; unde cor tuum non dubito horum dulcedine gratiſſime delectari, & ſenectutis tuæ dies abſque aliquo tædioſo faſtidio pertranſire. Demum hujus multiloqui tecum ſermonis finem facturus, inter, imo ſuper ea, quæ mihi vita tradidit cariora, tuam amicitiam, & paternam notitiam ſuperaddo;cum non ſolum ego rudiſſimus & dejectioris fortunæ, ſtudioque oblectatus, & monitorum indigus geſtire pro poſſe debuerim, ut tibi ſuccederem in dilectum; verum magni Principes & Phyſici doctiſſimi. At nimis degeneramus, & omnis ætas declivius deteriuſque præcipitat a colle virtutum in vitiorum abyſſum. Legimus de ultimis Hiſpaniæ Galliarumque finibus veniſſe Romam nobiles, conſpecturos eloquentiam convicini conciviſque tui Titi Livii Patavini: legimus Reginam de Saba Hieroſolymam uſque profectam, ut contemplaretur prudentiam Salamonis: Legimus denique Alexandrum Macedonum Ducem ad Diogenis dolium, & Pompejum Magnum ad Poſſidonii fores fuiſſe progreſſos: legi audivique magnos & Prælatos, & Antiſtites ad Sorgam uſque delectanter greſſos, ut noſtrum Petrarcham cernerent;

rent; teque nedum ſemper virtutis amantiſſimum, ſed illum Paduæ Tyrannum pluries ipſum viſitaſſe Petrarcham, in Arquadi rure inter colles Euganeos habitantem. Sed minus ſolito virtus noſtris temporibus æſtimatur. Curat quiſque de ambitione, curat de pecuniis, vel de fraude, & violentiis inferendis: unde qualiter mundus eat & Chriſti Religio, bene vides. Ipſe autem, cujus eſt, Chriſtus proviſionem adhibeat, qui nobis ſuam ſalutiferam gratiæ largitionem præbeat, & a linguis doloſis & infandorum hoſtium artibus nos prohibeat truculentis, vitamque in hoc ſæculo peccatorum exſortem præbeat, tandemque ſecum nos ſui famulos & apud ſuam redhibeat majeſtatem, & ſcientiam noſtram caritate cohibeat ne frangatur. Vale Pater & parce linguaci, die XI. Julii 1388.

Johannes Manz. de Motta.

VIII.

Rizaldo de Villanis, laudatiſſimo Regum Conſulto.

CLariſſimum ſplendorem viſus intrinſeci tibi dedit Altiſſimus, procuſitque tibi natura parens tenaciſſimum recordationis antrum, in quo profundiſſima ſacræ & inæſtimabilis civilis ſapientiæ jam dudum proſcripta poſſeſſio cohabitat radicata, quæ ſub æquitatis penſatur examine, conſiliis regulata rectitudinis. Te prudentiſſimum legum interpretem, juriſconſultum inſignem, oratorem-

remque facundiſſimum ille ſacer ordo conſcriptorum Patrum, qui noſtri Principis interſunt conſultationibus, reverenter attendit. In te, pater colende, ſedet reverenda canicies ſtipata ſtudiis laudabilibus juventutis. Et in ſacro numero Conſultorum Principis noſtri, ut olim in Romano Senatu Scævola, tam conformiter ad propoſita dans reſponſum, atque Papinianus, quem Divus Juſtinianus acutiſſimi memoravit ingenii. Et quantum putas gaudenter admiror, cum problemata ſingula, ſcientiæ quæſtiones cujuſvis, tam perſpicaciter, legum diſcuſſione diſſolvis, confeſtim enunciando leges, ſic in tuæ memoriæ antro pervigiles & paratas, forſan non promptas, & ut ajunt, illotis manibus numerato non habitas? Ad quæſtionis articulum, uter intellectus, femineus an virilis ſit aptior ad ſuſcipiendam litterarum doctrinam & impreſſionem, pridie tibi in conſpicua noſtri Principis Bibliotheca objectæ; legum allegationes idoneas effudiſti. Cum ſupervenit ille venerandus Antiſtes de nobili & famoſa Cretæ Inſula profectus ad illuſtrandam Italiam (ut olim legitur de Saturno, qui ſationis frumenti uſum ad has oras adduxit) qui eſt unicus paginæ ſacræ doctor inſignis; contra quem non inamoena vivis rationibus roborata diſputatione leges ſacerrimas merito tuebaris. O felicem noſtri temporis ætatem, ſi tales aliquot & tam egregios protuliſſet, qualem te legali tulit in ſcientia! qualem hunc venerabilem Præſulem in ſanctiſſima

Theologia; qualem & illum, ſupra quam vires mei ſaminis promere quirent de me benemeritum, & laudandum patrem meum & dominum ſingularem, Bartholomæum de Jacobo Januenſem, tanta ſcientiarum omnium capacitate præfultum, & perfectum, in ſucceſſione Tullianæ facundiæ, niſi me fallit amor, nulli noſtri temporis comparabilem; qualeſque alios, tam armorum quam ſcientiarum & legum præſtantia renidentes, quos ſereniſſimus noſter Princeps ſuis lateribus coadjunxit, ut ſcripſi perdiu cuidam docto viro; *Fulgida quem tamquam circumſtant ſidera Regem, Conſiliiſque altis florida corda gerunt*; quos omnes ad præſens numerare admodum foret prolixum. Et nempe, ut clementiſſimus eſt Principum, ſic ſapientiſſimum fore compertum eſt, qui utraque duarum rerum, quibus Imperatoria Majeſtas & Reſpublica gubernantur, præſtantiores viros & ſani conſilii, ſecum trahit. Hoc feciſſe legimus ſummos Principes Romanorum. Ante alios Auguſtus Cæſar M. Tullium, Aſinium Pollionem, Valerium Meſſalam oratores ſummos; Virgilium Maronem, Flaccum Horatium, Naſonem licèt poſtea propter ejus incontinentes mores relegatum in Pontum, Varum, & Tuccam Cremonenſem, poetas; M. Varronem, ut ajunt, doctiſſimum Romanorum, & T. Livium ſummarum ſcriptorem hiſtoriarum, legitur habuiſſe: Hadrianus Juvencium Celſum, Salvium Julianum, & Meratium Priſcum peritiſſimos legum conſultos; Anto-

Antonius Scævolam; Severus Papinianum; Alexander qui fuit Romanus Imperator (non dico illum ducem Macedonum) Domitium Ulpianum, Fabiumque Sabinum, & Julium Paullum; qui omnes quales fuerint, tu ipſe noviſti. Hi ſunt, pater, quibus Principes & Reges primi floruerunt. Hi ſunt, quibus aſſiſtentibus Imperator tutiſſime gubernatur: hi ſunt quibus magis Reſp. indiget, quam armorum præſidio, ut Cicero diſputavit & alii docti viri. Quare dominus noſter, refluentes altis ſenſibus viros & ſancta virtute pollentes ſatis ſuperque gloriabitur, ſi habeat, & hoc ſuis urbibus & regno fructuoſum fuerit. Nam, ut ait Ælius Lampridius, Reſp. eſt melior, & prope tutior, in qua Princeps malus eſt, ea, in qua amici Principis ſunt mali, quia unus malus poteſt a pluribus corrigi, multi autem mali non poſſunt ab uno quamvis bono ulla ratione ſuperari. Ideo Alexander optimus fuit, qui apud ſe, licèt eſſet bonus, bonos, tenebat viros, ſanctos, venerabiles, non malitioſos, non furaces, non fictioſos, non callidos, non ad malum conſentientes, non bonorum inimicos, non libidinoſos, non crudeles, non circumventores ſui, non irriſores; ſed ſanctos, venerabiles, continentes, religioſos, amantes ſui Principis, & qui de illo nec ipſi riderent, nec eum riſui eſſe vellent, qui nihil venderent, nihil mentirentur, nihil fingerent; nonque diriperent exiſtimationem Principis, ut ſe amaret: Hæc ille. Tales ergo Vir-

tutum Comes, illuſtriſſimus Principum viros tenet, Juriſconſultos, Theologos, & peritiſſimos alios ſcientiarum, religioſos & divinos, & qui ament Deum, & diligant honeſtatem, & æquitatis & juſtitiæ reſpectum ſemper retineant ante conſpectum. Ipſe igitur optimos viros habens in ſuo venerando virtutum ſodalitio, grandis & indeficientis imperii gubernacula poſſidebit, ſub cujus tranquillitate clementiæ totus orbis ſerenabitur & florebit. Accedo ad id demum, ob quod principaliter & impulſive paternitati ſcribendum tuæ concœperam; licet præſcripta, quæ primitus animo ſtyloque congeſſerunt ſeſe, longius me traxerint in ſermone. Ecce igitur quod nunc te quæſo. Eſt mihi vir probus valde in avvunculum, quem ſemper patris loco tenui, & expertus ſum. Is jam vergens in ſenium; qui profecto, dum robuſta fuit ætas, & corporis valitudo jucunda, ſeſe magnis & altis negociis implicuit; podagrica tam male quaſſatur ægritudine, & aliorum cum ſenectute venientium morborum gravedine, quod quilibet ipſum cernens, ſi quid pii vel humanitatis haberet, ſibi compateretur immenſe. Ipſe ferme circiter annos xx., cum non modicis amicis ſuis qui vicini fuerant ejectus de ſolo natali, per alienas exulat terras & urbes; quem profugum & expulſum fecit ille olim truculentiſſimis Bernabos, ob infandiſſimas illas partes, quæ quaſi urbes Italicas funditus obruerunt, ad poſtulationem ſuorum partialium vicinorum. Nunc etiam

tiam meum avunculum ubique inſequebatur tyrannus antedictus, tamquam pernicioſiſſimum hoſtem. Quare cum ſupplicet illuſtri Principi noſtro, magna cum ſpe quam in ipſo ſemper habuit, pro reſtitutione in patriam unde traxit originem; te quæſo teque precor virorum optime, ut pietatis & miſerationis intuitu, pro ſenectutis ſuæ morborumque ſolatio, ſibi aſſiſtas, ipſum juves; & hoc obteſtor te, per eum quem legibus ſacris geſtas amorem, per ſuperos omnes, & ſi qua fides de te mihi umquam debeat eſſe, quatenus ſuadeas, quod gratiam obtineat, ut unde corporis originem ſumpſit thalamo gaudeat ſepulcrali; & refectis dirutarum funditus domorum habitaculis, natos & amicos ſub umbra clementiſſimi Principis reduxiſſe & linquere glorietur. Deus autem qui eſt omnium dator bonorum, adverſis illibatam tibi tribuat ſenectutem, quæ raro ſine magnis venit incommodis, & tandem animæ quietem det, & vitam ſempiternam. Vale.

Johannes Manſ. de Motta.

VIIII.

Nobili viro Conrado de Dovaria Cremonenſi.

Bimeſtris curſus, vir generoſe, jam fluxit, quo facundis epiſtolæ tuæ viſitationibus me decuerat reſcripſiſſe. Quo pacto, quoniam hoc non egi, de harum rerum alterutra quires non immerito me

culpare; ſcilicet aut ignaviæ torpore languiſſe, vel ob ſuperbam arrogantiam deſpexiſſe. Nam qui ſcitanti reſponſionis debitum non rependit, eſt vel ignarus, vel arrogans, vel ignavus. Ignorantiam, quam tamen mihi novi reliquis duabus vehementius dominatam, jam tuis (utinam ſic veris ut velles, ſicque meritis ut ſcripſiſti!) laudibus excluſiſti. Reſtaret igitur quod mihi poſſes objicere dumtaxat, ſuperbiam vel teporem. Atque, vir clare, minus vellem de ſuperbia, ſeu deſidiæ marciditate poſſe redargui, quam de ignorantia remorderi: quia ſuperbia eſt deteſtabilius vitiorum, abominabilis Altiſſimo, & mortalibus deteſtanda. Nil autem enervatius, nihilque quod magis virum qui velit ſe humo tollere, & ut ait Ennius, virum volitare per ora, dedeceat, quam deſidiæ luriditate conſternari. Videmus enim animantes egregias laboribus enutriri. Eſt utique excuſabilior ignorantia; cum proficiſcamur ab utero matris cœcitate neſcientiæ caligantes. Superbiam vero & vitia cetera vendicamus poſtea nobis uſu praviſſimo. Verum non juſte deſidiam in me neque ſuperbiam cauſabere. Nam remoratæ ſunt me variæ occupationes & vagi locorum diſcurſus; unde mens equidem raro, non ſiſtente corpore ſtabili, eſt ipſa compoſita vel quieta: & in tranquillo exiſtentibus animi motibus, quis conſonos & conformes meditari poterit intellectus, utque congruit electis ſenſibus explicare? Variantibus quippe animi ductibus, ut

verba

verba vacillent, neceſſe eſt; ſicut navis magiſtro titubante, nec ampluſtre volvendum animadvertente, cymba circumagitur in diſcrimen. Quamobrem; maxima de te conceptâ fide, temporis opportunitatem, qua valerem ocium ſtudio ſuppeditare, hactenus præſtolabar; perſuadens mihi, dignam abs te, nec non excuſabilem indulgentiam promereri. Quam mihi quæſo ut impertiare, perſuadens tibi, ſic fore veluti ſcribo. Suſcepi, fateor, apud urbem Ticini tuam epiſtolam. At hæc tabida & epidimialis lues, quæ retrolapſis pluribus quadraginta curſibus annorum [1] Heſperiam vexare non ceſſat, quæ civitatem illam nunc exhaurit, pleraſque Liguriæ urbes infectans; cum Melchiore nato ejus quem patris loco carum habeo Paſquini, me coegit abire librorum immunem, & multa curarum anxietate completum. Belzojoſum primùm tetendimus poſt Sereniſs. Principem noſtrum cum eodem colendiſſimo patre noſtro; demum ad hanc conſpicuam civitatem, ex qua ſtirpem ſuam oriundam nobilitat & extollit, nominis ſui præconium longe lateque notum præſtans: fuique ſemper aut rurivagus, aut in motu. Quapropter commoditatem non habui bene aptam in exhibitione reſponſi. Nunc autem tempus obtemperat; ſed cum librorum ſuppetentia deſit, opus eſt ut ſparſa recolligam, & exigitur quod memoriæ cellulas inveſtigem, corrogando qualequale reſcriptum, tamquam anus paupercula quæ ligno-

O 4 rum

1 Celeberrima peſtis eſt a. 1348. Jo. Boccaccii deſcriptione.

rum ſtrue non fulta, ſtirpulos & ſtipulas per ſemitas uſquequaque recolligit, ut rogulum excitet. Veniamus igitur ad concepta. Epiſtola tua ſubmiſſa humilitate primordians ferebat, te nequaquam de Muſarum fonte guſtaſſe, nec Eliconis ſilvas, nec aprica luſtraſſe Parnaſi; ideo non te hexametris exaraturum ſed proſa; mox dat, me fore doctiſſimum, futurumque decus Italorum, cum ſim fertilis quarumlibet ſcientiarum, hyperbolice meis laudibus inſiſtens. Porro hæc eadem conſulit, hæc hortatur, ne deficiam ab hærentia mei Patris, meique ſingularis aſili ſpectabilis Cremonenſis [1]; in cujus expreſſione virtutum aſſeveras, non indigne, linguarum affabilium elegantiam defecturam. Demum hæc antipoſoram faciens, dicit, cordiale incendium caritatis, quo mihi ſic indeſinenter innecteris, ut quater ad me ſcriberes impuliſſe, mei ſtatus ſalubritatem ſciſcitans avide nunciari; errorum mendas, ſi quas forſan ſcribendo commiſſas vel omiſſas cernerem, poſtulans humiliter emendari. Hic eſt, ni fallor, vir colende, totius epiſtolæ tuæ ſenſus ſtrictim collectus. Itaque complexis his adhibeo diligentiam, ſeriatim portioni cuilibet reſpondere. Cum ergo inquis, tibi compilandi grandiloquorum verſuum notitiam non adeſſe, idcirco proſaica ſcriptitatione functurum; reſpondeo, quod rariſſimum hominum genus legimus qui altiloqua carmina panxerunt; ſed rarius excel-

1 Paſquini.

cellentium oratorum, qui elegantiſſime & aptiſſime texuerunt ſententias ſermone ſoluto. Maximum enim eſt, electis verbis, vitioque carentibus ad omnem dicendi genus proſam ſcribere; adeo ut fons eloquentiæ Marcus inquit, nullus unquam fuit cui ipſa facultas oratoria tota contingeret. Inſpice quæſo, nonne quaſi totius ſapientiæ plenitudo proſaico textu patet? Sacratiſſima Theologia, legum ſacerrimæ ſanctiones, totius Philoſophiæ volumina, tam moralis, quam etiam naturalis, & denique tota vis facultatis Rhetoricæ, uti ſunt orationes Demoſthenis, & facundiſſimi Ciceronis, Senecalia documenta, hiſtoriarum memoranda recordia, non metrorum regula, verum proſaica compagine gloriantur. Quare parvi non videatur cuiquam, ſe eſſe dumtaxat in proſarum editione præſtantem, cum juxta teſtificationem Annæi in ſuarum primordio declamationum, Cicero ipſe Latini maximus Princeps & auctor eloquii, ſolum promineat in ſermone ſoluto, & Criſpus Salluſtius in hiſtoriarum ſcriptione præcellat. Hi tamen eadem gratia in carminibus caruerunt, quæ tota Maroni finitimo tuo ceſſit, quæ proſa incomparabili & demiſſiori valde facundia moliebantur. Quamobrem tua eloquens proſa, & electis compacta vocabulis de intimis ſapientiæ progreſſa penetralibus, mihi incomparabiliter placuiſſet, ſi non tam meis inſtitiſſet laudibus, ſed de alio quoquam viro laude tanta digno & tantos titulos promerito loqueretur; cum

cum tuus homuncio juvenis,de quo tam gloriaris,de his quæ ſcribis nil tale minimum poſſidere ſe noſcat. Sed ſumma dilectio fervorque calentiſſimi zeli, quem mihi geſtas, te ad ſcribendum hujuſmodi præconia compulerunt. Verum amantium ſunt cœca judicia; & quanto ſtrictius amant, eſt eo minus laudantibus fides danda. Nam ſi veridice centena earum rerum,quas mihi tribuis, particula contigiſſet, me fore feliciſſimum judicarem. Conſilium autem tuum ſalutare admodum, paternumque ſapiens omnino dulcorem (ſcilicet quod non abeam ab eo, quem in patrem retineo ſingularem, Paſquino virorum clariſſimo, cujus jucundi nominis memoria me fomentat) humilitate quanta poſſum accepto. Quid enim melius, quidque præſtantius, quidque ſuavius hominis vitæ, quam cum his convivere & morari, qui ſeſe ſtruxerunt ſumma bonitate, clementia, & virtute, vitia ſpernentes, & honeſtatem ſumnopere diligentes? Eſt quippe tantorum virorum converſatio optantius requirenda, quod nos efficiat meliores; ipſorumque vitandum ſodalitium, qui in deteriora & probroſa labuntur, delectantes colluviem vitiorum. Et niſi reverens filialis amor, & puriſſima caritas,quam ad ipſum habeo, me fallat; revera hic noſter Paſquinus ſingularior & optimus eſt virorum, cujus glorificum nomen, quemadmodum cupiunt leges, rerum conſequenciam imitatur. Unde decrevi; ſuam me facere & factum eſſe creaturam, dum vivam, nec unquam

quam, nec ullatenus a ſua voluntate diſcrepaturus. Demum perfectum & intimum dilectionis vinculum, quo mihi copularis arctiſſime, jamdiu ſtabilitum habui perſuaſum; & nunc planius patuit tam ſalutiferi datione conſilii. Quod autem impetras corrigi quod dictabas, nec ſaperem ego, nec me doctior, ut videre videor, alter poſſet. Demum vale, & parce, ſi fui nimium in reſponſione tædioſus. Soſpes ſum; itidem de te, tuiſque avidiſſime ſemper ardens. 1388. die VII. Octobr.

Johannes Manz. tuus.

X.

Ad inſignem militaris dignitatis, præclariſſimumque virum Iacobum de Verme.

Quid dicam, ignotum; non eſt mihi dicere promptum. Hinc enim juris civilis me ſtudium diſtrahit; illinc vero ſuppetens materia me retardat, & illinc unius adoleſcentuli Paſquini proba indoles, doctrinæ præceptioniſque indigens incremento, me excitat ut inſiſtam. Cupiens tamen morem gerere voluntati Domini mei Spinetæ Maleſpinæ celebris utique militis, quod tibi quicquam ſcriberem, rogitantis; obtempero, nequaquam ornandi gratia, ut incultum monſtrabit eloquium, verum ut primùm notus calamo, demum præſentia, tuorum aggreger dilecto miniſterio ſervitorum; utque idem Spineta me ſuum prorſus ha-

habet, ſic confidentiſſime me jure non impari fungi queas. Quo pacto nil in præſentiarum ſcribendum cenſeo, neque poſſum, quod dignum tanto, tamque præclaro viro ſiſtat. Aliàs enim, quando dabitur tempus uberius, & materia ſuberit amplior, excogitatius forſan loquar, cultiuſque ſcribam tuæ ſpectabili claritati. Atque dum ſcribere ordior, verborum congeries ſeſe multiplicat & impellit: ea namque, ut ajunt, vicem obtinent ceraſorum, qui ſuorum pediculorum connexionibus & amplexu, catervatim ſe ingerunt manibus capientium. At hoc unum ſat ſit nunc tuæ clareſcere notioni; quod quidem primum præcipuumque in captanda amicitia doctiſſimi viri veteres cenſuere; virtutum columen, quod animos coagulat, & mentes indiſſolubili catena connectit. Tua etenim, vir inſignis, virentiſſima virtus multiplex, quæ dudum abſentis aures corque meum delectabili quadam permulſit dulcedine, majorumque tuorum, præcipueque præcipui & illuſtris genitoris tui fama poſteris excolenda, quodam me flagrore perducens; ad hæc his accedens ingentius ſtimulans argumentum, ſcilicet tui intellectualis viſus delectabilis illuſtratio ſcientiarum; quæ ſecundum ſententiam meam, imo Platonis, eſt cauſa maximi commodi; hæc, inquam, præclare vir, me urgenter incutiunt, me vehementer impingunt; imo volentiſſimum libentiſſimumque nobiliſſimæ tuæ pediſſequæ me perducunt, quatenus toto mei cordis circino,

cino, tamquam punctum penitus & tenacius impreſſatum, medio circuli mentis meæ complectar; & teneam irrevocabiliter permanſurum. Fungere igitur deinceps me tuo quodammodo libenter: nec verba me putes & ineffectualia pervulgare. Experire; nam invenies me perpuſilla mei potentia; perfecto ſyllogiſmo totum effectualiter tuum fore. Quid enim fruſtrabilius & prorſus enormius, quam alicubi bono viro cumuloſa faminis prolatura imprimere ſpem coſtantem; mox autem, cum opus eſt, fallaci deluſione mentitam? De Kalendario viventium deleantur linguarum pſeuſtes, frigentis olei pelago mortem paſſi. Vale vir ſublimis & me certiſſime inter caros ſervulos tuum loca.

Mentem conſpicuam florida gaudiis
 Virtus imbuit alma.
Fulgidus morum præit, itque celſus
 Culmine famæ.
Laudari cupiant viribus impii.
 Alti divite pompa.
Veſtit hoſdem purpura, ſævientes
 Turpia patrant.
Orco clauditur intus, Flegetonticis
 Undis mergitur atris,
Peſſimus, trux, horridus, acer
 Crimine ſævus.
Mandari mihi, juſſuque tuo loqui,
 Si quid utilis eſto.

Si

Si boni quicquam cupio; tuus ſum
Jacobe clarens.

Johannes Manz. de Motta
1388. die XIIII. Januar.

X I.

Reſponſio Domini Iacobi de Verme ad litteram præcedentem.

FAcunde vir, amice dilectiſſime. Suſcepi gratanter affectionis veſtræ gratiſſimas ſimul & facundiſſimas litteras, quibus erga me ſinceræ dilectionis conditis caritatem, tanto me decorantes honore, quanto nec ipſe me digner, nec ab aliis dignus arbitror me cenſeri. Verùm in hoc, ardoris veſtri benivoli cognoſcitur vis amoris, qui nobili ſeductus errore, dum quidem cœcus eſt, vera non cernit, dignitatem virtutis ac laudem plerumque illis tribuit qui tam ſublimia nomina non merentur: quamquam error hic veſter animorum nobiliorum ſit communis, qui de re amata bene cogitant, & ſibi ſic eſſe perſuadent; amatum qualem cupiunt talem credunt. Sed quamvis error ipſe ſit nobilis, & ejus adverſarius, qui ex odio naſcitur, ſit infamis, & mundo damnoſus; utriuſque tamen affectus & amoris & odii æquis ſpatiis a veritatis paritate remoti ſunt, tametſi eſt alter honeſtior. Sed quoniam, ut ait Cicero, in hac vita vivitur cum non perfectis hominibus; & ut Petrarcha ſæculi noſtri decus,

decus; reprehenſionibus iraſcimur, laudibus delectamur; utque Terentius, obſequium amicos, veritas odium parit; ego ex hoc errore veſtro honeſto vobis & nemini damnoſo delector, licèt ipſe de me humilius ſentiam, nec vos peritius errare voluerim, ſed mallem eſſe quod videor: ſic enim & mihi, cui multum negotii ſupereſt ad virtutem, & veſtro conſultum eſſet errori. Sed quoad amicitiam meam, cum ob Domini Spinetæ honorabilis mei fratris intuitum, & amiciſſimi mei Paſquini reſpectum, cum quo in rebus omnibus unam habeo voluntatem, vos in amicum carum meum animo libenti ſuſcipiam, & cum veſtra virtus ingenii veſtrum me alliciat in amorem, per quam fit, juſta ſententiam Ciceronianam in Lælio, ut eos quos nunquam vidimus quodammodo diligamus. Quare juxta morum incomparabilem præceptorem in rem præſentem veniatis oportet, ut cujus ſtylum noſco, miror, & diligo, faciem non ignorem. Et quoniam ex litteris magnam ſuſcipio voluptatem, non ſit vobis grave mihi ſæpe reſcribere.

Quiſquis es in noſtros adeo ſuccenſus amores,
Ut celebres noſtras lyrico modulamine laudes,
Te nimis jam fallit amor, malus arbitrer æqui.
Non ego virtutum ſpecimen ſi prædicet orbis.
Me fore crediderim bene, ſi non hoſtis honeſti.
Sed poſtquam tamen eſt noſtri tibi fixa cupido,
Noſter eris, noſterque veni, contingere dextras

Fas

Fas ſit, ut hic inter noſtros numereris amicos,
Jacobus de Verme.

XII.

Spectabili & præclariſſimo militi Domino Benedicto de Gambacurtis, Domino meo præ ceteris ſingulariſſimo [1].

DE reliquiis tamen epiſtolæ pridie Magnificentiæ tuæ per Vannem [2] de Appiano præſentandæ aliquid ſcribere reſtabam; veruntamen quoniam in præſentiarum non ſuperfuit bonum tempus; ex tragœdia quadam in expeditionibus militaribus, decurſa ætate conſcripta, tuoque cœpta nomine, & Deo finienda favente, chorum unum ne vacuus ex me redeat Benencaſa tranſmitto. Qui ſi placuerit, reſcribito, quia dum totam completam contexero, ut ad unguem perfectius corrigatur, dominationi tuæ lætius & alacrius deſtinabo. Quantum autem pro propoſito: capta civitate Veronæ, & dedita ſponte Vicentia [3] Scaligero Tyranno ad Illyricos ſinus, Venetamque urbem profuge profecto, gaudio populus pariter admirando, ut ſubinterea fluctuabat, talium verborum congratulans fuſione;

Ful-

1 V. Præfat.

2 Meminit hujus Bonincontrius *in Annal.* ad a. 391. cum inter captos a Florentinis recenſetur; *Thaddæus Vermes ducis hoſti um propinquus & Vannes Appianus Piſanus &c.*

3 A. 1387.

Fulgor militiæ, dogmate clarus
Heros fulgide, morumque nitens, tibi
Di dent gaudii ſummam,
O jubar ſplendens, Latiique ſidus
Mi Benedicte.

Ne mihi jam fluxus temporis eſſet
Torpens, caſtra quidem Principis abiens
Scripſi carmina ſpectans
Ruinam, qua Scaliger altus olim,
Infima tendit.

Ecce fugit, quem chorus ovans, Veronaq. tota
Miratur gaudens, cum fugit ille ferox

Chorus. Vah, quantus volucris vertitur orbis!
Sors hunc præcipitat, celſaque tendit
Abjectus, ſcandens curribus altis
Ceſpitat hic quidem, prominet alter.

Fortunæ varios cernite motus,
Turbinibuſque agitur fortiter unus,
Flatibus hunc totis concutit illa,
Verberat hunc triſtem qui jacet infra
Qui dolet ex multo turbine fractus.

Hæc altum ſummis dotibus implet,
Tranquillas tribuens æquoris undas &c. [1]

Johannes Manſinus veſtræ dominationis
devotiſſimus obſecutor cum recomendatione ſe totum.
Die XIII. Februarii 1388.

[1] Sequuntur plurimi alii verſus, quos ne tædium lectori afferamus, & quod illorum conjecturam facere poſſis ex iſtis, prætcrimus.

XIII.

Præclaro & inclito viro Laurentio de Gambacurtis[1] *Domino mihi quam præcipuo.*

INſignis vir Benencaſa familiaris domus veſtræ præcipuus, promptus, ſedulus, & devotus, cum pro parte magnifici genitoris veſtri legatus venerit Illuſtriſſimo Principi Lombardorum, nil mihi avidiſſime ſciſcitanti gratius aut acceptius reſeravit, quam vos omnes, in quibus omnem ſpem meam tenaciter fixam & indubiam teneo, perfecta valetudine & incolumi jucunditate potiri. Ipſum etiam, hæc rudia quædam metra, ſed ex mentis devotione prolata, veſtræ ut præſentaret magnificentiæ, ſum precatus, quæ ſupplico, qua ſoletis benevolentia, perlegatis[2].

JACOBI

1 V. præfat.

2 Verſus quoſdam ſubjungit, quos hic producere nihil attinet.

JACOBI SADOLETI

EPISTOLÆ

PONTIFICUM ROMANORUM

NOMINE SCRIPTÆ.

Digitized by Google

DE EPISTOLIS

JACOBI SADOLETI

§. I. De Epiſtolis quas hoc libro vulgamus.

NIHIL *libentius facimus, quam ut Jacobi Sadoleti viri doctiſſimi atque eloquentiſſimi litteras evulgemus: ita ſunt ejus omnia ſcripta in precio habita; ita quæ lucem nondum viderunt expectata atque exoptata. Et epiſtolarum quidem aliæ, quas nomine ipſe ſuo conſcripſit, ſæpius editæ ſunt vel ſeorſum, vel una cum ejus operibus omnibus. Quæ Romanorum Pontificum Leonis X., Clementis VII., Pauli III. nomine exaravit, eæ nondum hactenus in conſpectum hominum datæ. Quod mirum ſane eſt; cum eorum temporum hiſtoriam multum omnino juvare poſſint: & ſunt latino illo ſermone, non fucato, non cor-*

rupto, ſed nativo atque ingenuo ſcriptæ. Nec vero ita erant omnibus omnino, ignotæ ut non ſit de iis edendis ſæpius cogitatum. In Trevoltienſibus monumentis A. MDCCI. [1] *conſilium hoc ſuum eruditis hominibus aperuerat Dominicus de Colonia* [2]. *Conſilium vero Coloniæ illud quid impedierit, feceritque, ut nondum Sadoleti hujuſmodi litteræ in manus hominum venerint, vel ab eo, vel ab aliis (nam in Boxhornii monumentis lego cl. Graverol volumen habuiſſe epiſtolarum Sadoleti, atque iſtud fortaſſe, quod memoravimus) vulgatæ, nos quidem ignoramus, lætamurque, hanc occaſionem oblatam eſſe nobis, de latinis litteris, atque horum etiam temporum hiſtoria, benemerendi.*

Edimus ergo has epiſtolas ex codice Bibliothecæ noſtræ, quem ſuſpicor ex illo Coloniæ deſcriptum. Etenim cum illo congruit hic numerus epiſtolarum; epiſtolæ etiam quas Colonia nominavit, inveniuntur omnes; ac præterea diſerte titulus narrat, ex ms. cod. Sado-

1 Sept. & Octobr. pag. 358.

2 *J' ay depuis quelque tems entre les mains un manuſcrit ſingulier, dont je fais beaucop d' état & dont' j' eſpere que l' edition fera beaucop de plaiſir aux ſcavans. Ce ſont les lettres que le fameux Cardinal Jacques Sadolet a écrites a diverſes perſonnes au nom de Leon X. dont il étoit Secretaire avec le Cardinal Bembe. Ont a deja imprimé les lettres que Sadolet a écrites en ſon nom; mais on n' a jamais imprimé celles qu' il a écrites au nom de Leon X. Le manuſcrit étoit entre les mains de Monſieur Beauchamp Gentilhomme d' Avignon qui a beaucoup d' érudition & une tres-belle Bibliotheque. Il contient environ cent lettres, dont quelques unes ſont corrigées de le main meme du Cardinal Sadolet. Il y en a à Francois premier, à Charles-Quint, au Roy de Portugal, au Duc de Savoye, à l' Eveque de Paris, à la Republique & au Doge de Gennes, aux Nonces, à preſque tous les ſouverains de ce tems là. Outre que ces lettres ſont tres bien écrites en Latin, elles renferment beaucoup de choſes curieuſes pour l' Hiſtoire & pour la Religion.*

Sadoleti ipſius manu emendato exſcriptas fuiſſe. *Hoc etiam amplius invenimus in noſtro; ut ſciremus nihil propius factum eſſe, quam, ut neſcio cujus negligentia ſive imperitia, litteræ illæ interirent; jamque ad ſalarii tabernas delatæ fuerant atque inter rejectanea chartarum abjectæ. Narratur hoc in epiſtola nuncupatoria epiſtolis his præpoſita, poſt Sadoleti ipſius laudes;* Tale fuit de hoc Leonis X. popularis tui judicium, a quo una cum Petro Cardinali Bembo accitus eſt, ut ab epiſtolis & ſecretis eſſet, cumque ambo apud eum eodem munere fungerentur, multas ad diverſos Principes & Europæ Reges, nomine hujus Pontificis epiſtolas conſcripſerunt. Quas Bembus ſcripſerat, ſubinde cum aliis ejus operibus in lucem prodierunt. Quas autem Sadoletus, nunquam apparuerunt, ſed poſt centum & viginti circiter annos in propolæ apotheca, inter vaſtam papyrorum molem, quæ veſtiendo halec aut piperi deſtinata erat, repertæ ſunt, cura & ſtudio viri de re litteraria benemeriti; quas ab imminenti periculo non minus curioſe quam feliciter eripuit, & ab interitu vindicavit. *Hæc in ea epiſt. ad Florentinum hominem ſcripta, cujus tamen nomen reticetur: quam integram non protuli, quod nihil habeat præterea dignum cur proferatur.*

Ceterum, quod epiſtolas ipſas pertinet codice noſtro comprehenſas, eas non ita deſideratas dicimus, ut latuerint omnes omnino, bibliothecarum tenebris occultatæ. Erat enim epiſtola ad Bembum, cum ei orationem mitteret Ægidii Cardinalis quam in Lateranenſi Conci-

lio habuit. Hanc cum oratione ipſa Conciliorum editores vulgarunt ut Labbæus [1], *Harduinus* [2], *&c. epiſtolam vero ſolam Veronenſis editio repræſentavit. Duæ præterea aliæ* 1. *epiſtola Carolo V. Imperatori, cum Caroli ipſius litteris quibus illi reſpondet, edita fuit hoc titulo* Epiſtolæ duæ, altera Clementis VII. Papæ ad Carolum V. Imperatorem Aug. &c. Altera Caroli V. Imp. Aug. Clementi reſpondentis. Legiſſe juvabit. A. D. MDXXVII. menſe Martio. 2. *epiſtola Ludovicæ Engoliſmenſi legitur tom.*2. Hiſtoriæ Sabaudiæ *a Guicheron ſcriptæ* [3]. *Ex his primam, quod tam facile quærenti occurrat, prætermiſimus; alteram & tertiam maluimus iterum repræſentare, quod licet editas, non tamen ita facile reperire ſit, præſertim ad Carolum illam. In eodem codice noſtro, quo hujuſmodi epiſtolæ continebantur, erat & oratio* In promulgatione generalium induciarum habita XIX. Kal. April. MDXVIII. in B.Virg. ad Minervam. *Hanc invenies in noviſſima editione operum Sadoleti Veronenſi a.* MDCCXXXVII. *Ideo ab ea etiam abſtinuimus. Feci tamen, ut quod omiſi (atque omittendum omnino videbatur) alio Sadoleti præclariſſimo ſcriptorum genere ſarcirem. Nam ſubjeci illius epiſtolis, ejuſdem proemium in opus, quod aggreſſus ille erat, ſive meditabatur*, de Rep. Chriſtiana; *quod nimirum multa ibidem de vita ſua habeat, de ſtudio ad mores corrigendos; & quod intercidere, aut non efferri foras egregium monumentum cùm ſtudii, tum pietatis ſcri-*

1 Tom. XIV. col. 18. 2 Tom. 9. col. 1575.
3 Pag. 456.

ſcriptoris noſtri nefas eſſe videretur. Dubitavi aliquando, an idem eſſet hoc opus atque illud quod Dionyſio Cardinali ſcribens, & [1] *Marcello Cervino* [2] *vocat* de ædificatione Catholicæ Eccleſiæ, *in epiſtola Ioanni Salviato* [3] de extructione Catholicæ Eccleſiæ; *in litteris vero Ambroſio Catharino* [4] De ordinibus & conſtructione Catholicæ Eccleſiæ. *Et congruere quidem argumentum videbatur quod ſive hac operis inſcriptione ſignificat, ſive indicat epiſtola illa ad Dionyſium, cum eo quod in proemio habet. Verum omnino tempus repugnare videtur. Nam illius quidem* de ædificatione. Eccleſiæ *duos jam libros confecerat A.* MDXXIX.; *reſtabant vero alii duo; atque in tertio lucubrando occupabatur A.* MDXLI. nec laboribus nec vigiliis parcens, *ut Cardinali Dionyſio ſcribit & Cardinali Ravennæ* [5]. *In proemio vero quod nos vulgamus opus ſe aggredi affirmat* ſenectute jam gravem;quippe qui ad LXX. annum acceſſerit: *erat autem ei annus* LXX. *R. S.* MDXLVII. *qui fuit etiam vitæ poſtremus. Quod ſi quis contendat, libris jam confectis, proemium ſcripſiſſe in quo illa dixerit, non magnopere repugnabo; dolebo ſolum, paucula hæc tanti operis ad nos perveniſſe. Atque hæc de codice illo noſtro quibus Sadoleti epiſtolæ continebantur.*

Non omnes quas Sadoletus ſcripſit eo fuiſſe contentas facile judicabit, qui noverit, quam multæ quotidie ejus generis epiſtolæ Romanorum Pontificum nomine

1 Lib. XIII. ep. 15. 2 17. 3 ep. 4. lib. XIV. 4 lib. XIV. ep. 10.
5 ep. nov. edit. Veron. lib. XVII. 7.

ne conſcribantur . Nos XV. earum quibus Sadoleti nomen ſubſcriptum eſt , invenimus in Bullario Dominicano [1] , *in* Bullario Caſſinenſi IV. [2] *nec dubitamus plures repertum iri ab eo qui diligentius exquirat . Quas quidem omittendas eſſe duximus .*

Magna tamen acceſſio facta eſt noſtris , primo ex codd. quibus monumenta inſigniora quæ ad Concilium Tridentinum pertinet deſcribenda curaverat Cardinalis Sfortia Pallavicinus , cum ſe ad ſcribendam hiſtoriam appararet. Ex iis epiſtolas ſumpſi anni MDXXI. *omnes , quæ multæ ſunt : deinde ab Archivo Vaticano , unde ut plurimas Sadoleti epiſtolas habere poſſem , præſertim quæ ſuo ipſe nomine ad amicos conſcripſit , factum eſt Eminentiſſimi Cardinalis Silvii Valenti Gonzagæ patrocinio , ſtudioque in bonas omnes litteras ; & præterea Clariſs. Comitis Ioſephi Garampi Archivi illius Præfecti & Canonici Vaticani humanitate & diligentia . His ergo debemus quæ anno* MDXXIV. *ſcriptæ ſunt* 89. 90. 92. 94. 96. 97. 98. *& privatas fere omnes . Nec moleſte , opinor , feret lector , in eo nos deſeruiſſe conſilium noſtrum , edendi ea dumtaxat quæ Bibliothecæ Collegii Romani forulis aſſervabantur . Cur enim acceſſionem tantam huic operi factam nollem ? cur hiſtoriæ & litteris tantum, illis epiſtolis, ſubſidium allatum inviderem ? Quapropter animati etiam ſumus , ſi qua deinceps offerentur ſimilia , quibus locupletare collectio-*

1 Tom. 4. pag. 296. 301. 317. 318. 323. 329. 332. 341. 345. 360. 381. 387. 4333. 437. tom. VII. p. 127.
2 Tom. I. pag. 113. 121. tom. II. p. 446.

lectionem noſtram poſſimus, ea non repudiare; magnamq; habebimus iis gratiam, qui ita velint de opere hoc qualicumque noſtro benemereri. Atque, ut hoc etiam moneam, non latinas tantum epiſtolas nobis aliorum liberalitas atque humanitas ſubminiſtravit, ſed Italicas duas in cauſa Ludovici Caſtelvetrii viri docti ſcriptas: Aliam nos edidimus ex monumentis Ribier, quod licet vulgata fuerit, non adeo frequens ſit in manibus hominum ille liber, & a Veronenſibus omittatur. Præterire illos quoque epiſtolæ Italicæ duæ quæ inter litteras Principum, *ut vocant, inveniuntur*[1]. *Has, cum facile ex libris iſtis peti poſſint, omiſimus.*

Ex tam inſigni litterarum additamento coacti ſumus duas veluti in claſſes litteras omnes partiri; atq; harum primæ aſſignare publicas, ideſt a Sadoleto conſcriptas Leonis aut Clementis aut Pauli Pontificis nomine; ad alteram vero rejicere privatas, ſive ejuſdem familiares. Cum vero Codicis noſtri illas tumultuario nulloque certo ordine diſpoſitas inveniſſem, viſum eſt ita collocare ut temporis quo ſcriptæ ſunt rationem haberemus: ita enim fructus, qui ad hiſtoriam eorum temporum cognoſcendam hauriri poſſe videbatur, facilius multo conſtabit. Quamobrem his interpoſuimus alias, quas ſive noſtri, ſive Vaticani codd. ſubminiſtrarunt. Nihil vero hic de illis præfabimur longius; nec enim hiſtoriam eorum temporum exequi volumus, quod longiſſimum eſſet, & a collectore monumentorum nullus æquo jure poſtulat. Si quid tamen in iis colligendis deſcribendiſque

1 Tom. 1. p. 136. edit. Venetæ a. 1581. & tom. 2, pag. 2.

que ſuccurrit, quod viſum ſit ad ea quæ dicuntur intelligenda neceſſarium, id veluti aliud agentes & in tranſcurſu adnotavimus, addidimuſque plerumque epiſtolæ ſummam ſive argumentum. Ante ergo denuncio, ut nemo exquiſitum aliquid, aut non ubique obvium expoſitumque ex adnotationibus illis noſtris ſe hauſturum putet. Si quis Bembi dumtaxat eas leget, quæ Leonis nomine ſcriptæ ſunt, magnum ex illis ad hæc intelligenda ſubſidium auferet; uti ad illas ex noſtris.

§. II. De rebus geſtis Card. Sadoleti.

Iamque manum cohibueram; nec ubi de epiſtolis illa dixeram, dicendum mihi eſſe aliquid de ſcriptore ipſo arbitrabar. Nam præterquamquod Cardinalium vitas qui ſcripſerunt homines eruditi ac diligentes fuſe egere de Sadoleto; vitam ejus omnem elegantiſſime Florebellus perſecutus fuerat, ac deinde Ribierus virtutes ejus cum magna hominis commendatione, magna cura & diligentia, explicarat. Admonuere tamen amici, neminem eorum omnium vitam ita deſcripſiſſe, ut temporis rationem habendam eſſe duceret, annoſque, quibus inſigniora ſaltem facta conſignanda erant, adnotaret. Secutus illorum conſilium, quod experimento ſæpe ipſe meo didiceram, neglectum illum temporum, magnam hiſtoriæ lucem eripere, tenebras etiam offundere aliquando; non Sadoleti quidem vitam, ſed inſigniorum annorum ejus vitæ deſcriptionem exhibeo; quod exiſtimem ad epiſtolas quas vulgamus facilius intelligendas plurimum poſſe conferre. Ann.

A. MCCCCLXXVI. *Iacobus Sadoletus, ex Ioanne Sadoleto Iuris civilis ac Pontificii ſcientia clariſſimo, natus ponitur a Ciacconio* [1]. *Sammarthani in Gallia Chriſtiana* [2], *quod pariter in noviſſima Galliæ Chriſtianæ deſcriptione a Dionyſio Sammarthano factum eſt* [3] *a.* MCCCCXLVIII. *ortum narrant; idemque habet Bailletus* [4] *Dupinius &c. Cum autem in Sadoleti epitaphio legatur*, vixit annos LXX. M. III. D.VI. *& deceſſiſſe eum conſtet* XV. Kal. Nov. MDXLVII. *verus Sammarthanorum annus eſſe non poteſt. Fatendum quidem eſt, annum ejus mortis ita tradi a multis atque in primis a Florebello, ut nondum ille ætatis annus decurſus ab eo fuiſſe videatur*: Obiit annum agens ſeptuageſimum, *ait Florebellus*; Septuageſimum annum agens obiit, *ſcribit I. C. Capacius* [5]; *atque ita etiam Spondanus* [6]; *& Ghilinus* [7] Morì in Roma ornatiſſimo di tutte le virtù del meſe di Ottobre dell' an. 1547. nel 70. anno dell'età ſua. *Diſertius etiam Boiſſardus* [8]. *Hos tamen omnes, & qui annum ejus natalem poſuerunt a.* 1476. *aut* 1478. *convincere erroris videtur Sadoletus ipſe* in ep. *Angelo Collotio* [9] *affirmans, annum ſe ætatis attigiſſe quinquageſimum, cum Romana direptio accidit atque ipſe Roma exceſſit*. Dederam, *inquit*, ſatis principibus, dederam ſatis amicis, dederam Reip., mihi quando darem? Si jam quinquageſimum attingens annum non ex illis flu-

1 Tom. 3. col. 610. 2 tom. 2. pag. 497. 3 tom. 1. col. 910.
4 Judic. erudit. tom. 4. p. 3. n. 1280. 5 in Elog. p. 265.
6 ad a.1547. n.27. 7 Theatr. vol.1. pag.76. 8 Icon. tom.1. n.XLIV.
9 lib. V. 18.

fluctibus in portum & ab terrenis ad cæleſtia & curam & animum meum revocarem? His ego de cauſis urbi ſalutem dixi &c. *Iam vero cum ex epitaphio allato, dies fuerit ejus natalis* IV. *Id. Iulii; & Romanam cladem accidiſſe conſtet pridie Non. Maji, quando jam viginti diebus ante Roma Sadoletus diſceſſerat, neceſſe eſt, ſi quinquageſimum annum non quidem expleverat ſed attigerat, natum fuiſſe a.* MCCCCLXXVII. *Hoc ergo anno* IV. *Id. Iulii ut diximus Sadoletus ortus eſt Mutinæ, quemadmodum Florebellus etiam teſtatur. De Majoribus ſuis Sadoletus ipſe* [1] *Hyppolito Eſtenſi narrat;* Maximum porro illud meæ in te obſervantiæ & voluntatis vinculum, quod ſub ditione familiæ veſtræ omnes mei fere & nati & educati, neque ſolum hi qui nunc ſunt, verum etiam antea qui fuerunt, & ſuam ipſi fidem conſtanter atque integre vobis præſtiterunt, & a vobis civilibus ſæpe honoribus & præmiis, virtutis cauſa, ſunt honeſtati. *Præcipue vero Pater, Ferrariæ apud Herculem Ducem gratia & auctoritate multum valebat, magniſque præmiis jus civile docuit, teſte Florebello. Hic Præceptore uſus eſt Nicolao Leoniceno, condiſcipulo vero Bembo, ut Bembus eidem Sadoleto ſcribens* [2] *narrat; & in Philoſophia ab eo fuiſſe inſtitutum, ex eo conjectare poſſumus, quod Bembum de eo illam hauſiſſe Leo X. ſive Bembus potius* [3] *affirmat; atque id expreſſe Florebellus aſſeruit:* Cum ætate, *ait idem Florebellus*, jam aliquantum proceſſiſſet, & ipſam ætatem virtute

1 Lib. XII. ep. 19. 2 lib. III. ep. 21. 3 lib. X. ep. 27.

tute ac doctrina longe anteiret, patris voluntate Romam ſe contulit, Alexandro VI. P.M. *Pontificatum Alexander tenuit ab anno.* MCCCCLXXXXII. *ad* MDIII. *Non multo ante hunc poſtremum Alexandri annum Romam eum veniſſe puto. Fuit enim Ferrariæ Bembus annis* MDLXXXXVIII. *&* MDLXXXXIX., *poſtquam e Sicilia redux, a.* MDLXXXXIV. *&* MDLXXXXV. *Patavii & Venetiis commoratus eſt, ut ex litteris ejus familiaribus conſtat; Sadoletum tamen Romam veniſſe ante a.* MDIII. *liquet ex Bembi ejuſdem litteris* [1]*. Romæ ergo cum eſſet, Scipioni Carteromacho, quem latino nomine ſeu potius Italico* Fortiguerram *ſe appellare voluit, ſeu alii nominarunt (cujus hominis extat oratio* de laudibus litterarum Græcarum *præpoſita Theſauro Henrici Stephani Græco) Græco doctori operam dedit. Id ipſe ſcribit* [2] Angelo Colotio, *cujus familiaritate & convictu, uti ceterorum omnium doctorum hominum amicitiis, floruiſſe eo tempore conſtat; inter quos credo eminuit Bembus. A.* MDXXXXVII. *cum nuncius de ejus obitu ad Sadoletum perferretur ſcribit Gabrieli Paleotto* [3], Nihil mihi potuit eveniſſe acerbius, quam divelli ab eo, cujus ego amicitiam fraternamque conjunctionem quatuor & quadraginta annos inviolatam tenueram; *nimirum ab A.* MDIII. *Ita ergo Romæ diverſatus eſt ſub Alexandro, & qui eum Pontifices ſecuti ſunt Pius III. & Iulius II.*

A. MDXIII. V. *Id. Martii Pontifex renuntiatus eſt Leo X. Hic cum ad fovenda optimarum artium ſtudia*

1 Ep. 21. lib. III. 2 lib. v. ep. 18. 3 lib. XVI. ep. 14.

dia animum convertiſſet , Coſmi proavi , & patris Laurentii exemplo ; ante omnia , *ait in vita Leonis*[1] *Iovius* , ab epiſtolis ſingulari judicio ſibi deſumpſit Petrum Bembum & Jacobum Sadoletum , qui ceteros omnes litteratos Romanæ eloquentiæ laudibus anteibant . *Feciſſe hoc Leonem antequam e* Conclavi *exiret teſtatur Bembus in fine Venetæ hiſtoriæ* ; Joannem Medicem annos natum triginta ſeptem Pontificem Maximum creaverunt ; iſque , priuſquam e conclavi exiret , me & Jacobum Sadoletum , qui Romæ tunc eramus , ſibi ab epiſtolis adſcivit . *Hic eſt honeſtiſſimus ille locus , quem tenuiſſe ſe apud Leonem Georgio Duci Saxoniæ narrat*[2] *& in proemio quod vulgamus* ; Sequuta ſunt tempora cum a Leone X. primum , deinde a Clemente VII. Pontificibus maximis ad negotia publica vocatus , factuſque Epiſtolarum principalium h. e. earum quæ , vel ad Reges a Pontifice , ſummis de rebus mitterentur, vel a Regibus eiſdem ad Pontificem afferrentur, & lucubrator & cuſtos . Quod munus magni ſane in urbe & honoris & nominis, ſuperioribus temporibus magiſterium ſcrinii , nunc a populo Romano Secretarium Domeſticum appellari video . *Atque ab hoc quidem anno litteræ incipiunt quas vulgamus* ; *quibus ſubduntur conſequentium annorum Leone Pontifice* , MDXIV. MDXV. MDXVI. MDXVII. MDXVIII. *Unam tantum invenimus anni* MDXIX. , *anni* MDXX. *nullam , multas vero anni inſequentis* MDXXI. *qui fuit po-*

1 Lib. 3. p. 67. edit. Torr. 1549. 2 lib. 11. ep. 1.

poſtremus Leonis. Cauſam etſi affirmare non poteram exiſtimabam tamen fuiſſe itinera quædam ab illo ſuſcepta, ex quibus celebre eſt Lauretanum quod voti & religionis cauſſa aggreſſus eſt. De eo Ioanni Toletano ſcribens [1]*, narrat, ſe abſentem renuntiatum eſſe Carpentoractenſis Eccleſiæ Epiſcopum:* Poſtea, *inquit* voti cauſa ad Lauretanum divinæ Virginis templum profectus, cum abſens a Leone Epiſcopus pronuntiatus eſſem, ut primum in Urbem redii, onus illud a me, quoad potui, excutere conatus ſum. *Accidiſſe id a.* 1517. *Dionyſius Sammarthanus* [2] *tradit. Recuſanti collatum, cum Leo aliis flagitantibus eum Epiſcopatum denegaſſet, ſcribit & Florebellus; & Sadoletus idem Paulo III.* [3] Pronuntiatus ſum a Leone Epiſcopus cum eſſem abſens. Hoc quoque meminit profecto Sanctitas tua, recuſaſſe me illud onus quoad potuerim, & quietam ac privatam vitam honoribus ſemper præferre cupiiſſe. *Cum tamen novum Epiſcopum Leo a ſe dimittere nollet,* quanta maxima potuit abſens diligentia commiſſam ſibi Eccleſiam per idoneos homines rexit, *teſte Florebello.*

An. MDXXI. *Kal. Decembr. Leo obiit, & ſequente anno* V. *Id. Ianuar. creatus eſt Pontifex Hadrianus VI.* Statim, rebus Romanis relictis Carpentoracte migraſſe *Sadoletum, Florebellus affirmat. Sed vereor ne tempore hic aberraverit, & ad annum* 1523. *reji-*

Q *cienda*

1 Lib. XV. ep. 8.
2 Tom. I. Gall. Ch. col. 910.
3 Lib. XII. ep. 13.

cienda ſit Sadoleti hujuſmodi migratio. Rem enim veluti inſtantem deſcribere videtur Hieronymus Niger VII. *Idus April.* MDXXIII. *quo die hæc M. A. Michaeli ſcribit*[1] *cum præclaro Romanæ Urbis in Sadoletum benevolentiæ teſtimonio;* Pur il noſtro amantiſſimo Monſignor Sadoleto ſe ne va con ſommo diſpiacere di queſta Corte. E credo che ſe in queſti tempi ſi ſervaſſe l'uſanza antica di mutar le veſti per meſtitia, egli non trovaria forſe manco di ventimila huomini, che lo facciano, ſi cóme trovò M.Tullio. Pare ad ogni huomo da bene, che la bontà e la virtù di Roma ſe ne vada inſieme con ſua Signoria, & in vero così è. *In litteris Card. Ægidio, quas hic vulgamus, narrat ſe Carpenctoracte veniſſe poſt quartum & trigeſimum diem quam Roma diſceſſerat, additque de amore civium erga ſe & voluntate incredibili. Scripta eſt epiſtola, ut legenti conſtabit, cum recens Carpenctoracte veniſſet, dies tamen adſcripta eſt Idus Iunii* MDXXIII.; *quod quidem paulo ante ſtatutum a nobis de anno Romani diſceſſus confirmat. Manſit vero Carpenctoracte Sadoletus, quoad mortuo Hadriano Pontificatum adeptus eſt Clemens VII., quod accidit* XIII. *Kal. Decemb. a* MDXXIII. Factus eſt Clemens Pontifex, *ſcribit in epiſtola quam nominavimus Paulo III.* is ſtatim vehementer a me contendit, ut me ad eum conferrem. Itaque Romam reverſus ſum. Non potui enim Pontifici optime de me merito operam & obſequium meum denegare. *Idem ferme, & in alia epi-*

1 Tom. 1. epiſt. Princ.

epiſt. ad Io: Toletanum , niſi quod & conditionem quamdam ſive pactionem memorat . Facto , *inquit* , Pontifice Clemente , ſtatim ab illo evocatus ſum , cui optime antea de me merito fidem operamque meam denegare non potui . Hoc cum eo tamen pactus , ut operam illi meam triennium navarem ; quod reliquum vitæ meæ tempus , non jam hominibus , ſed uni Deo in Eccleſiæ meæ cuſtodia tribuere ſtatuiſſem . Quod ille , ut erat natura bonus , & mihi pollicitus eſt & præſtitit . *Hinc ergo rurſus ab Anno* MDXXIV. *exordium ſumunt epiſtolæ noſtræ , ſequunturque annis* MDXXV. *&* MDXXVI.

Triennium operam ſuam Pontifici navaſſe Sadoletum Florebellus quoque ſcribit . Sed neceſſe eſt liberaliùs aliquanto tempus ſupputare . Cum enim Leo in Pontificatu confecerit annos octo , & menſes inſuper octo dieſque 20. *Sadoletus in Proemio quod nunc vulgamus , annos* XIII. epiſtolarum Principalium lucubratorem cuſtodemque fuiſſe , *Pontificibus Leone & Clemente affirmat . Anno Clementis IV. in Eccleſiam ſuam rediiſſe , idem Paullo III. ſcribit . Anno ergo* MDXXVII. *Urbem reliquit , paullo antequam , funeſto illo miſeroque caſu, diriperetur .* Roma igitur profectus , *Julio Toletano ſcribit* , viginti diebus ipſis antequam urbs caperetur, eo animo Carpenctoracte redii , ut hic domicilium non ſolum corporis & fortunarum, ſed omnium rationum conſiliorumque meorum , totius denique meæ vitæ perpetuum collocarem ; *Et in litteris Duci Saxoniæ* [1]. Hic ego, ſpe erepta, poſ-

[1] Lib. XI. ep. I.

ſe amplius per me Reip. conſuli; privatum autem meum commodum, neque in honore, neque in fortuna admodum quærens, potiuſque eligens & Deo, & mihi, & peculiaribus populis meis ſatisfacere, trans Alpes me meam ad Eccleſiam Carpenctoracte contuli, adjutus tum etiam ſingulari Deo beneficio, quod viginti diebus ipſis ante Roma ſum egreſſus quam clades illa horribilis ac direptio huic Urbi incideret. *Incidit ea clades Pridie Nonas Maj.* MDXXVII. *irrumpentibus in Urbem hoſtibus per Sixti pontem ſub occaſum ſolis: ergo* XV. *Kal. Maji Roma exceſſit Sadoletus. Carpenctoracte veniſſe ad diem* V. *Non. Maji, ſcribit ipſe Matthæo Giberto* [1], *Lazaro Bonamico* [2], *Bembo, aliiſque. Atque audita quidem Romana clade ingemuit, cùm Urbis ipſius cauſa, tùm Romani Pontificis*; cum & is Pontifex, *ait* [3], in crudeliſſimorum hoſtium veniſſet poteſtatem, quem ego ſumme amarem, & ea urbs oppreſſa eſſet ac direpta, a qua ego eſſem & fortunæ meæ ſubſidia, & artium optimarum ornamenta, ſi qua modo ſunt in me, omnia conſecutus. *Plura de hac re ſcribit Hieronymo Nigro, Io:Franciſco Bino,* [4] *aliiſque: addit etiam de privatis calamitatibus ſuis atque amicorum*; nam me, etſi eadem quæ tam multos peſſundedit, fortuna afflavit, quod meis & meorum familiarium non tam fortunis quam reliquiis veterum fortunarum amiſſis, omnes ad me nudi atque egentes convola-

1 Lib. 1. ep. 1. 2 Epiſtol. 2. 3 Ep. ad Bembum 3.
4 Epiſt. inter Italic. edit. Veron. 1.

volaverunt &c. *Idem ferme Card. Cajetano*[1]*: atque Eraſmus ad eum ſcribens*[2] *dolet* periiſſe *magnam partem Sadoleti ipſius, ut ipſe ſcribit*, videlicet Bibliothecam utriuſque linguæ monumentis exquiſitiſsimis opulentam; *imo id Eraſmo narrat Sodoletus*[3], meas quidem fortunas omnes acerba mihi Urbis fortuna eripuit. In his ipſam Bibliothecam, quam ego Græcis, & Latinis libris magna diligentia undique comparatis referſeram, quæ omnium fuit ut & tu exiſtimas, & ipſe ſentio, jactura graviſsima. *Falſum hunc direptorum librorum rumorem ad eum perveniſſe dicerem, quod contrarium ſcribat Nigro*[4], *niſi viderem Eraſmi epiſtolam poſt epiſtolam ad Nigrum fuiſſe ſcriptam. Utcumque ſit, hæc Nigro*; Cum direptis rebus ceteris, libri ſoli ſuperſtites, ab hoſtium injuria intacti, in navim conjecti, ad Galliæ litus jam pervecti eſſent, incidit in rectores & in ipſos familiares meos peſtilentia; quo metu ii permoti, quorum ad litora navis appulſa fuerat, onera in terram exponi non permiſere. Ita aſportati ſunt in alienas & ignotas terras; exceptiſque voluminibus paucis quæ deportavi mecum huc proficiſcens, mei reliqui illi tot labores, quos impenderamus Græcis præſertim codicibus conquirendis, & undique colligendis, mei tanti ſumptus, meæ curæ omnes iterum jam ad nihilum reciderunt. *Idem fuſius in epiſtola ad Bembum*[5]. *Ceterum iter ipſe ſuum ita deſcribit*

1 Lib. II. epiſt. 13.
2 Lib. epiſt. Eraſm. XXII. epiſt. 25.
3 Lib. 1. epiſt. 11. 4 Lib. 1. epiſt. 5. 5 Lib. 1. 5.

bit [1]. Nos a portu Centumcellis Nicæam uſq; navibus pervecti fuimus, nihil ipſa illa,quod appareret, maris agitatione offenſi; cum ceteri omnes fere qui erant mecum gravi nauſea conflictati eſſent. Niceæ duos dies manſimus; inde digreſsi a Valdemontio, cujus mihi humanitas magnæ voluptati fuit, jumentis pretio coactis iter terra fecimus. Septimo die Nicæa pervenimus Carpenctoracte ad diem v. Non. Maji. *Magna populi lætitia & gratulatione exceptum frequentibus in epiſtolis narrat.*

Decennium Carpenctoracte vixit. Sic enim Ioanni Toletano ſcribit; In hac mihi jucundiſsima & vere beatiſsima conditione vitæ cum decem annos fere exegiſſem &c. *& Duci Saxoniæ*; Jam quemadmodum in Eccleſia mea per decem annos manſerim &c. *Idemque habet in Proemio, quod ſuperius nominavimus: ab anno nimirum* MDXXVII. *ad* MDXXXVI. *Atque ab eo quidem anno litteræ ejus familiares leguntur amicis ſcriptæ: litteris vero publicis Pontificum Romanorum deſtituimur.*

Anno ergo MDXXXVI. *poſtquam Pontifex creatus fuerat Paulus III.* anno ſecundo,*ut idem ſcribens Sadoletus narrat, atque eum Maſſiliæ ſalutandi gratia convenerat; acceperatque ab eo diploma, quo Paulus adjutor illi in regendaCarpenctoractenſi Eccleſia dabatur,* [2] *Autumno Romam venit. Nam de itinere ſuo ſcribit, ex Urbe* VI. *Non. Novemb.* [3] *item* V. *&* IV. *Non.* [4], *teſtatus*

1 Epiſt. 1.
2 lib. III. 6. & Epiſt. 7.
3 Epiſt. 13. lib. IX.
4 Epiſt. 14.

ſtatus,veniſſe Romam accerſitum a Romano Pontifice;& in litteris Georgio Duci Saxoniæ ſcriptis quas ſuperius ſæpe nominavimus; Illud commemorabo, me, cum animo obfirmato conſtitutum haberem, nunquam amplius abire ex eis locis, in quibus eſſem Deo quaſi conſecratus, nec ſtationem illam relinquere, in qua me volens ipſe libenſque collocaſſem, coactum tamen Concilii nomine, & binis hujus ſapientiſſimi & optimi Pontificis litteris ad Urbem me evocantibus, per cauſam, quæ erat adſcripta, ut tractarentur ante & deliberarentur ea quæ mox in Concilio agi expediret, & ut morum Eccleſiaſticorum honeſtati ac decori conſuleretur; Romam revertiſſe mœrentem quidem & invitum ſi ſpectentur cetera, hoc uno me conſolantem, quod tantæ cauſæ Dei omnipotentis pro mea parte non adeſſe, alienum mihi ab officio, & pietate Chriſtiana eſſe videbatur. *Ex quibus quidem cauſam Paulo III. evocandi Sadoletum quæ fuerit plane cognoſcimus, quod item ipſe docet in proemio*. Vocatus enim ad Urbem a Paulo III. P. M. qui Clementi ſucceſſerat, ac eo nomine vocatus, ut una cum aliis nonnullis electiſſimis viris, corrigendis moribus Sacerdotum, qui negligentia ſuperiorum temporum a veteris curriculo innocentiæ deflexerant,operam & partes meas impenderem. *Præter Sadoletum accitos a Pontifice alios quinque, qui deliberarent, quibus novis legibus ſoluta Sacerdotum diſciplina aſtringenda videretur, quibuſque ſublatis eorum, quæ a ſuperioribus*

Pontificibus Romanis inſtituta fuerant, ſanctior inſti-tui poſſet ratio gerendi ſummi Pontificatus, tradit Florebellus; additque agitatam eam rem fuiſſe complu-ribus diebus, atque eo tempore Sadoletum etiam iiſdem diebus, aliquot orationes ſcripſiſſe, quò Pontificis Maximi animum acrius ad id perficiendum incenderet. *De hoc conventu Pallavicinus* [1] *atque ejus ætatis monumenta. Verum tota res poſtea cum propter difficultates quaſdam refrixiſſet, Sadoletus Carpentoractenſem Eccleſiam ſuam cogitans, Roma diſcedere parabat (de quo reditu ſuo ſcribit* [2] *Accolto Cardinali* II. *Kal. Decembr.* MDLVI. *&* III. *Kal. Coſmo Gerio* [3]) *cum* ignarus, & incogitans *ut idem narrat Mario Maffæo* [4], *in ampliſſimum Cardinalium ordinem cooptatus eſt* XI. *Kal. Ianuarii. Nam* X. *Kal. ſcribens Herculi Duci Saxoniæ* [5] Heri, *inquit*, nihil cogitans ac ne cupiens quidem, ſed præter omnem opinionem meam, creatus ſum Cardinalis. *Rem totam fuſius narrat Germano Brixio* [6]. Cum ignarus omnium & nihil minus cogitans nocte ea primùm quæ anteceſſit comitia, certior Pontificis voluntatis ipſius nuntio factus eſſem, nec temporis haberem ad deliberandum ſatis; animo autem incredibiliter æſtuarem, quod neque res tota admodum mihi placebat, & tamen tantam voluntatem Pontificis erga me, illudque quod de me faciebat judicium repudiare atque aſpernari, ſuperbum exiſtimabam; detuli rem ad amicos, non tam

1. Lib. IV. Hiſt. C. T. cap. 5. 2 Lib. 9. Epiſt. 17. 3 Ep. 16.
4 Lib. x. epiſt. 5. 5 x. 1. 6 Lib. x. epiſt. 16.

tam quidem de re, ut ſententias illorum exquirerem (eram enim prorſus ad recuſandum paratus) quam ut recuſandi modum honeſtiorem quærerem, quem ego animo perturbato videre ſatis non poteram. *Addit, cum illi qui conſulti ab eo erant graviter illum increpuiſſent, quod reſiſtere conaretur vocanti ſe Deo, oblato honori ac dignitati tandem conſenſiſſe. Romæ ergo ſubſtitit toto anno* MDXXXVII.,*quo incidit in gravem morbum, eoque quatuor pene menſibus oppreſſus, periculum vitæ adiit non ſemel, ut ipſemet ſcribit Georgio Duci Saxoniæ* IV.*Kal. Ianuarii* MDXXVII.[1]

A. MDXXXVIII. *Paulus III. veritus, ne bellum quod inter Carolum V. & Franciſcum I. Galliæ Regem exarſerat, fœdus turbaret contra Solimanum ſuperiori anno decretum, ut Nicæam colloquium accederent curavit, quò idem etiam gravi ætate cǫnferre ſe voluit, profectuſque ex Urbe eſt Majo menſe. Neceſſe fuit Sadoleto quoque Pontificem qui anteceſſerat ſequi, ut idem ſcribit eidem Georgio*[2]. *Atque eo in itinere morbo graviter eſt conflictatus, ut Iulio Peſlugo narrat, excuſans tarditatem litterarum ſuarum*[3]. Cum enim in illo ipſo noſtro ex Urbe Roma diſceſſu, quo Nicæam omnes contendebamus, eas accepiſſem, neque tum ſpatium habui reſcribendi, & toto illo itinere incertis febribus, doloribuſque inteſtinorum graviſſime vexatus vix vitam potui retinere; quæ certe fuiſſet amiſſa, niſi Dei ſumma bonitas & clementia opem mihi tuliſſet. *Addit Georgio Duci Saxo-*

1 Epiſt. 2. lib. 11. 2. Epiſt. 4. lib. 11. 3 Lib. 11. Epiſt. 5.

Saxoniæ [1]. Nicæam veni quomodo quidem potui, delatus lectica, omni ratione adnitens ut intereſſem conſiliis in quibus de ſumma Reip. agebatur; cum tamen quotidie aliquot horas levi febricula laborarem, eſſemque invalidus, qua invaletudine adductus non ſum ut deſiſterem a muneribus publicis. *Refert vero ibidem; Nicæa cum regrederetur renovatum eſſe Placentiæ morbum & ſe ad interitum pœne perductum. Cum vis ergo morbi remiſiſſet, ut plane ex eo recrearetur, Carpentoracte venit, quemadmodum ſubjungit in litteris ad Peſlugum. In epiſt. ſcripta Alberto Pighio* [2] *narrat, ſe Carpentoracte, quo Nicæa venerat, ut ex longo & difficili morbo perditam prope valetudinem recrearet, hyemem oppreſſiſſe: & fuſius aliquanto in epiſt. Io: Cochlæo idem exequitur* [3]; Summum Pontificem ad conciliandos Principes Nicæam proficiſcentem ego ex urbe proſecutus, toto illo itinere, Placentiæ præſertim graviter ægrotavi. Nec tamen deſtiti quin pervenirem Nicæam, illiſque ſanctis & ſalutaribus negotiis intereſſem. Poſt, conventu ſoluto, locorum vicinitatem, & cæli ſalubritatem ſecutus, Carpentoracte meam ad Eccleſiam me recepi, ubi etiam nunc commoror, nec ante proximum ver in Italiam, rediturus ſum. *Veniam ſcilicet dederat, tempore tamen præſtituto, Pontifex quo abeſſe poſſet. Itaque* [4] *Pontifici ſcribens, narrat, ſe litteras accepiſſe* III. *Id. Octobr. Cardinalis Farneſii;* qui-

1 XI. 4. 2 Lib. XII. Epiſt. 1. 3 XI. 6.
4 Lib. XII. Epiſt. 8.

quibus ille me, *inquit* hortatur, & admonet, ac Sanctitatis tuæ verbis etiam mandat, ut jam exacto fere eo tempore, quod meæ abſentiæ a te præſtitutum fuerat ad urbem quam primum me recipiam: *petit tamen a Pontifice facultatem longius ibidem in Eccleſia ſua commorandi. De hac etiam re extant ad Cardinalem Farneſium litteræ* [1]. *Atque impetraſſe quidem videtur; & triennium atque aliquanto amplius Carpenctoracte fuiſſe. Cum enim illa ſcriberet Id. Octobr. a.* MDXXXVIII., *indidem ſcribit Io: Cochlæo eodem anno prid. Kal. Decembr.* [2] *atque anno ſequenti eidem* VII. *Id. Iulii, & pridie Id. Novembris; quarum quidem litterarum primis ait*; Cum hæc ad te ſcriberem aberam ab urbe, deque meo illuc reditu nondum quippiam certi conſtitueram: *in alteris vero, ubi doluit, ſuas ad illum litteras non eſſe redditas, ſubdit*; cum tamen abſens adhuc & in Eccleſia mea manens Carpenctoracti, meis qui in urbe ſunt, præcepiſſem, ut omnes meas ad te litteras per Ambroſium Theutonem, quem tu mihi nominas in litteris, ad te mittendas curarent ..... Si Romæ eſſem plura polliceri tibi poſſem; nunc cum ſim in his locis, neque illuc (ut nunc eſt) me conferre cogitem, cauſis & multis & neceſſariis adductus &c. *In eamdem fere ſententiam ſcribit Franciſco Fregepani, item* VII. *Id. Iulii ejuſdem anni* MDXXXIX. [3] Qui ſi Romæ eſſem, laceſſerem te crebro meis ſcriptis. Nunc longe gentium abſum, neque ſane mihi conſtat,

1 Lib. XII. 2. 3. 5. 2 Epiſt. 6. lib. XI. 3 Lib. XI. Epiſt. 14.

ſtat, quod ad tempus ſim in Urbem reverſurus: nam neque quicquam adhuc video quod me illuc attrahat, & multa ſunt hic quæ me detineant. Proinde ſcito labare meum illud primum conſilium Romam redeundi. *Eidem ſcribit Carpenctoracti* x. *Kal. Auguſt.* MDXL. [1] *Continuum ibi fuiſſe uſque ad hoc tempus ſignificat* [2] *Io: Archiepiſcopo Upſalienſi*; Ad xv. Calend. Januarii cum eſſem in mea Eccleſia Carpenctoracti, quò poſt diſceſſum a Nicæa Summi Pontificis me contuleram, accepi tuas litteras XIII. Kal. Novembris Venetiis datas. *Scriptæ ſunt autem hæ litteræ* Carpenctoracti IX. Kal. Jan. MDXL. *Hoc tempore munus ei collatum eſt Pontificio diplomate, ut in Lutheranos inquireret atque animadverteret. De eo gratias agit Cardinali Farneſio* [3] *epiſtola ſcripta* IV. *Kal. Aug.* MDXXXIX. *A.* MDXLI. VII. *Kal. Decembris Carpenctoracte pariter ſcribit Paulo III.* [4], *atque eodem anno, antea*, XVI. *Kal. Septembris Antonio Florebello ſcripſerat* Ex Feliciano noſtræ Diœceſeos. *Hæc paullo fuſius explicui, quod Florebellus in vita, nihil aliud habet, niſi commoratum Carpenctoracte eſſe Sadoletum*; ut rem familiarem plane conſtitueret aliquanto diutius quam ſe facturum oſtenderat. *Non eſt prætereundum hoc loco inſigne officii ſive pietatis exemplum in Æſinum Epiſcopum; cujus teſtamento hæres relictus, etſi jacturæ potius aliquid quam compendii fecerat, tamen ſepulchrum ei in Minervæ faciendum*

1 Epiſt. 16. lib. XI. 2 Epiſt. 18. 3 Lib. XII. Epiſt. 5.
4 Lib. XII. 10.

dum locavit a. MDXXXX. *atque hujus curam in amicos ſuos Binum & Molzam confert* [1].

A. MDXLII. *Romam ſe veniſſe accerſitum a Paulo III. teſtatur idem Sadoletus in litteris Guglielmo Duci Bavariæ ſcriptis* VI. *Id. Maji* [2] : Cum ab Carpenctoractenſi Eccleſia mea Romam rediiſſem, Pontificis Max. juſſu, non modo evocatus, verum etiam compulſus. *Carpenctoracti tamen erat* XIII. *Calend. Martii. Nam eo die indidem ſcribit Guglielmo Pojeto* [3], *ſignificans tamen, ſe cum aliis Cardinalibus evocatum*; Puto te audiſſe nos omnes qui de Cardinalium Collegio ſumus, Summi Pontificis litteris ad urbem eſſe accitos. Itaque etſi ægre ab Eccleſia mea divellor, mihique cùm hoc iter, tùm vero in Urbe manſio in omnem partem incommoda futura eſt, tamen, quando excuſatio qua uſus fueram accepta non eſt, ea quæ huic itineri neceſſaria ſunt comparo, meque his viginti circiter diebus profecturum hinc arbitror. *Cauſam evocandi hanc fuiſſe indicat Florebellus, ut deliberarent, quid facto opus eſſet, cum renovato bello inter Carolum V. Cæſarem, & Franciſcum I. Gallorum Regem, iterum in maximum diſcrimen, Turcico bello impendente, Chriſtiana res adduceretur. Extant tamen litteræ apud Raynaldum* [4] *quibus Cardinales ad urbem accerſuntur, cauſaque profertur præcipue illa quod Concilii inſtaret celebratio*; Superiore anno conſiderantes

1 Epiſt. inter Italic. edit. Veron. VIII. 2 Lib. XI. 10.
3 Lib. XIII. Epiſt. 9. 4 h. a. num. 47.

tes quod S. R. E. Cardinales ad id creantur, ut Romano Pontifici in participatione curarum præſentes aſſiſtant, eaque eſſe tempora, ut ſi quando antea illorum opera & conſilium cuiquam noſtrorum prædeceſſorum opportuna fuiſſent, nobis maxime neceſſaria tunc eſſent, cum univerſalis Concilii inſtaret celebratio, ac de ſumma rerum totius Chriſtianitatis, maximoque illius periculo ageretur, vocavimus ad ſuum officium Circumſpectionem tuam &c.

A. MDXLIII. *Cum Tridento, ubi ad concilium convenerant, Cæſaris oratores diſceſſiſſent, cauſati bellum quod ardebat inter Carolum & Franciſcum I. Galliæ Regem; cum monitus etiam Pontifex eſſet, promiſiſſe Cæſarem, ni intra menſes* XVIII. *haberetur Concilium generale aut Germanicæ nationis, conventum* Imperialem *coactum iri, in quo de rebus Religionis decerneretur; Paulus III. Cæſarem ex Hiſpania venientem convenire decrevit, ut eum cum Rege Gallorum conciliaret. Bononiam ergo venit, ubi* V. *Id. Maji pro conſtituendis Concilii rebus Cardinales aliquot deſignavit. Poſtea certior factus, nolle Cæſarem Bononiam venire, concilium Cardinalium habuit, ut viderent; congruumne eſſet majeſtati Romani Pontificis, quoniam ad ſe venire Cæſar recuſaſſet, ut ipſe ſe ad Imperatorem conferret; qui id decere omnino Romanum Pontificem negarunt. Aberat tunc Sadoletus. Florebellus narrat, poſtquam revocatus fuerat Romam, vixdum ibi conſtitiſſe, atque ob eorum Principum diſcor-*

ſcordias componendas Legatum miſſum a Pontifice ad Galliæ Regem; mature in Galliam perveniſſe; & poſt congreſſus aliquot, ad pacem eum flexiſſe, quæ profectò conſtitiſſet, ſi modo alterius Legati qui in Hiſpaniam ad Carolum miſſus fuerat felicior legatio fuiſſet. Addit cum a Rege diſceſſiſſet, veniſſe Carpentoracte; quò reliquam ibi hyemem maneret, ſeque ex aſſiduis laboribus reficeret; idque ei Pontificem maximum, ætati hominis & valetudini parcentem, permiſiſſe: inſequenti æſtate in Italiam non ſine maximo Carpentoractenſium dolore diſceſſiſſe; atque eò cum veniſſet, interfuiſſe colloquio Pauli atque Caroli qui in agro Parmenſi congreſſi ſunt. Hæc Florebellus; quæ ipſe Sadoletus indicat in epiſtolis ſuis. Nam Gallicam quidem legationem commemorat Ioanne Morono Cardinali ſcribens [1], *præcipue vero litteris ad Paulum. Atque in horum* x. Anceps igitur, *ait*, animi, & dubius, quid caſurum eſſet, Bononiam perrexi Nonis ipſis Juniis; diverti ad Paleotos quorum vetus hoſpitium nobiſcum, hac nova familiaritate renovatum eſt. Poſtridie mane Pontificem Summum conveni. Acceptus ſum ab eo perbenigne; laudavit operas noſtras legationis Gallicæ, adventum noſtrum ad ſeſe ſibi imprimis gratum eſſe affirmavit. *Accerſitum ſe a Pontifice fuiſſe Bononiam iterque ſuum narrat ad eumdem* [2]. Decimo octavo die poſtquam a te diſceſſeram Mutinam veni Idibus ipſis Majis: ibi Alfonſum fratrem offendi valentem ... ſed illi pene inopi-

1 Lib. xv. ep. 3. 2 ep. 9.

inopinatus fuit adventus meus. Etſi enim imperium noverat, quo ego accerſebar, de mea tamen voluntate fuerat dubius... Ego illo triduo Florebellum Bononiam miſi, & ad Farneſium litteras nihil diſſimulans de mœſtitia mea, & ſimul exponens, quam mihi grave extitiſſet venire in Italiam, & alieniſſimo meo tempore iter illud ſuſcipere. Petebam autem, ut tranſacto cum Cæſare colloquio, liceret mihi Carpenctoracte reverti, quod jam unum atque ſolum a Summo Pontifice expeterem beneficium. Erat & illa excuſatio in litteris, me non continuo Bononiam profectum eſſe, quod de via feſſus, aliquot dierum quiete, reficiendi mei cauſa, indigerem; me tamen quod ipſi imperaſſent eſſe facturum. Reſponderunt, poſſe me Mutinæ ipſorum voluntate reſidere, donec vocandi adeſſet opportunitas. Quo ego nuntio accepto in Cornelianum noſtrum me contuli, ubi ſextum diem jam ago &c. *Subjicit de adventu Cæſaris, adhuc illum in expectatione eſſe, nilque de eo certi allatum; dici tempeſtatibus retentum, conficere curſum non potuiſſe; eſſe tamen qui nuncient, pervectum eum ad inſulas quæ ſupra Maſſiliam ſunt. Denique addit quod religionem ejus ſummam indicat, & explicatur ex Florebelli vita. Narrat enim Florebellus; cum extremo Legationis tempore, integri menſis ſumptum accepiſſet, atque ante exactum menſem Carpenctoracte perveniſſet, decem dierum ſumptum, quot reliqui fuerant, referri ad Quæſtorem Pontificis Maximi, quamquam diſſua-* *dentibus*

dentibus amicis , & nimiam ejus religionem accuſantibus juſſiſſe . Hoc in ea epiſtola Sadoletus innuit , cum refert ſumptum itineris Bononiam accepiſſe ; Viaticum , *inquit* , hujus itineris pro ratione dierum qui in itinere conſumpti ſunt , miſi ad Carolum noſtrum Gualteruccium uti peteret : res æqua & legitima nihil habuit difficultatis : trecenti ſtatim numerati ſunt , in quo opera Ardinghelli eximia , & amor erga me ſingularis . Illud ex hac mea poſtulatione mihi accidiſſe gaudeo , quod deſierunt mirari ac reprehendere , quod ducentos illos reddidiſſem , poſtquam viderunt , me trecentos repoſcere : non enim jam illa moroſitas mea ſed religio judicatur . *Bononiam ergo cum ad Pontificem veniſſet , commemoratis cauſis quibus ad veniendum effectus fuerat difficilior , inſtitit eadem petere, quæ petiverat antea per litteras , ut redire ad Eccleſiam ſuam liceret , ut idem* [1] *ſignificat . Pontifex rei conſtitutionem in alìud tempus diſtulit* . Poſtridie , *ſic enim cetera ipſe refert* , qui fuit dies VI. Id. Junii Senatus iterum vocatus eſt . Cauſa conveniendi fuit , quod cum ſuperioribus diebus fuiſſet deConſilii ſententia decretum, ſi Cæſar Bononiam venire recuſaret (properare enim dicebatur, nec ſpatium habere tam longe ab itinere declinandi) ut ne ulterius procederet Pontifex , ſed vel illum Bononiæ exciperet , vel ſi id non contingeret , inappellatum abire pateretur ;

R cum

1 Ep. 10. ad Paulum .

cum tamen, ſi quid in congreſſu agendum eſſet, id mittendis nuntiis facile poſſet ſarciri. Ratio autem ita decernendi fuerat, quod videbatur hoc dignitati & gravitati Sedis Apoſtolicæ maxime convenire; ſimulque ætatem Pontificis pergrandem tot itinerum laboribus objici non placebat. Ergo hæc eadem res iterum adducta erat in diſceptationem; placeretne ulterius obviam procedi, necne. Nam Cæſar quidem Parmæ, ſe oſtenderat Pontificem libenter conventurum. Hic quinque ante me rogati in ſententia priſtina permanſerunt; cum exceptione tamen, niſi certa ſpes aliqua de pace eſſet oblata, quæ iter ſuaderet; tum enim ire oportere cenſuerunt. Ego rogatus, contrariam ſententiam dixi; de valetudine & incolumitate corporis ad Pontificis judicium rejeci. *Poſtquam ſententiam hanc ſuam qua eundum eſſe decernebat, latius explicavit, ſubjicit*; Hac a me ſententia dicta ab omnibus deinceps in eamdem eſt diſceſſum. Itaque Parmam venimus, herique Pontifex ingreſſus urbem eſt; cras vero aut perendie Cæſarem expectamus. *Parma hæc ſcripſit* XV. *kal. Iul. cum incertum adhuc eſſet, utrum Parmam Cæſar eſſet venturus. Venit tamen, atque illum Sadoletus quoque ad pacem hortatus eſt: etſi tunc quidem nihil profectum, poſtea Cæſar paci aures præbuit. Florebellus nihil præterea de Sadoleti rebus geſtis ante obitum ipſius narrat. Videtur tamen, cum enixe adeo reditum ad Eccleſiam ſuam flagitaſſet*

gitaſſet, obtinuiſſe. Itaque Carpentoracte ſcribit Cardinali Morono IX. *Kal. Iul.* MDXLIV.[1] V. *Id. Junii, atque anno eodem Cardinali Corteſio & Iacobo Sabello* [2]. *Carpentoracti erat quoque anno inſequenti* V. *Id. Novembris, unde poſt pacem factam, orationem qua gratias Cæſari communi Chriſtianorum populorum nomine agens ad res tanto Principe dignas gerendas adhortatur, ſe miſiſſe Imperatori, ſcribit Epiſcopo Atrebatenſi Antonio Perrenoto* [3].

A. MDXLV. *Romam iterum a Paulo III. evocatus eſt: itaque eidem Pontifici ſe excuſat* [4]; Accepi Sanctitatis tuæ litteras, per quas illa dignum me duxit, quamquam nullius admodum pretii hominem, perinde tamen ac ſi momenti alicujus futura ſit præſentia iſtic mea ob hæc Reip. tempora, ad Urbem Romanam accerſere &c. *Scripta eſt epiſtola* XII. *Kal. Febr.* [5] *Eamdem excuſationem biduo ante attulerat in litteris Ioanni Toletano* [6], *affirmans, tot itineribus, tam multis & crebris ultro citroque prætervectionibus ex Urbe in Galliam, & ex Gallia rurſus ad Urbem, conſumptis plane rebus omnibus atque detritis, non ſolum equis, mulis, veſte, inſtrumento ad illud iter idoneo, nullo munitum eſſe, ſed ne ſpem quidem videre, aut rationem ullam reliquam inſtruendi ſui. Romam tamen advenit, ubi eidem Paulo III. ſcribit de clariſſimæ feminæ obitu conſolationem* VII. *Kal. Iun.* [7]; *ideſt paulo poſt quam Urbem fuerat ingreſſus. Nam* IX. *Kal.*

1 Lib. xv. ep. 3. 2 eodem lib. ep. 4. 6. 3 lib. xv. ep. 7.
4 lib. xii. ep. 12. 5 xii. 12. 6 xv. 8. 7 lib. xii. ep. 13.

Octobr. Donato Rullo narrat [1], *quintum menſem agi ex quo tempore retulerat ſe Romam. Georgio vero Bavariæ duci* [2] *excuſans tot itus reditusque ſuos & domicilii commutationes, non ſua ſed aliorum & maxime Romani Pontificis voluntate factas, poſtremi hujus adventus ad Urbem cauſam exponens;* Proxima, *ait*, cauſa illinc me extrahendi & Romam evocandi, Concilii habendi neceſſitas fuit, & cogitatio. *Hæc Kal. Aug. Fuiſſe illum Romæ ineunte Majo conſtat ex litteris Io. Baptiſt. Speciano*[3] *ſcriptis, in quibus etiam fuſius de cauſa itineris ſui, ubi ſe Pontificis Maximi accerſitu Romam veniſſe narravit*, omnino & tempore & itinere ſibi perincommodo. Sed non potui, *inquit*, vel auctoritati illius bis terve me magnopere vocantis, vel ei cauſæ, propter quam vocabar non parere. Prætendebatur enim huic vocationi comparatio propinqui Concilii, quod diu ante indictum, poſteaque intermiſſum, nunc pace inter Principes facta concordiaque conſtituta, omnium conſenſione expeti, in primiſque neceſſarium Chriſtianæ Reip. eſſe videbatur. Quò ego publicis conſiliis intereſſem, ageremque & ſentirem pro mea parte ea, quæ judicarem eſſe Reip. utilia, iccirco huc accitus, iter meum, & adventum, ut ante dixi, nec Deo, nec Reip. negare potui. *Romam ubi venit ibi ad obitum ſuum permanſit, ut vel litteræ teſtantur hoc anno ſcriptæ* [4], *& ſequenti* [5], *atque anno* MDXLVII., *qui fuit ejus*

1 lib. xvi. ep. 9. 2 xi. 12. 3 lib. xvii. nov. edit. Veron. 9.
4 xv. 9. 11. 5 xv. 10. 14. 15.

eſus vitæ poſtremus[1]. Deceſſit enim ut diximus XV. Kal. Novembr. Nihil vero de morte ſanctiſſime obita, uti de laudabiliter tranſacta vita, & doctiſſimi integerrimique viri laudibus dicimus; quod non ut eum laudaremus, aut virtutes illius exequeremur (quod alii, præſertim Ludovicus Donius D'Atticby, & Ribier[2] faciunt) hanc inſtituimus narrationem, ſed, ut temporibus ejus vitæ digeſtis, lux aliqua epiſtolis quas vulgamus accedat. Atque ex his quidem, ab illo exacta jam ætate, ideſt anno ante mortem ſcriptas vulgamus duas CVI. & CVII.

§. III. De Scriptis Sadoleti.

Poſtquam de rebus geſtis Sadoleti dixi, viſum eſt aliquid & de ſcriptis ejus dicere, atque hanc provinciam, non quidem eam ut ornemus, ſed ne relictam ab aliis nos quoque omittamus, attingere. Quamquam enim opera ejus recenſuere nonnulli, inter quos Boxhornius & Ghilinus, parce nimium nec ſatis diligenter, ut nobis videtur, ſunt in eo argumento verſati; & hanc hiſtoriæ litterariæ partem ſemper exiſtimavimus dignam, quæ patienter atque exactius etiam aliquanto excoleretur. De Sadoleti igitur libris nunc dicemus. Atque is quidem adoleſcens cum eſſet, poemata elaboravit; ex quibus intelligi licet, *ait Florebellus*, gravem eum & quaſi grandiloquum poetam evaſurum fuiſſe. *Veram fuiſſe hujus vocem*

1 XV. 12. XVI. 14.   2 monument. tom. 1. pag. 107.

oſtendunt virorum doctorum de Sadoleti poematibus judicia, ex quibus Giraldus[1] *ita Iulium Iacobi fratrem alloquitur, ubi dixit, neminem meliora attuliſſe ad eam diem Ioviano Pontano*; Niſi ſi quis fratrem tuum, Juli, Jacobum Sadoletum attulerit, cujus poemata Laocoon, Curtius, necnon ocii & tranquillitatis carmen, mirabilem illius gravitatem ac ſingularem modeſtiam declarant, quem in hac facultate auxerunt & reliqua bonarum artium, & ſapientiæ ſtudia, quæ ab unguiculis ille pleno pectore hauſit. Neque enim in præſentia ejus ſolutam orationem, in qua ſupra ceteros excellit, commemoro. *Hunc opponas Rapino*[2]*: etſi dum ibi Rapinus Sadoletum Fracaſtorio, Sannazario, Vidæ æquat, nihil habet, quod non ſit cum Sadoleti laude conjunctum. Florebellus* Curtius *quod inſcribitur nominatim appellat, affirmans, ſcriptum ab eo fuiſſe antequam Romam ſe conferret, ideſt ante annum* MDIII. *Hoc, aliaque præterea carmina* De Lacoontis ſtatua, & ad Octavium & Fredericum Fregoſos *edita ſunt tom.* 2. Carmin. illuſtrior. Poetarum, *quæ Io. Matthæus Toſcanus recenſuit*[3]. *Item in* Delit. Italor. Poetarum collectore Ranutio Ghero[4] *&* Carmin. Illuſtrior. Poetarum Italor. edit. Florentiæ 1721.[5] *Eadem reliquis Sadoleti operibus accenſentur editis Moguntiæ*[6] *& Veronæ*[7]. *Atque in hac recentiore editione Veronenſi additur etiam*

1 De Poet. ſui temp. Dial. 1. 2 Reflex. Poet. p. 1. n. 321
3 pag. 113. edit. Pariſ. 4 part. 2. pag. 582. 5 tom. 8. pag. 228.
6 a. 1607. in 8. 7 in fol. a. 1738. tom. 3.

etiam epigramma ex libro Coryciana. *Verum non eſt prætereundum,* Curtium *poema illud a Sadoleto miſſum fuiſſe Angelo Ubaldo, adjecta epiſtola, quam neſcio, cur; Sadoleti opera qui ediderunt præteritam in eo poemate proferendo vellent. Eam, ut latinarum litterarum ſtudioſi habeant, malo hic ponere. Præfixa autem eſt poemati edito a Veneta Academia in libro qui inſcribitur;* Duo tum graviſſima tum lepidiſſima poemata Heroica Illuſtriſſimi Jacobi Sadoleti & Franciſci Sfondrati, quorum alterum inſcribitur Curtius, alterum vero De Raptu Helenæ. In Academia Veneta MDLIX.

Jacobus Sadoletus Angelo Ubaldo S. P. D.

Quanti faciam te, etſi antea multis de rebus cognoſſe te arbitror, tamen hoc argumento etiam, perſpecta erit erga te voluntas mea. Nam cum propter diutinas occupationes longum jam tempus mutum mihi a litteris præteriret; idque, quod quandoque daretur, in ſtudiis gravioribus conſumere eſſem meditatus, tibi tamen aliquod a me hujuſmodi quaſi benevolentiæ teſtimonium, hanc operam negare non potui, quamquam genere ſcribendi pæne a me alieno: ſcis enim quod me raro ad Poetas dare ſolitus ſim. Sed ſi amicitiæ noſtræ familiariter excipere, tuæ tamen dignitati non debere hoc munus non licebat. Cui enim tua & virtus & auctoritas non afferat recuſandi verecun-

diam ? M. itaque Curtium nuper abſolutum tuo nomini dedicavi ; conſilio etiam inito ſi inciderit, ut commode poſſimus clariſs. quodque ex veteri memoria factum, aut militiæ aut domi, hexametro carmine deinceps perſequi. Sed hoc poſtea : Curtium quidem nunc meum, ut olim Lucilius, quominus legatur a mediocriter peritis non impedio ; doctorum judicia vereor, ac ne in ipſo limine offendam, pertimeſco. Opponis enim tu mihi ſummam doctrinam, ſingularemque ingenii & provinciæ gravitatem maximi viri Franciſci Soderini Cardinalis. Quoniam autem ad benevolum nobis arbitrum me vocas, non mihi fugiendum compromiſſum eſt, ſed cum tantum tibi debeam, quantum perdifficile ſit uno nomine expedire ; advocabo mihi æquitatem probatiſſimi hominis Matthæi Ubaldi patris tui. Is enim, ut Juris civilis & Pontificii ſcientia clarus, XII vir cauſis judicandis, atque in eo munere præſtantis ſcientiæ eſt : ita profecto ex æquo & bono decernet, magni æris alieni, quod mihi cum tota familia veſtra contractum eſt, non fugitivum me debitorem videri. Vale.

Quod in hac epiſtola Franciſcus Soderinus Cardinalis appellatur (dictus eſt autem Cardinalis a. MDIII. *menſe Majo) facit ut dubitem verumne ſit, quod Florebellus affirmarat, ſcriptum poema a Sadoleto antequam Romam veniret. Eſt & aliud ejuſdem Sadoleti quod neglectum doleam, etſi paucis litteris continetur. A.* MDXXII. *M. Antonius Columna a Franciſco Rege Gal-*

Gallorum in belli adminiſtrationem vocatus, ſub ipſis Mediolani mœnibus ictu ærei tormenti occubuit. Parentarunt forti viro doctiſſimi ejus ætatis homines; extatque integer liber inſcriptus Lacrymæ in M. Ant. C. *In eo primo loco, poſt Marcelli Palonii nuncupatorias litteras Archiepiſcopo Coſentino, ponitur epitaphium a Sadoleto ſcriptum, quod hic pariter deſcribere non pigebit.*

Deo. Imm. S.

Manibus ac memoriæ M. Antonii P. Antonii filii, Columnæ, viri clariſſimi, nec ſolum domi & inter cives ob vetuſtam familiæ dignitatem, omneiſque egregias & veræ nobilitatis ſocias virtutes, liberalitatem, prudentiam, magnitudinem animi, comitatem, fidem, ſed quod belli item atque militiæ maximus dux & æmulus antiquorum gloriæ, præclaris ſæpe operibus conſilio & manu editis, pluribus victoriis partis, nullaque non Italiæ regione ſuis trophæis & laudibus inluſtrata, Latino nomini priſcam virtutis ac bellicæ diſciplinæ opinionem reſtituit.

Proſper Columna Imp. Cæſaris Caroli Auguſti in exercitu Præfectus, ipſius auſpiciis Cæſaris, ſuoque ductu ac vigilantia, Gallis Italia pulſis, & Mediolano Sphortiadum ditioni recuperata, hoc victor monumentum fratris filio benemerenti non ſine lacrimis ex ſua pecunia fecit. Vixit &c.

Scri-

Scriptum hoc a Sadoleto eſt, cum Leone mortuo adhuc Romæ eſſet, necdum ad Carpentoractenſem Eccleſiam ſuam ſe contuliſſet. Antea, Leone Pontifice, orationem habuerat vulgaveratque a. MDXVIII. *hoc titulo in antiquiſſima editione quam in Bibliotheca Barberina vidimus*; Jacobi Sadoleti E. Carpent. Leonis X. Pont. Max. a Secretis in promulgatione generalium Induciarum oratio in Beatæ ſemper Virginis ad Minervam habita decimonono Kal. Aprilis MDXVIII. *in* 4. *Adnectitur in eodem libro huic orationi oratio alio (aliis formis edita ut videtur)* Jacobi Sadoleti de bello ſuſcipiendo contra Turcas ad Ludovicum Regem Galliarum oratio *in* 4. *Eſt tertia oratio de pace ad Carolum V. quam editam vidi Venetiis ab Aldo una cum oratione Cardinalis Campegii: quare huic libro titulus eſt*, Orationes duæ clariſs. & ampliſs. virorum, altera Jacobi Sadoleti S. R. E. Cardinalis de Pace ad Imp. Carolum V. altera Jo: Baptiſtæ Campegii &c. Venetiis MDLXI. *in* 4. *Multo ſerius hanc ſcriptam arbitror, ubi & legationis ſuæ ad Gallorum Regem mentionem facit, quam anno obivit, ut diximus,* MDXLIII. *& aliquid poſtea temporis effluxiſſe ſignificat. Quare de ea ſcribit* V. *Id. Jul.* MDXLV. [1] De meis ſcriptis nihil ſane erat quod tibi pollicerer: habebam equidem inchoata nonnulla, ſed nihil erat perfecti; niſi forte orationem libenter lecturus es, qua ego Cæſari pro pace Chriſtiano nomini conceſſa, ſuperioribus menſibus gratias egi. Ejus ego ora-

1 Lib. XV. epiſt. 13.

orationis deſcribendæ, ſi id voluerit, faciam Marſupino noſtro poteſtatem. *Nondum ergo erat edita. Præter has orationes, quas diverſo tempore, ſcripſit, nec ſatis de eo tempore conſtat; eſt* Ad Principes populoſq; Germaniæ exhortatio graviſſima ut deſertis & abjectis peſtilentiſs. hæreſium inſaniis, in gremium Catholicæ & Apoſtolicæ Chriſti Eccleſiæ redeant ante annos aliquot quibuſdam privatim miſſa, nunc vero primùm in lucem edita opera & ſtudio M. Stephani Agricolæ Auguſtani cum gratia & privilegio Cæſ. Majeſt. Dilingæ apud Sebaldum Mayer ſumptibus Chriſtofori Schick. Anno MDLX. *De hac ſive oratione ſive exhortatione ſcribere eum puto Cardinali Simonetæ* [1], *unum tantum exemplum adhuc in Germaniam miſiſſe ad Georgium Saxoniæ Ducem* [2]: *Ioanni Cochlæo narrat, una cum epiſtolis miſiſſe ad Ducem illum* oratiunculam quamdam; quam ego, *inquit*, Romæ conſcripſeram, antequam inde proficiſcerer, ad hæc ipſa negotia videlicet & Germaniæ & Lutheranorum pertinentem; de qua oratione tum Georgii ipſius optimi, doctiſſimi, religioſiſſimi Principis, tùm tuum etiam judicium exquirebam, edendane eſſe videretur; *Hæc pridie Kal. Decembr.* MDXXXVIII., *idemque ferme repetit ep. ſequenti. Litteræ Duci Saxoniæ datæ* XI. *Kal. Octobr.* MDXXXVIII. [3] *hæc habent*: Nunc tibi mitto oratiunculam quamdam meam, quam ego Romæ confeceram ante diſceſſum; modo Carpenctoracte relecta

1 Lib. XIV. epiſt. 7. 2 Et lib. XI. epiſt. 6. 3 Lib. XI. 4.

cta ea a me eſt & aliquot locis commutata. Ea continet ſane modeſtam, mihi ut videtur, & cuilibet recte judicanti probabilem S. R. E. & totius Sacerdotii defenſionem adverſus probroſas & pæne quotidianas Lutheranorum vituperationes. De qua oratione aut continenda aut in vulganda tuum judicium potiſſimum expecto, ſi eam utilem, ſi profuturam exiſtimas. Namque ego irritare neminem prorſus volo, nec ſerere contentiones; hortator enim ſum pacis & auctor; id ſcribere opto, quod nec Lutherani iniquo omnino animo ferant, & Catholici accipiant æquiſſimo. *Epiſtola vero* IX. *ſcripta prid. Id. Novembr.* MDXXXIX., *accepto nuntio mortis Georgii, ſignificat ſe jam illi de ſua* ad Germanos oratione non vulganda reſcripſiſſe. *Scripſit ergo eam orationem Sadoletus, poſtquam evocatus Romam fuerat a Paulo III. a* MDXXXVI. *atque antequam Roma diſcederet an.* MDXXXVIII., *eaque ut vulgaretur non conceſſerat: itaque nil mirum, ſi primum vulgata dicitur a.* MDXL. *Et Florebellus quidem eo potiſſimum tempore Sadoletum ſcripſiſſe orationes alias quaſdam, cum in conſilium cum ceteris adhiberetur, ad modum inveniendum reſtituendæ Sacerdotum diſciplinæ, narrat. Iiſdem litteris, quas modo nominavi, Cochlæo ſcriptis* [1] *memorat epiſtolam quamdam ſuam Sturmio*; Dederam ſane ego quoq; ad Sturmium litteras, eum leviter objurgans; quarum exemplum miſi ad te, ut ſi tibi etiam viderentur invulgandæ, tuo arbitratu ſtatueres. *Duplex*

1 Lib. XI. epiſt. 6.

plex earum lit·erarum jam editarum exemplum vidi in Bibliotheca Barberina hoc titulo; Epiſtola R.D.Car. Jacobi Sadoleti Epiſcopi Carpentoractenſis &c. ad Johannem Sturmium. *Ex quibus quidem litteris apparet, Sturmium libellum ſcripſiſſe in commentarios, ſive* Conſilium, *quod de reſtituenda diſciplina elaboratum fuerat a Sadoleto ceteriſque ad id conſilium adhibitis;* Legi, *inquit*, librum tuum quem in eos commentarios edidiſti, quos corrigendis moribus rebuſque Romanis vos a me & ceteris qui hanc unam ob cauſam tunc vocati convenimus conſcriptos affirmantes, conſilium *(quid hoc ſit omnes norunt, & ſupra indicatum eſt a nobis; itaque non fortaſſe recte in editione Veronenſi in qua* tom. 4. *hæc epiſtola edita eſt*, concilium *ſubſtitutum*) appellatis. *Et paulo poſt eorum ſcriptorum tempus declarans;* Agitur annus jam XI. cum ego ſcribebam commentarios illos. *Hic, niſi mendum in anno ſit, ſcrupulus hæret aliquis de temporum numeratione. Nam A.* MDXXXVI. *de diſciplina Sadoletus conſulebatur; litteris autem ad Cochlæum ſcriptis a.* MDXXXVIII. *epiſtolam illam Sturmio jam exaratam ſignificat: qui ergo dici in ea potuit* XI. *jam annum agi? Solicitius hæc, cui majus ocium ſit, penſitabit, vel alias ad Sturmium litteras editas quæret. Tota vero epiſtola lenius cum illo & ceteris hæreticis hominibus agit, more illo ſuo, de quo nonnulli eum reprehenderunt, alii excuſarunt laudaruntque; & ipſe in illis ad Cochlæum litteris de eadem ad Sturmium epiſtola:* Decet nos iſtorum inſolentiam

tiam non exaſperare conviciis, quo in genere maxime exultant ipſi, ſed manſuetudine retundere, quod proprium officium Chriſtiani hominis eſt; *fuſiuſq; in eamdem ſententiam Georgio Duci Saxoniæ* [1].

Similis eſt orationi illi poſtremæ ſeu exhortationi pro Germanis ſcriptæ, ſcripta Epiſtola Genevenſibus. Jacobi Sadoleti Romani Cardinalis epiſtola ad Senatum Populumque Genevenſem, qua in obedientiam Romani Pontificis eos reducere conatur Lugduni apud Sebaſt. Gryphium MDXXXIX. *in* 4. *Hoc titulo ſeorſum edita extat in Bibliotheca Barberina; atque eodem anno fuiſſe ſcriptam, ipſa epiſtolæ inſcriptio declarat,* XV. kal. April. MDXXIX. *Hoc etiam anno Card. Contareno ſcribens* [2] *nonnulla quæ ille in eadem notaverat ſe accepiſſe affirmat, totamque rem cum Polo communicaſſe. His adjungendæ Homiliæ duæ; cujus alteri titulus eſt,* Jacobi Sadoleti Tit. S. Callixti Presb. Cardinalis & Epiſcopi Carpenct. de Regno Hungariæ ab hoſtibus oppreſſo & capto Homilia. Lugduni ap. Sebaſt. Gryphium MDXLI. *in* 4. *Alterius vero,* Jacobi Sadoleti Ep. Carpenct. S. R. E. C. de obitu optimi ac præſtantiſſimi Cardinalis Foederici Fregoſii Homilia. Lugduni apud Sebaſtianum Gryphium MDXXXXI. *in* 4. *De hac opinor, poſtrema oratione ſcribit Lazaro Bonamico* XII. *kal. Octobr.* [3] Et tantum doloris acceperam ex morte ſummi viri, mihi collegæ, omnibus & amoris & officii vinculis conjunctiſſimi Federici Fregoſii, ut adhuc

1 Lib. XI. ep. 3. 2 Lib. XIII. ep. 2. 3 Lib. XVI. ep. 2.

adhuc animus illo vulnere æger, ex mœrore & triſtitia recreari non poſſet; cui tamen vulneri paulum quid medicamenti lenioris induxit tui abſentis recordatio. Nunc reviviſceret dolor, niſi eum ego ab hujus argumento epiſtolæ penitus excluſum vellem; præſertim cum alia quædam mea lucubratiuncula tanti viri obitum ſatis ſim lamentis proſecutus. Eam ſchedam ad te perferet Paulus Sacratus meus. *Primam illam homiliam ſcripſit in illa Ungariæ calamitate quam etiam memorat* [1] *Gulielmo Duci Bavariæ. Orationes has atque homilias habes in Veronenſi editione omnes, partim* tom. 2., *partim* tom. 3. *In Moguntina editione de Pace ad Carolum V. vol. 3. ac deinde aliam de bello Turcis inferendo; denique exhortationem ad Principes populoſque Germaniæ. Alteram de bello adverſus Turcas atque homiliam de Hungaria a Turcis capta Reuſnerus conjecit in collectionem ſuam* Orationum Turcicarum [3].

Nunc duo opera Sadoleti commemoranda ſunt, puriſſime ſi ullum aliud, & latine ſcripta. Primum inſcribitur Jacobi Sadoleti de liberis recte inſtituendis liber. MDXXXIII. *Hoc in fronte libri antiquiſſimæ quam nanſciſci potuimus hujus editionis in* 8. *ad calcem* Venetiis per Jo. Antonium & fratres de Sabio ſumptu & requiſitione D. Melchioris Seſſa Anno Domini 1533. menſe Julio. *Alia item* Venetiis per Joannem Antonium & fratres de Sabio an. MDXXXIV. *in* 8. *item* Pariſiis apud Simonem Colinæum MDXXXIV.

1 Lib. XI. ep. 11. 2 Pag. 672. 3 Vol. 3. p. 240. vol. 3. p. 18.

MDXXXIV. *in* 8. *item* Lugduni apud Sebaſtianum Gryphium MDXXXV. *in* 8. *&c. Alterum opus* Jacobi Sadoleti de laudibus Philoſophiæ libri duo. Lugduni apud Sebaſt. Gryphium MDXXXVIII. *in* 4. *Iterum apud eumdem Gryphium ann.* MDXXXXIII. *in* 8. & Venetiis per Bernardinum de Bindonibus Mediolanenſem. Sumptibus vero D. Melchioris Seſſæ Anno Domini MDXXXIX. *in* 8. *Primum horum operum mirifice extollit Polus Sadoleto ipſi ſcribens*[1], Quis enim te ipſum melius exprimere potuit, quam tu, quam ſcripta tua, quam liber ille tuus, quem per me Bembo reddi voluiſti? in quo prudentia tua, gravitas, doctrina, quibus maxime delectabar, elucent &c. *Conqueritur tamen aliquantulum, cur non ultra Philoſophiæ ſtudia prætervectus ſit, & de Theologia ſileat*; præſertim cum, *inquit*, ad Langeum ſcribas, quem ſcio, quoties e negotiorum fluctibus, quibus aula verſantem jactari neceſſe eſt, emergere licet, in nullo libentius, quam in Theologiæ portu conquieſcere. *Eſt enim liber ille Gulielmo Bellajo Langeo inſcriptus qui uxorem nuper duxerat. Huic expoſtulationi ita ſatisfacit Sadoletus*[2] *ut dicat, ideo nominatim de Theologia nihil ſcripſiſſe, quod ea in Philoſophiæ nomine continetur; deinde quod, cum adoleſcentem ſic inſtituat, ut eum dumtaxat, deducat ad annum ætatis quintum ſupra vigeſimum, poſt id autem, ſuo eum arbitrio permittat, non viſum ſibi fuiſſe, convenire accuratius ad ætatem illam de Theologia*

1 lib. VIII. ep. 1. 2 ep. 2.

logia verba facere; cum hæc ars una, *inquit*, atque ſcientia ſenectuti maxime & ſedatioribus annis apta ſit: *Denique ſe in* Hortenſio *diſtinctius de Philoſophia acturum eſſe, eamque in ſuas partes omnem diſtributurum, veluti de qua proprius ibi ſermo habendus eſt; non duxiſſe autem, ejus dialogi ornamentum quod in laudatione Theologiæ vel præcipuum futurum eſt, in hoc prius libro delibari convenire, cum id jucundius tum futurum ſit, ſi ad hominum aures novum atque integrum accedat. Scripta eſt Sadoleti epiſtola* III. *Non. Decembris* MDXXXII. *Atque idem de Hortenſio fere*[1] *Polo eidem ſcribens* IX. *Cal. Decembr.* MDXXXIV.: *ex quo apparet jam editum fuiſſe eum librum, Hortenſium vero, ſive de Philoſophia nondum elucubratum. Hoc alterum & Bembus teſtatur Sadoleto ſcribens Patavio* V. *Id. Aug.* MDXXXII.[2] Arripui autem libentiſſime quod adſcripſiſti: eo opere confecto te ad Hortenſium tuum reverſurum. Quod ut facies, neque te ſinas aliis inſtituendis operibus ab iſto conſilio avocari, etiam atque etiam abs te peto. Incredibile eſt, quanta me cupiditas eum legendi librum teneat. *De utroque etiam anno* MDXXX. *teſtimonium perhibet Lazarus Bonamicus*[3] *ſcribens* XVIII. *Kalend. Sext.* MDXXX. *hæc Sadoleto*; De Hortenſio cave ne longius tam præclarum opus ducas, quam in dialogo de educatione puerorum promiſiſti. *Sadoletus vero diſerte Bonamico Nonis Julii* MDXXXIV.[4] Hortenſium, de quo inſtas, abſolvere

S vere

1 Ep. 4. l. 8. 2 lib. III. ep. Bemb. 26. 3 lib. 5. ep. 12. 4 lib. V. ep. 10.

vere adhuc non potui; fui enim maximis occupationibus impeditus, & idipſum diu. Retuleram me autem ad eam cogitationem atque curam ut conficerem; ſed jam calores me obturbant. Enitar tamen ut & fidei in eo meæ & veſtræ expectationi ſatisfiat. *Tandem anno ſequenti perfectum id opus & ad amicos, explorandi gratia eorum judicia, miſſum narrat Bembus Paulo Sadoleto ſcribens prid. kal. Januar.* MDXXXV.[1] *quibus litteris, quoniam egregium de eo præconium continetur, earum particulam hic deſcribam*; Quod mihi duos Jacobi Sadoleti patrui tui libros miſeris; quorum in altero accuſatio, in altero Philoſophiæ defenſio continetur; magnas tibi gratias Paule habeo. Dediſti enim mihi eas diſputationes cognoſcendas; ex quibus tametſi plurimum voluptatis me percepturum confidebam (quid eſt enim illius viri cùm ingenio & eloquentiæ ſplendore, tùm doctrina & facultate in omni optimarum artium & diſciplinarum genere præſtantius?) multo plus tamen quam putaram, ſum earum lectione delectatus. Nam, & Phædri oratio, a qua Philoſophia in magnam invidiam populi adducitur, habuit & copiam mirificam atque appoſitam ad perſuadendum, & urbanitatem, atque aculeos ejuſmodi, ut inſitam de illa in hominum mentibus opinionem vehementer eluderet; & Sadoleti defenſio tam elegans, tam docta, tam gravis, tam vere denique ſapiens & plena divinorum conſiliorum fuit, ut

1 lib. 6. ep. Bemb. 76.

ut non tam hominem quempiam ea hominibus reliquis tradentem, quam illum ipſum mundi & rerum omnium fontem & effectorem Deum ſub illius perſona ſeſe nobis ſuamque vim & majeſtatem oſtendentem, eque cælo nos alloquentem mihi plane videar audiviſſe. Itaque, quod ad eam partem attinet tuarum litterarum, in qua meum de illis judicium tam diligenter exquiris, hoc tibi unum veriſſime reſpondeo, nihil me unquam legiſſe, poſt illa Auguſti & Romanorum Imperatorum ſane perpaucorum tempora, proſa oratione conſcriptum, quod putem recte poſſe cum horum librorum elegantia, ſplendore, dignitate comparari. Quamobrem ſpero fore, ut cum in manus hominum venerint, maximum Sadoletus atque uberrimum ſuarum vigiliarum fructum capiat, nomen atque gloriam ſcilicet, quam nullà temporis atque annorum volubilitas ſit deletura. Atque hic toto de opere meus quidem eſt ſenſus atque judicium. Neque tamen habeo ulla in operis parte non modo quod reprehendam, ſed de quo ne ſuſpicer quidem an poſſit melius dici; tametſi bis jam eos perlegerim libros. Sed aveo etiam ſæpius. Id fiet, cum ad me redierint. Miſi enim eos Venetias ad Polum legendos, vel ſi volet etiam deſcribendos; ſcripſique ad illum, me id tuo juſſu facere, ſed ita, ne in vulgus exeant. *Quamobrem extremo anno* MDXXXV. *nondum erant editi. Nec quemquam moveat, quod opus hoc ipſum quod nunc ex primo libro ſive ex Actoris in*

eo perſona Phædrus inſcribitur , Hortenſium *alias compellatum reperiat . Cum enim ad* Hortenſii , *quæ de eodem argumento Ciceroniani operis compellatio fuit, imitationem ſcripſerit ; modo ejus , cujus æmulatione fecit , nomine compellat , modo proprio & ſuo . Quod pertinet ad judicia eruditorum hominum de altero libro, eum laudat Io. Petrus Craſſus Epiſcopus Viterbienſis in epiſtola ad Sadoletum* [1]; *multo vero copioſius Bembus, ad quem ſe eum recognitum deſcriptumque a librariis mittere velle,antequam edatur, ſcripſerat Sadoletus* [2]. *Bembus ergo* [3]; Librum de recte inſtituendis liberis tuum a Reginaldo Polo mihi Venetiis redditum legi magna cum voluptate . Cognovi enim te in eo perſcribendo ſane omnia præſtitiſſe ſummi , & Doctoris , & Oratoris,& Philoſophi hominis officia atque partes . Nam & in tenuibus præceptis , ut ſunt multa ætatis primæ tempora conſentanea , amabilitatem , & in puerilibus diligentiam ; in reliquis cùm doctrinam , tùm dignitatem ita tuis ſcriptis aſperſiſti , eaſque virtutes omnibus artis & ingenii coloribus atque luminibus perpolitas reddidiſti ; nihil ut illis fieri poſſit ſplendidius , probatius , conſideratius . Multa tu quidem de Græcis ſcriptoribus ſumpſiſti quæ percommode in tuum migraverunt : ſed ea omnia tanto intervallo feciſti meliora; ut jam non minus tua eſſe , quam illorum videantur . De latinis perpacua . Neque enim erat præclarum quippiam fere quod ſumeres , præter illa Te-

1 lib. IX. 6. 2 lib. 2. ep. 6. 3 lib. 3. ep. 27. Bemb.

Terentiana, de quibus quidem aptiſſime meminiſti. Nam Petrum Paulum Vergerium, qui eadem prope qua tu de re librum conſcripſit, poſthac qui legat neminem futurum eſſe arbitror. Eſt enim nullo ordine, nulla propoſitione, nullis partibus, doctrina non multa, eloquentia quam illa ætas tulit. Tuus vero ordo, tua rerum, quibus de rebus dicendum erat, capita, tum eorum partes, ac ſuo facta loco repetitio, quam prudenter, quam docte ſingula? quanta monitorum & ſententiarum, quanta orationis cum dignitate? Quam multa denique in humili ac prope jejuno ſcriptionis argumento atque perſona copioſe, ſubtiliterque tractas, eaque complecteris, quæ maximam ſecum afferunt cùm ubertatem & varietatem, tùm vero etiam atque in primis quidem gravitatem atque conſtantiam. Quid etiam perpetua tua illa & continens in Paulo fratris tui filio, tecumque illius colloquutio, quam appoſita, quam ſuavis? Itaque gratulor lucubratiunculæ iſti tuæ; ſic enim malo dicere quam labori. Scio enim quam facile, quamque celeriter ſoleas conſcribere. Sed tamen, quam nullus aliorum hominum in ſcribendo, vel labor, vel mora conſequi & æquare poſſit. Eòque magis etiam gratulor, quod quemadmodum ipſe tuo in libro ſuaviſſime ſcripſiſti, non ſine Deorum immortalium fortaſſe numine, hunc te librum ante Hortenſium confeciſſe; erit hoc illius ædificationis quoddam quaſi atriolum, in quo ſe apparent

[1]i qui ad intimos Philoſophiæ thalamos atque adyta erunt admittendi ..... Sed de tuo libro finem faciam ſcribendi ſi unum prius addidero, me cùm ſingulæ ejus partes libentiſſime tenuerunt; valde enim mihi probabantur; tùm vero ſum proemio illo tuo, librique ad Bellajum miſſione incredibiliter delectatus: eſt enim rei toti ita conjuncta, ita decens, ita verbis illuſtribus declarata; ita etiam, quod caput eſt, & prudens & gravis, ut omnino nihil ſupra &c.

Avebat ſane vir cùm doctus tùm etiam ſanctus & Catholicæ religionis ſtudio flagrans, ſacris ſe litteris ac diſciplinis totum dare; præſertim vero divinis libris cognoſcendis atque explicandis. Quare Hieronymo Nigro [1], Ego perfecto Hortenſio, in quo quidem nunc elaboro, ſi tamen, ut perficiam magnitudo rei patietur, totum me daturus ſum ad ſacras litteras, in quibus & animi noſtri voluptas plenior multo eſt & ceteris utilitas paratior. *Idem Bembo* [2]; In hæc totus immineo, perfectoque Hortenſio quem habeo nunc in manibus, etſi negotii ejus magnitudo pene ut deſperem facit (eſt enim res prorſus maximi operis) ſed tamen eo, aut perfecto, aut abjecto, non facile aliud agere me, neque alibi uſpiam quam in ſacris litteris verſare cognoſces. *Hæc Anno* MDXXXI. *Antea etiam quo tempore Clementis VII. nomine litteris conſcribendis operam navabat, interpretationem ſcripſit ſive enarrationem Pſalmi* L. *Eſt in Bibliotheca Barberina*

1 ep. 8. lib. VIII. 2 lib. II. ep. 3.

na liber in 4. *hoc titulo*; Jacobi Sadoleti Epiſcopi Carpenctoractis Interpretatio in pſalmum Miſerere mei D. S. m. m. t. *ad calcem vero*. Romæ in ædibus Franciſci Salvi Anno MDXXV. *cujus libri aliæ ſunt poſteriores editiones, qualis ea quam Bibliotheca noſtra ſervat*. Apud Seb. Gryph. Lugduni MDXXXIII. *item ibidem alia Gryphii ejuſdem, quæ annum præfert* MDXXXVII. *Cogitaſſe Eraſmum hanc Pſ.* L. *interpretationem in Germania excudere, ipſemet narrat, ſcribens Sadoleto poſtridie Kal. Iul.* MDXXV.[1] *& mirifice eam laudans. Ubi enim nondum eam perlegiſſe dixit, ſed deguſtaſſe, ſubdit*; Primo ſtatim guſtu mire me cœpit candor ac facilitas, ſimplicitaſque dictionis cum ſumma pietate conjuncta. Nihil abs te prætermiſſum, quod ad eruendos explanandoſque Prophetæ ſenſus pertinet; qui Græcos etiam nonnunquam conſulis, interim & Hebræos. Si tales libellos nobis ſubinde mittat Roma, confido futurum, ut plerique mortales aliquanto melius ſentiant de veſtra Urbe, in qua perſpiciant eſſe viros, qui libros arcanos non eloquenter ſolum, verum etiam ſancte pieque tractare norint.... Geſtio libellum hic typographis excudendum committere, quò latius per orbem ſparſus plures accendat ad ſtudium pietatis. Sed ſcrupulum injicit libello annexa excommunicatio, quam arbitror tamen nihil aliud ſentire, quam ut Salvus iſthic a damno vindicetur. *Eadem inſcribitur Matthæo Giberto ob eas cauſas, quas in proemio aperit:*

[1] lib. XIX. ep. 81. edit. Londin. 1642.

ſunt autem præcipua;quod ad Pſalmorum aggrediendam interpretationem Sadoletum incitaverat Gibertus, ipſe vero illius juſto deſiderio & benevolentia adductus exemplum interpretationis edere volebat, ad quod ſuo judicio omnem hujuſmodi interpretationem tractari oportebat; deinde quod eidem Pontifici Maximo ambo operam navarent,cujus mens præcipue ad res ſacras propenſa eſſet.

Hanc Pſ. L. *interpretationem ſecuta eſt alia interpretatio Pſal.* XCIII. *miſſa Friderico Fregoſio Archiepiſcopo Salerni, quem quidem alloquens indicat, ſe eam aggreſſum eſſe poſtquam exſoluto Reip. curis & eis occupationibus, quæ ſe nimium diu in Romana urbe apud ſummos Pontifices diſtrictum tenuerant, aliquando licuit in ocio eſſe, & ſacrarum litterarum omniumque artium optimarum ſtudio ac vera delectatione perfundi. Nimirum eſſe ab eo ſcriptum cum primùm a.* MDXXVII. *Roma digreſſus Carpentoractenſem Eccleſiam ſuam adivit, in epiſtola ad Iacobum Simonetam indicare videtur data* VI.*Kal.Iun.*MDXXIX.*,ubi etiam narrat,ſuſtuliſſe ſe vetus proemium, atque omne argumentum alia quadam ratione explicaviſſe:* Ut primum, *inquit*, litteras tuas legi, ſtatui eſſe nefas non parere ſapientiſſimi atque amiciſſimi hominis auctoritati, vetuſque ſuſtuli proemium, atque omne argumentum alia quadam ratione explicavi. Quod ipſum, librumque totum una inſcripſi, atque miſi homini ſumma virtute ac omni dignitate ornatiſſimo Federico Fregoſio Archiepiſcopo Salerni, quocum magnus mihi uſus & omnium officiorum ſumma neceſſitudo inter-

terce-

tercedit, qui nunc in Italiam proficiſcens Venetiis imprimendum curaturus eſt. *Quod eſſet vetus proemium illud ſuſpicari non poſſumus; quod nunc legitur poſt ſermonem ad Fregoſum, eſt de Epiſcoporum oneribus, eorumque moribus & vita; ubi illa de Clemente VII.* Quin vidimus ipſi Pontificem max. eum qui nunc eſt voluntate & natura eximie propenſum ad publici boni providentiam; cum corrigere mores prolapſos, pacemque referre, & revellere tela e corpore Chriſtianæ Reipublicæ ſummopere conaretur, quæ varia multorum culpa infixa erant; cumque illi plures ex ordine ampliſſimo, & ceteris deinceps ordinibus doctrina prudentiaque inſignes aſſiſterent, nos quoque ipſi tunc adeſſemus, ablatum tamen; hominum pacem aſpernantium tumultu atque turba, ſuorum optimorum conſiliorum exitus nullos reperire potuiſſe. *Quibus quidem verbis ærumnas annorum* MDXXVI. *&* MDXXVII *quaſi digito commoſtrare videtur. Scripta ergo poſt eos annos atque ante a.* MDXXIX., *ut diximus, hæc interpretatio eſt. Et a. quidem* MDXXX. XV *Cal. Aug. Alberto Pio Carporum Principi ſcribens*[1] *hæc habet*; Confeci his menſibus commentarium quemdam in pſal. XCIII. ſane quam laborioſe; quò enim meum tenuius eſt ingenium, hòc mihi major in ſcribendo cura ac diligentia adhibenda eſt. Sed cum viderer in pſalmo illo multa perſpicere lumina juſtitiæ, & providentiæ ſummi Dei; ætatem au-

1 lib. v. ep. 4.

autem noſtram intuerer, dubitatione credo & quaſi diffidentia rerum divinarum, in tanta & ſcelerum & hæreſum ac propterea etiam calamitatum velut tempeſtate jactari, ſuſcepi negotium, ut quoad poſſem, Deo adjuvante, aliqua de ipſius altiſſimis conſiliis explicarem, quæ & veritas magis hominibus illuceſceret, & qui jam aberraſſent a via recta ad iter, ſi vellent, tutum converterentur. Qui meus labor quid aliis profuturus ſit ignoro; me quidem certe non parum conſolatus eſt, valdeque confirmavit. Tibi vero ipſi, quamquam domi tuæ iſta jam trita ſunt, vel uberiora etiam & præſtantiora multo, quæ tu in tuis habes doctrinæ & ſapientiæ theſauris recondita, tamen unum volumen pro amicitia duxi eſſe mittendum. *Eodem a.* MDXXX. *eamdem interpretationem Eraſmo ſe miſiſſe ſignificat*[1] *ac de eo ut puto etiam narrat ſequenti epiſtola eo anno* MDXXX. *ſcripta, cum de Eraſmi annotationibus in pſalmum ſuum loquitur. Item alibi*[2] *cum in Germania pſalmum ſuum de integro impreſſum ait, atque ab Eraſmo ceteriſque mirifice probatum. Quod verum fuiſſe, Eraſmi epiſtolæ teſtantur*[3]*, ubi etiam Sadoletum vocat* inſigne Præſulum hujus ævi decus; *atque inter multas ejus laudes*; Equidem ſic exiſtimo unicum hoc tuum commentarium ſi quis attente legat ediſcatque, ad omnem vitam recte pieque inſtituendam ſufficere. *Ac eumdem librum, opinor, intelligit*[4] *ſcribens de Bembo & Sadoleto*; utriuſque dotes eximias

1 lib. IV. ep. 1. 2 lib. II. ep. 4. 3 lib. XXV. ep. 11. 4 Lib. XXII. ep. 35.

mias ſemper amavi ; tuas autem non ſolum ex amicorum prædicatione , tuiſque ad nos litteris cognovi , verum etiam ex abſolutiſſimo libello,quem nunc ubique vix credibili ſtudio complectuntur omnes, quibus cordi eſt bonam mentem cum bonis litteris conjungere . *Scripta eſt hæc ep.* MDXXX. *prior illa anno ſuperiori, atque eodem, Hieronymo Nigro* XVI. *Kal. Iunii* MDXXIX. [1] *narrat , pſalmum illum miſiſſe ſe Friderico Fregoſio , qui in Italiam proficiſcens librum imprimendum Venetiis ab Aſulano curaturus ſit ; atque addit quidem , quaſi de eo gloriatus ;* Ego hic habeo cum Muſis rationem , verum divinioribus , jamque commentarium ſcripſi in pſalmum XCIII. quem cum legeris cognoſces , poſſe res ſacras etiam latine ornateque perſcribi ; non quod id a me perfectum ſit , ſed ejus rei certe ſimulacrum quoddam eſt a nobis , & imitatio adumbrata . *Editionem hujus quam vidi (præter eas quæ omnia Sadoleti opera complectuntur) eſt a.* MDXXXIV. *in* 8. Jacobi Sadoleti Epiſcopi Carpenctoractis in pſalmum XCIII. interpretatio. Lugduni apud Seb. Gryphium MDXXXIV. *Aſulani aut aliam antiquiorem quam ipſe indicat non vidi.Le Long memorat editionemLugdunenſ.*MDXXX.*Ex Eraſmo, cui editum Pſalmum miſiſſe Sadoletus videtur, elici poteſt , antiquiſſimam eſſe editionem A.* MDXXIX.

Poſt hanc Pſalmi hujus interpretationem,dediſſe operam explanandæ Pauli epiſtolæ ad Romanos , liquet ex epiſtola Bembi [2] *ſcripta* V. *Idus Aug.* MDXXXII. *in qua ita*

1 Lib. VIII. epiſt. 6. 2 Lib. 3. epiſt. 26.

ita ad eum ſcribit. Amavi te de celeritate ejus ipſius epiſtolæ quam mihi Capellus reddidit manu tua ſcriptam, in quam tamen nihilo tur minus tuorum ſtudiorum rationem conjeciſti, te ſcilicet in Pauli priore declaranda epiſtola occupatum nunc eſſe. *Quamquam vero de eo ſcribendi genere ipſi gratulatur, ſubindicat tamen malle ſe illum aliud ſequi, & Hortenſio, quem dialogum nondum abſolverat, operam dare; in quo quidem ſe a Poli judicio diſſentire epiſtola ſequenti narrat*; Quod reliquum eſt, multa mecum Polus de te; de tuis ſcriptis, quæ habes nunc quidem in manibus; de Hortenſio etiam tuo; de quo, deque Pauli epiſtolis interpretandis cum ſermo eſſet inter nos ut ajebat, inſtitutus; quod tibi ille quærenti in utro potiſſimum ſcriptionis genere tuam tibi operam eſſe ponendam exiſtimaret, in Paulo reſponderit, ſane non probo. Confici enim illum abs te dialogum quam primum tua intereſſe valde puto. *Scripta eſt Epiſtola* VII. *Kalendas Novembris eodem anno. Atque eo pariter Card. Prato* [1]. Ego hoc tempore verſor in opere omnium difficillimo ut D. Pauli epiſtolam interpreter ad Romanos. *Matthæo vero Giberto anno ſuperiore* [2]; Nos hic commentarios in epiſtolam ad Romanos ſcribimus, opuſque difficile & arduum ita tractamus, ut in eo præcipue laboremus, quò extare poſſit tibi, quod jampridem ſumus polliciti, obſcuras ancipiteſque ſententias in ea epiſtola permultas noſtra cura & diligen-

1 Lib. VI. epiſt. 7. 2 Lib. III. epiſt. 9.

ligentia dilucidiores fore . *Addit in epiſtola illa Card. Prato , tres in libros totam diviſam eſſe commentationem , cumque illac iter haberet Franciſcus Card. Turnonius petiiſſe , ut primum librum ubi confeciſſet ad eum mitteret ; id ſe feciſſe , & miſiſſe ipſum volumen omnium doctorum judicio examinandum.* Nam quod ad me attinet , *inquit* , paratus ad utrumque ſum , & probari , & reprehendi : quæ etiam reprehenſio ſi fuerit juſta, mihi futura eſt utilior , quando per illam melior & conſideratior fiam . *Quam vere hoc atque ex animo dixerit , fidem ipſe facit in epiſtola Card. Contareno*[1] *, ſignificans ſe ejus humanitate ita eſſe concluſum , ut neque unde incipiat , neque ubi deſinat ſtatuere ſatis poſſit : atque hanc in eo maxime clariſſimeque extitiſſe , quod ingenue , aperte , ac familiariter quæ in ſcriptis ſuis deſideret expoſuerit . Quo quidem loco multa Sadoletus de Interpretatione illa ſua ; atque accurate Contareno de eo etiam reſpondet , quod ab eo objectum erat , parciorem ſcilicet fuiſſe in præveniente Dei gratia explicanda quam par eſſet . De qua etiam re nonnulla ſcribit Fregoſo & ubertim de Interpretatione hac ſua*[2] *. Atque hanc eamdem notam Sadoleto inuſſere poſtea alii , de qua eum purgare aggreſſus eſt inter ceteros Ludovicus Donius de Atticby*[3]*. Id ipſe quaſi præſagiens ſubindicaſſe videtur in proemio ad Franciſcum Galliæ Regem ; quod quidem proemium in Moguntina editione retentum , neſcio cur in Veronenſi omittere voluerunt . Ceterum hujus*

1 lib. ix. 9. 2 lib. ııI. ep. 5. & 6. 3 Vit. num. 105. &c.

jus Interpretationis duplex editum habeo exemplum ; primum, Jacobi Sadoleti Epiſcopi Carpentoractis in Pauli epiſtolam ad Romanos commentariorum libri tres. *Ad calcem*, Venetiis per Joann. Anto. de Nicolinis de Sabio, ſumptu vero & requiſitione Melchioris Seſſæ. Anno Domini MDXXXVI. menſe Majo *in 8. Alterum, eumdem in prima fronte libri titulum habet ; atque ibidem præterea* ; Ad Lectorem. Exeunt iterum a nobis Lector, Jacobi Sadoleti commentarii multa diligentia ab Auctore nunc demum recogniti, & locis quamplurimis ab eodem tum aucti tum immutati. Tu viri tam integri & religioſi tam ſanctis religioſiſque lucubrationibus fruere, & noſtram tibi deditam operam atque laborem ama. Sebaſtianus Gryphius Germanus excudebat Lugduni Anno MDXXXVI. *Antiquiorem editionem aliam indicat hoc titulo Gryphius, quæ nunc fuerit emendata atque aucta. Idem ex eadem epiſtola Sadoleti Contareno, atque alia quæ eam ſequitur, conſtat. Scribit enim* ; Sed ſi id prætermiſſum eſt, alio loco Deo juvante, ut tu prudentiſſime conſulis, reponetur, vel potius jam ut reponam cogito. Scripſit enim ad me Lugduno Gryphius, ſe librum meum iterum impreſſurum eſſe. *Atque in altera epiſtola* ; Veniamus ad ea quæ rem ipſam continent; in quibus illud primum de commentariis meis, qui quod miſſi aliquanto ante Lugdunum erant, quam inter me & hominem illum res conveniſſet, iccirco non fuerunt correcta omnia loca, quæ ab eo adducta in con-

controverſiam ſunt. Sed quòd tu me admonuiſti, de eo miſſa eſt ad Gryphium additio: & erant alia nonnulla quæ ego mutaveram. *In his locum Eſajæ correxiſſe ſignificat atque alia præterea. Hæc ut dixi A.* MDXXXV. *&* XXXVI. *A.* MDXXXV. XV. *Kal. Sept. ſcribens Sadoleto Eraſmus* [1]. In eamdem (*ait de epiſt. ad RR.*) tres libros edidit hujus ætatis decus Sadoletus, admirabili ſermonis nitore, & copia plane Ciceroniana, nec deeſt affectus Epiſcopo Chriſtiano dignus. *Ergo ante hanc diem editi erant illi libri. Addit Eraſmus, non probatum iri ab omnibus, quod & nunciatum poſtea eſt a Damiano Goes*[2] *qui eos non probarent. Inter hos recenſendus Richardus Simon* [3]. *Ad hanc divinorum librorum interpretationem pertinet explanatio loci cujuſdam Lucæ* de duobus gladiis *inſcripta ipſa quoque Franciſco I. in Veronenſ. edit.* [4] *ex ms. cod. eruta Ambroſianæ Bibliothecæ. Neſcio an hunc quoque in ſacrorum librorum cenſum referendum ſit opuſculum, quod reliquis adnexum eſt in recentioribus editionibus, antiquius vero editum reperi in Barberina Bibliotheca, hoc titulo*; Philoſophicæ conſolationes & meditationes in adverſis Jacobo Sadoleto & Joachimo Camerario Pabepergenſi Auctoribus. Acceſsere & ejuſdem argumenti Jo:Sambuci Medici & Hiſtorici Cæſarei, & Joachimi Joach. f. Camerarii epiſtolæ & carmina, omnia nunc primum in lucem edita, neque

1 lib. XXVII. ep. 38. 2 lib. XXX. ep. 72.
3 Crit. N. T. cap. 38. 4 Tom. 3. pag. 377.

que antehac uſpiam excuſa. Francofurti apud Andream Wechelum MDLXXVII. *in* 8.

Atque hactenus quidem de iis Sadoleti operibus diximus quæ nunc extant & vulgata ſunt; reſtat ut aliquid de iis quoque dicamus, quæ nondum edita ſunt in hominum lucem, aut affecta ipſe necdum abſoluta reliquit. Et primò quidem, in elencho Sadoleti operum præfixo tom. I. *Veron. edit. commemorantur*, Carmina Græca & Latina adhuc inedita, quæ ſervantur in Bibliotheca Regis Galliarum. *Orationem in Iudæos ſcripſiſſe Sadoletum Florebellus teſtatur*; & eam quidem omnium quæ ab eo ſcriptæ ſunt diſertiſſimam. *Scribendæ illius cauſam habes epiſt.* 33. *familiarium quas hic exhibemus. De eadem ipſe Bembo* [1] Credo te memoria tenere confectam a me olim, cum Romæ etiam eſſem, orationem quamdam in Judæos, quam ego cauſam in duas actiones partiri inſtitueram; ſed prior fuit pars tantummodo abſoluta; ſi tamen abſolvere eſt quod parum polite efficias: eam ego nunquam duxi edendam, neque hercule nunc in alia ſum voluntate. *Non hanc, ſed aliam, opinor orationem intelligit eidem Bembo ſcribens* [2]; Me vero in illis cùm valde delectavit judicii tui teſtimonium quod mihi de mea oratiuncula das, plenum, ut ego perſpicio & fidei & amoris, tum vero gravis illa & ſapiens admonitio &c. *Admonuerat enim Sadoletum Bembus, aſperius aliquanto eum invectum in quemdam quem neuter nominat; Sadoletus vero argumentum*

1 lib. II. ep. 3. 2 ep. 5.

tum orationis ſatis explicat cum ſubdit ; Sordes porro & amentia vel feritas potius quædam hominis illius in quem invehebamur , ſuſtinere illiuſmodi orationem videbantur ; præſertim cum tractarem eum locum , nihil magis pernicioſum eſſe Reip. quam Principum avaritiam ; & nimiam pecuniæ coacervandæ cupiditatem . Is autem in quem ſcribebamus infinitis in eo genere ſordibus , non ſolum commaculaſſet famam ſacerdotii , verum omnia omnino non æquitatis modo , verum etiam humanitatis jura conturbaſſet . *Priorem orationem contra Iudæos Sadoletum appellare puto* [1], *Herculi Gonzagæ miſſam ſignificans . Id enim ſe feciſſe teſtatur Bembo ſcribens* [2]. *Deinde* [3] *opus quoddam ſuum nuncupandum Ioanni Salviato ſignificat* ; Quod autem ſcribis gratum tibi a me fieri quod nomen tuum meis ſcriptis concelebrare ſim aggreſſus ; non eſt de eo cur mihi gratiam debeas . . . Nec me tamen oblitum exiſtimes velim ejus orationis , quam habui tecum cum tu apud nos Carpenctoracti eſſes . Non enim ſi in alio argumento nunc verſor , illud propterea abjeci quod tibi oſtenderam me ſuſcepturum eſſe . Sed cum & difficilius illud opus , & longioris multo temporis exiſteret , noſtra autem feſtinatio amoris mei erga te aliquo indicio tibi declarandi moram tantam non ferret , ad id elucubrandum me converti , quod videbatur mature confici poſſe . A quo tamen ipſo & hyemis aſperitate , & tenuitate

T meæ

1 lib. 11. ep. 8. 2 ep. 3. 3 lib. 5. ep. 3.

meæ valetudinis aliquandiu ſum retardatus. Sed repetam curſum, ut opinor; hòcque acrius inſtabo & connitar, quò major mea cupiditas perficiendi facta eſt. *His, quæ* IV. *Kal. April. ſcribit a.* MDXXXVI. *indicari puto librum de Gloria, de quo*[1] *eidem Salviato ep. data* V. *Id. Septembr.* MDXXXIX. Ne me forte putes tui oblitum eſſe, & quoniam de Gloria librum, quem tuo nomine ſcribendum ſuſceperam, non ſum perſecutus... accipe argumentum multo gravius, ut ego arbitror, & utriuſque noſtrum perſonæ accommodatius, quod ego de extructione Catholicæ Eccleſiæ exorſus ſum, tuoque id nomini dicavi, ut quoquomodo poſſem, tuis erga me meritis gratiam aliquam referrem. Hujus ego operis duos jam libros confeci: ſed cum prior liber aliquanto videretur eſſe limatior, non duxi procraſtinandum quin mitterem eum ad te, ut perſpicere primo quoque tempore poſſes Salviate ampliſſime, quam in intimis meis ſenſibus fortiter inhæreres.

De alio opere quod hic appellat De extructione Catholicæ Eccleſiæ *ſuperius locuti ſumus. Sunt alia ejuſdem opera,* De peccato originis, & de Purgatorio. *De utroque hæc ſcribit Card. Gregorio Corteſio*[2]. Cum enim, ut tute ſcis, commentarium quemdam de peccato originis jampridem confeciſſem, hac que maxime re & ratione, facultatem in has regiones revertendi a Summo Pontifice eſſem con-

1 lib. XIV. ep. 4. 2 lib. XV. ep. 4.

conſecutus: quòd me, quoad poſſem, otium & tranquillitatem nactum, litteris & ſcriptis ſanctam Fidem Catholicam, decuſque & auctoritatem Apoſtolicæ Eccleſiæ defenſurum pollicitus eſſem; ſtatui mihi, ut primum huc me retuli, eumdem eſſe librum accuratius retractandum. Quod cum diligentiſſime feciſſem, addidiſſemque non pauca quæ mihi ad rem uberius explicandam idonea viſa ſunt: illum tamquam meæ diligentiæ teſtem Pontifici ipſi Maximo auctori mei otii mittendum putavi, ſcripſique ad ampliſſimum Cardinalem Farneſium, ut cum quibuſdam ex Collegio noſtro, tibique in primis legendum & conſiderandum traderet. Quod factum fuiſſe etſi certi nihildum ſcio, ut confidam tamen adducor. Nunc alterum ὑπόμνημα jam elucubratum, in manibus habeo, nondum illud quidem expolitum, quemadmodum & res ipſa & mea diligentia poſtulat, ſed tamen ejuſmodi ut ex eo quamquam imperfecto intelligi poſſit, quid ego habeam de Purgatorio perſuaſi atque certi: quæ res una omnium maxime, hoc perturbatiſſimo tempore, ab Eccleſiæ, ut ſcis, hoſtibus oppugnatur. In quo ego Catholicæ ſuffragor Eccleſiæ; quod ſane mihi in omnibus meis & curis & actionibus ſemper eſt propoſitum. Eum ego librum ſtatui mittendum ad te eſſe &c. *Scribit hæc Sadoletus* V. *Idus Iun.* MDXLIV. *quibus*[1] *reſpondet Corteſius*; elegantem (*ita enim eum appellat*) *ſe* de purgatorio loco libellum *accepiſſe, cujus*

1 ep. ſeq.

jus maxima apud omnes expectatio jam antea concitata erat, quòd Sadoletus, dum Bononiæ eſſet, de ea re amicis & doctis viris nonnihil ſignificaverat; additque in libri commendationem; Ex eo tamen, quod primis, ut ajunt, labris guſtare licuit, intellexi maxime obſcurum locum, & a nullo antea ſatis diligenter tractatum, & neſcio an omnium qui nunc præcipue in controverſiam venere longe difficillimum, a te & tractari commode & luculentiſſime explicari. *De primo illo libro ſcribit & Iſidoro Clario Sadoletus* XIII *Kal. Febr.* MDXLVI. *narrans, ſe ad eum mittere correctum aliquot in locis, ſimulque ejuſdem de illo judicium exquirit atque aliorum quorumdam, in primiſque Ambroſii Catharini. In eo vero libro & ſuam de Prædeſtinatione ſententiam explicaſſe ibidem affirmat. Equidem ignoro, an hos inter libros recenſendus ſit commentarius de ſacris rebus de quo Bembo ſcribit* [1]. Fredericus Fregoſius his proximis diebus in Italiam profectus eſt, matris etiam ipſe morte evocatus. Ei ego miſi commentarium quemdam, in quo de ſacris agitur rebus Venetiis imprimendum. De quo ſiquid tu audieris (nam non ſum auſus hoc genus ſcriptorum ad tuum judicium deferre, tamquam a lenioribus ſtudiis alienius) peto a te pro noſtra amicitia, ut aliquam curam adhibeas, quò ſine mendis edatur &c. *Ac de eodem* [2]. Commentarium meum plane nolo Venetiis imprimi ab illo ἀρχετύπῳ dumtaxat, qui commutatus fuit pluribus in locis.

1 lib. 2. ep. 1. 2 ep. 2.

cis. Tum Lugduni imprimendum curavimus, cujus mittimus tibi volumen unum, verius aliquantum nos quidem exiſtimantes, non placiturum illum tibi, nec tui fore ſtomachi, nec tam mehercule quod non præclaræ in eo agantur res, ſed quia barbara multa & obſoleta neceſſario aſperſa ſunt; noſti enim morem hujus ſcriptionis. *Verùm omnino cenſeo, hunc eſſe commentarium illum in Pſalm.* XCIII. *quem alibi quoque, ut ſuperius oſtendimus, ſe Fregoſo inſcriptum eidem dediſſe imprimendum Venetiis ſignificat, ac poſtea in eo ſublato veteri proemio aliud effinxiſſe. Addam potius interpretationes duas locorum Evangelii, quas tamen an ſcripſerit incertum mihi eſt; ſcribere cogitaſſe conſtat* [1] *ex epiſt. Fregoſo data Id. Novembr.* MDXXXIII. Scito datum mihi negotium a Pontifice maximo, quem nos visùm & ſalutatùm Maſſiliam acceſſimus, ut totum illum ſermonem interpreter qui eſt a Chriſto habitus cum Nicomedo cap. 3. Jo., ſi rite recordor, in quo de Spiritu ſpirante ubi velit, & quamquam vox ejus audiatur, ignoratur tamen unde veniat; item & alter locus in extremo Evangelio exponendus eſt, qua Chriſtus Magdalenam ipſum agnoſcentem prohibet ab amplexu.

Præter hos quaſi juſtos libros ſive volumina de Theologicis rebus, alia Sadoletus conſcripſit cum in conſilium præcipue adhiberetur. Teſtatur hoc ipſe [2]*. Ambroſio Catharino; ubi de ejuſdem Ambroſii libro* De perfecta

 juſti-

1 ep. 6. lib. III. 2 ep. 13. lib. XIV.

juſtificatione, *& ſcriptis ſuis pagellis quibuſdam*; Cum legiſſem, *ait*, iterum tuum de perfecta juſtificatione librum, atque eodem ferme tempore binæ ad me ab Urbe eſſent allatæ ſchedæ, in quibus erant præſcripta capita, de quibus in conventu Ratiſponenſi inter Theologos noſtros & adverſarios conveniſſe videbatur; facile intellexi tuam ſententiam ab ejuſmodi concordia diſcrepare .... Et ſcripſeram quidem ipſe quoque ad Urbem quod mihi ſentiendum in hac cauſa eſſe videbatur: cujus meæ pagellæ miſiſſem ad te exemplum, ni omnia in tuo libro multo diligentius enodata declarataque reperiſſem.

Hæc de Sadoleti ſcriptis longius perſecuti ſumus primò quidem, ut docti viri induſtria ſtudiumque præſertim Catholicæ Religionis extaret, quem quidem tam multa ſcripſiſſe in maximis occupationibus, & peregrinationibus, addo etiam morbis, omnino mirum videtur. De morbis quibus tentabatur, etſi ſuperius aliquid diximus, ſæpius ipſe in epiſtolis [1]. *Deinde etiam id feci, ut ſi quid uſpiam apud quemquam eorum ſcriptorum lateret, quæ nondum prolata ſunt in lucem, hac veluti commemoratione eorum admonitus, nolit aliquid viri docti ceterorum utilitati invidere. De epiſtolis ejuſdem nihil hic, ubi de ſcriptis agimus, diximus, quod de iis primò, cum ſermonem de Sadoleto ingreſſi ſumus, fuſe diſſeruimus. Tantum hic addimus familiarium epiſtolarum libros* XVI. *atque alio adjecto litterarum ad*

1 ut lib. XIII. 5. 6. &c.

ad Paulum fratris filium, editos fuiſſe a. MDL. *nuncupatoſque ab eodem Paulo Alexandro Cardin. Farneſio: eſt autem titulus operis*; Jacobi Sadoleti Epiſcopi Carpenctoracti Sanctæ Rom. Eccl. Cardinalis Epiſtolarum libri XVI. Ejuſdem ad Paulum Sadoletum epiſtolarum liber unus. Vita ejuſdem Auctoris per Antonium Florebellum. Apud Seb. Gryphium Lugduni MDL. *in* 8. *Eaſdem ſimili forma ab eodem Gryphio editas vidimus a.* MDLIV. *Præterea Coloniæ apud Petrum Cholinum a.* MDCVIII. *Ante has editas, appendiculæ cujuſdem loco* ad Chriſtophori Longolii lucubrationes *editas Lugduni apud Sebaſtianum Gryphium a.* MDXLII. *in* 8. *acceſſerat epiſtolarum Sadoleti ad Longolium liber unus. His libris epiſtolarum* XVI. *acceſſit in Veronenſi editione* XVII. *& epiſtolarum ſcriptarum Italice liber unus; quas quidem epiſtolas antea etiam indicaverat, atque unde petendæ eſſent commoſtraverat Fontaninus in Bibliothecæ Cardin. Imperialis libris recenſendis. Atque ibidem Sadoleti eſſe affirmat opuſculum* De laudibus Italiæ,*quod nomine Gab. Barrii Francicani reperitur* in Theſauro Antiqq. & Hiſtoriarum Italiæ Grævii, & Burmanni [1].

1 tom. 1. part. 1. in Præf. pag. 9.

JACOBI SADOLETI

S. R. E. CARDINALIS

ET EPISCOPI CARPENCTORACTENSIS

EPISTOLÆ

NOMINE LEONIS X., CLEMENTIS VII. ET PAULI III. SCRIPTÆ

ANNO MDXIII.

I. *IOANNI GALEATIO COMITI* [1].

DILECTE Fili. Accepimus a multis id quod nobis gratum vehementer fuit, te ex hac noſtra ad Apoſtolatus apicem aſſumptione ſummum quoddam gaudium & incredibilem cœpiſſe lætitiam; quod quidem nos ita fore ſperavimus. Vel enim noſter erga te, dum in minoribus eſſemus, amor, vel tua perpetua in nos obſervantia dabat nobis tale teſtimonium tuæ voluntatis. Nunc, quan-

1 Reſpondet epiſtolæ quam Galeatius ſcripſerat ipſi Pontifici creato. Hic ille eſſe videtur Jo. Galeatius Corrigii & Caſtellatii Comes, quem Leo litteris datis hoc ipſo anno Maximiliano Mediolanenſi Duci commendat *lib.* III. *ep. Bembi* 25. Joannes alter, ſive Jo. Paulus Galeatius Sfortia a Julio II. de Piſaurenſi urbe exturbatus eſt; in eum, etſi hoc tempore viveret, iſta convenire non poſſunt.

quando in eum honoris gradum divinà providentià ſublati ſumus, ex quo homines de virtute, de Religione, deque nobis benemeritos liberaliter accipere poſſimus; debes exiſtimare, in iis rebus, quæ ad commodum tuum, & honorem pertinebunt omnia nos propenſe & libenter eſſe facturos. Te itaque in Domino hortamur, ut illi agas gratias, qui omnium bonorum auctor, & largitor eſt: ceteris in rebus quæ a nobis erga te, ſalva Romanæ Eccleſiæ Majeſtate, proficiſci poterunt, omnia tibi parata eſſe confidas. Datum Romæ anno primo.

II. *MARCHIONI MONTISFERRATI* [1].

Dilecte Fili. Gratæ litteræ tuæ fuerunt, quæ declararunt tuum gaudium, ſummamque lætitiam, quam ex noſtra ad Apoſtolatus apicem aſſumptione cœpiſti; quæ res tamen nec nova nobis, nec inexpectata fuit. Noſtra enim, dum in minoribus eſſemus, erga Nobilitatem tuam affectio, tuaque in nos obſervantia, hoc nobis de te promittebat, ut quæ ad noſtram dignitatem pertinerent, ea tibi tantæ lætitiæ eſſe exiſtimaremus quantæ alicuique. Quare Nobilitas tua exiſtimet, noſtrum erga te animum talem eſſe, qualem antea ſemper intellexiſti, quæque ad

1 Ejuſdem argumenti eſt hæc epiſtola ac ſuperior; atque hunc quoque Guillelmum Marchionem Montisferrati magnopere Leo diligenterque commendat eidem Maximiliano *lib.* 3. *Bemb. ep.* 3. & *lib.* 6. *ep.* 3. ſignificans, eum eſſe ſibi familiæque ſuæ omni neceſſitudine conjunctiſſimum; quod item ſcribit Raimundo Cardonæ *lib.* 3. *ep.* 4. Eumdem laudat *lib.* 6. 4. & 15. &c.

ad commodum, & dignitatem pertinebunt, omnia nos libenter, & propenſe eſſe facturos. Datum Romæ anno primo.

III. *JOHANNI LASCARI* [1].

Dilecte Fili. Cum hæc ad te ſcribenda mandavimus jam fore exiſtimabamus, ut tu, bona parte itineris confecta, ad nos appropinquares; tamen voluimus has litteras ire tibi quaſi obviam, ſignificantes, te, quod ſcribis gaudere & gratulari vehementer hac amplificatione noſtræ dignitatis, jure ac merito id agere: non enim amiciorem, vel tibi ipſi nominatim, vel iis artibus optimis atque honeſtiſſimis, quibus tu egregie præditus, atque ornatus es; audire potuiſti ſublatum eſſe ad ſummum faſtigium tantæ poteſtatis. Quare, ſi Deus, cui omnia noſtra ſemper accepta tulimus noſtris cogitatis adfuerit, intelligent omnes boni, fortunam atque potentiam bene inſtitutis mentibus rectiſque animis dare facultatem benignitatis potius, quam temeritatis exer-

1 Ejuſdem argumenti eſt, niſi quod & Romam eum arceſſit; hominem *genere apud Græcos admodum illuſtri*, ut idem ſcribit *lib.* XI. *ep.* 3. *Bemb.*, *& doctrinæ optimarumque artium & litterarum præſtantia & agendis rebus experientia, & morum probitate, omniſque vitæ comitate plane inſignem*. Eo homine mire delectatum eſſe Leonem, & hujus etiam patrem Laurentium, conſtat, imo viros alios principes, quorum Legatum ſæpius egit. Multa de eo Jovius *in elog. part.* 2. Aldus Manutius *in epiſt. nuncupat. Rhetorum Græcorum edit. a.* 1508. *&c.* Multum ei Roma & Græcæ litteræ debent, cum nobilibus pueris e Græcia adductis ludum aperuerit in Exquiliis, *ex Jovio*; forte ubi Cardinalis Sedunenſis habitabat, cujus domum Leo Joanni petit ſcribens Cardinalis Procuratori *lib.* XIII. *ep.* 19.

exercendæ. Sed hæc ſperamus nos coram propediem collaturos. Tu ſi valebis, noſque cito inviſes, rem pergratam nobis feceris. Datum Romæ anno primo.

IV. *GEORGIO DUCI SAXONIÆ*[1].

Dilecte Fili. Binas à te litteras quas ad felicis recordationis Julium II. Prædeceſſorem noſtrum Nobilitas tua direxerat, nobis poſt eundem in apice Apoſtolatus, licèt immeritò conſtitutis, reddidit dilectus filius Thomas de Vio Cajetanus Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſter, idemque ſuo ſermone mirifice ſubſecutus eſt humanitatem, & prudentiam litterarum tuarum, necnon animum tuum integrum ac fidelem, perpetuamque in hanc Sedem voluntatem plane expoſuit. Quæ omnia nobis grata admodum fuerunt, atque hòc etiam magis, quòd eadem nomini, & nobilitati tuæ ſint conſentanea. Quanquam enim, & ſplendore Majorum tuorum, & animi virtute, ampliſſimiſque fortunis abun-

1 Reſpondet binis litteris quas Georgius Prædeceſſori ſuo Julio II. ſeripſerat, ne quid in Miſnenſi Eccleſia novatum vellet, & ut Thomam de Vio tunc O. P. Generalem Magiſtrum procuratorem ſuum eſſe ſineret in Concilio Lateranenſi. Hoc poſtremum vix aliunde quam ex hac epiſtola notum. Georgium hunc mire laudat in litteris ad eum datis Sadoletus *lib.* XI. 1. 2. 3. 4., Clemens etiam VII. in litteris apud Raynaldum *ad a.* 1530. *n.* 169. Inimiciſſimum fuiſſe Lutheranis hominibus notum eſt, & teſtatur Georgius Spalatinus in *collect. Script. Germ.* Menckenii *tom.* 2. *col.* 2128. Hujus obitum pariter Sadoletus deplorat in litteris Jo. Cochlæo ſcriptis VII. Id. Jul. 1539. *lib.* XI. *ep.* 8. *&* 9. atque hiſtorici omnes noſtri Surius, Spondanus, Raynaldus &c.

abundes, & polleas, tamen nullam habemus quam tibi juſtiorem, & veriorem tribuamus laudem, quam hanc in ſummum Deum pietatis, & in ſanctam matrem Eccleſiam venerationis. Quare quod alteris litteris ab eodem Prædeceſſore noſtro ſuppliciter poſtulas, ut ne quid novetur quod ad Miſnenſem Eccleſiam pertineat, neve a vetere conſuetudine ejus civitatis, & a jure per Capitulum Antiſtitis eligendi recedatur; præſentique Epiſcopo, ſi contra fas moremque Majorum, ſucceſſorem ſibi a S. Sede coadjutoremque concedi poſtulaverit, ut ne concedatur; Nos hac tota de re te animo ſoluto & pacato eſſe volumus, nihilque omnino à Nobis iniquæ novitatis expectare: quod etſi omnibus in rebus, Deo largiente, obſervaturi ſumus, tamen in hac ipſa cauſa tua quò libentius id agamus, facit perſona tua virtuſque animi tui ſingularis, necnon noſtra erga Nobilitatem tuam paterna affectio, quam tibi omnibus in rebus, quæ ex Deo erunt perpetuam tribuemus. Alteris vero in litteris quod ſcribis, audita fama Concilii Lateranenſis, quamquam tibi nihil nominatim de eo indictum & denuntiatum fuerit, tamen a Congregatione fidelium, & Cœtu eorum Principum, qui de Eccleſiæ unitate recte ſentiunt, abeſſe nolle, teque idcirco, & Procuratorem conſtituere, & litteras mittere obedientiam ac fidelitatem tuam eidem ſacro Concilio indicantes, plane cognoſcimus omni ex parte fidem, & religionem tuam, teque in Do-

mino

mino valde commendamus; nec ſolum egregiam hanc tuam voluntatem, ſed & Procuratorem tuum nobis dilectum Filium Fratrem Thomam ſupradictum, alioquin etiam nobis propter virtutes ſuas, & excellentem litterarum ſcientiam vehementer gratum, litteraſque tuas benevolo animo ſuſcipimus, quas & in proxima ſeſſione, poſtquam pervenerint, ſi Deus permiſerit, legi, divulgarique curabimus, tuamque optimam mentem ſacro Concilio præſente, digna commendatione proſequemur. Te quidem hortari & paterno affectu monere non deſinimus, ut in hac bona voluntate, & erga hanc ſanctam Sedem devotione perſeveres, eaque agas ſemper, & cogites, quæ a tua virtute, tuoque genere, quæque a Dei maximi honore non ſint aliena; a nobis ea ſperes, & expectes, quæ ab indulgentiſſimo Patre ſperare debet is, qui neque iniquum quidpiam petiturus, & omnia honeſta impetraturus eſt. Datum Romæ anno primo.

Sadoletus

V. *SIGISMUNDO REGI POLONIÆ*[1].

CHariſſime in Chriſto Fili noſter. Cum more Majorum noſtrorum, & ſolemni ritu S.R.E. inſtitutum ſit, ut quotannis in ſacratiſſima die Domini-

1 Scripta eſt hæc epiſtola cum ei Leo ſacrum enſem & pileum mitteret. Eidem aliam epiſtolam ſcripſit Leo *lib.* IX. *Bemb.* 3. Uladislaum fratrem Regem Pannoniæ commendans. Sacrum enſem miſit poſtea Leo viris aliis principibus, præſertim quinquennio poſt Maximiliano Imp., narrationemque ejus rei omnem executus eſt Jacobus Manlius, atque ex Manlio recitat Ciacconius in vita Alberti Cardinalis Brandeburgenſis *tom.* 3. *col.* 415.

minici Natalis enſem, & pileum benedictum Romanus Pontifex, cui viſum fuerit ex Chriſtianis Principibus, aliqua tamen præſtanti virtute, aut meritis erga hanc ſanctam Sedem inſignito jubeat deſtinari; eoſque, qui proximis Domini Noſtri Jeſu Chriſti natalitiis conſecrati fuerunt, felicis recordationis Julius II. Prædeceſſor noſter tuæ Serenitati dicaverit, nec tamen miſerit: Nos qui nuper divina providentia ad ſummum Apoſtolatus faſtigium provecti ſumus, ejuſdem Prædeceſſoris noſtri voluntatem, & judicium attendentes, tuamque animi magnitudinem maximis in rebus cognitam intuentes, nullam moram interponendam putavimus, quin ipſos enſem, & pileum tranſmitteremus tibi, vel tamquam præmium tuæ virtutis, vel tamquam teſtimonium noſtræ in te opinionis. Quanquam quidem tuæ res geſtæ, quarum fama per omnes gentes, nationeſque pervagata eſt, eò gloriæ, & celebritatis provectæ ſunt, ut humanis præmiis non apte decorari poſſe videantur, quæ ſunt ſemper in divinis honoribus augendis, fideque, & Religione noſtra propaganda fortiter ſimulque feliciter verſatæ. Sed tamen ſi non tam munus ipſum, quam muneris myſterium interpretari volueris, intelliges profecto nihil eſſe tam amplum a magna virtute expectandum, quod non tibi in eo ipſo dono aut aperte datum aut myſtice ſignificatum ſit. Nos enim qui vicariam Dei poteſtatem in terris obtinemus, pileo te quaſi in partici-

cipa-

cipationem Sacerdotalis dignitatis adſciſcimus, tibique nobiſcum una patronum, ac defenſorem adoptamus: Enſem vero cum porrigimus, ſatis aperte denunciamus, ut eo uti velis, tùm ad propugnationem eorum, qui tibi fide, ac religione, veroque Dei cultu conjuncti ſunt, tùm ad excidionem illorum, qui obſint ipſi ſanctæ Fidei, & omnibus Fidelibus hoſtes inimicique ſunt, ac ſemper fuerunt: ita, quod ad meritum tuæ pietatis pertinet, te in Dei omnipotentis ſinu, ac patrocinio collocamus; quod ad fortitudinis laudem, tibi propugnationem ſanctiſſimæ Fidei committimus: in altero te a Deo, in altero nos a te adjuvari velle ſignificamus, & poſcimus. Sed hujus totius doni atque myſterii vim atque ſententiam ſic pro tua prudentia facile cognoſces. Nos quidem una cum ſupradicto Prædeceſſore noſtro,cur te potiſſimum in hoc munere tradendo ceteris antetulerimus, facilis ad reddendum ratio. Nam ut omittamus nobilitatem generis & ſanguinis, qua tibi pares multi ſæpe extiterunt; ut nihil de regia poteſtate dicamus, quæ fortunæ plerumque eſt, non virtuti debita; illa certe nullis laudibus æquari poſſunt, quæ tu adverſus Scythas Chriſtianæ Fidei hoſtes pro vero Dei honore atque gloria magna præclaraque egiſti, agiſque, ut audimus, prope quotidie; ita aures noſtræ crebris atque inſignibus victoriis tuis jam caluerunt. Ea porro propria ſunt tui; a Deo tamen auctore omnium bonorum ad te profecta, cui tu ſoli, nec ulli præterea

terea debes. Nam, & is fecit ut præclare de eo poſſes promereri, & idem faciet, ut laborum, & periculorum omnium, quæ pro illius nomine defendendo ſubiiſti, ſint tibi, & in cælo, & in terris parata præmia ſempiterna. Nos ad Serenitatem tuam Patris affectu, & nova quadam charitate erga virtutes tuas inflammati, perſcripſimus, ut te in Domino noſtro Jeſu Chriſto hortaremur, nihil deflectere ab inſtituto itinere tantæ virtutis, & pietatis, ſed conſiderare Deum, eaque agere, quæ illi grata, & probata eſſe intelligas. Dilecto quidem filio Paulo electo mandavimus, ei qui ad te enſem, & pileum ſupradictos attulit, ut in eis conſignandis, Miſſa ſolemniter celebrata, plenariam indulgentiam omnibus qui præſentes adfuerint de noſtra, & Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli auctoritate confiſus concedat, & largiatur. Ceteris in rebus, quod ad dignitatem & commodum Majeſtatis tuæ pertinebit, noſtram cum Domino ſanctæ Apoſtolicæ Sedis liberalitatem, & benignitatem tibi paratiſſimam fore prompto animo pollicemur. Datum Romæ anno primo.

Sadoletus

VI. *ROSTANIO CANTELMO* [1].

Dilecte Fili. Non erat dubium nobis, pro priſtina noſtra, dum in minoribus eſſemus, erga virtutes, & nobilitatem tuam dilectione, quin omnino noſtræ dignitatis amplificatio tibi eſſet futura jucundiſſima; ſed tamen hunc animum tuum erga nos, plenum amoris & devotionis dilecti filii Sanctius, & Fabricius Nuncii tui, quos nobis nomine tuo gratulaturos miſiſti, ſuis verbis declaraverunt; quos nos quidem libentiſſime vidimus, grateque ſuſcepimus. Neque enim obliti ſumus, nec vero unquam obliviſcemur, noſtram veterem inter nos benevolentiam, atque adverſis aliquando in rebus maximorum periculorum ſocietatem. Nunc, quando divina providentia, licet immeriti in tanto culmine conſtituti ſumus, potes exiſtimare, quæ ad tuum commodum, laudem, honorem pertinebunt, modo ſi eadem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ honeſta, & utilia ſint, nos tua cauſa libenter propenſeque facturos. Sed noſtrum animum erga te bonamque voluntatem iidem Nuncii ad te referent, qui nobis multa de te retulerunt. Te nos in Domino adhortamur, ut valetudini conſulas, tuamque iſtam ſenectutem diligenter conſerves. Datum Romæ anno primo.

Sadoletus.

VII.

1 Hæc & quæ ſequitur epiſtola reſponſionem continet gratulationi acceptæ de Pontificatu.

VII. *ANTONIO IANUARIO NEAPOLITANO.*

Dilecte Fili . Etſi dubium Nobis non erat, quin hæc noſtra per divinam providentiam, licèt impares eſſemus, ad ſummum culmen Apoſtolatus provectio tibi magnam lætitiam eſſet allatura; tamen jucundum nobis fuit ex tuis litteris agnoſcere, & quamdam in illis quaſi effigiem intueri veteris tuæ erga nos obſervantiæ perpetuique amoris, cujus nos quidem præteritis temporibus non mediocria multis in rebus teſtimonia accepimus. Quapropter, ſi eo animo ſumus, quo debent eſſe ii, qui ad omnem fortunam præſidia in ſe ipſis habuerunt parata, ut profecto eſſe cupimus; potes exiſtimare nos nequaquam oblitos eſſe veterum neceſſitudinum, neque horum hominum, quorum nobis opera, & benevolentia fidelis præſto ſemper fuit. Itaque, quantum cum Domino licebit, neque bonorum virorum vetera erga nos merita immunerata patiemur, neque nova promereri noſtra liberalitate ceſſabimus: tantum omnipotentem Deum deprecamur, ut quemadmodum nobis nihil tale meritis maximum beneficium tantæ poteſtatis præbuit, ita facultatem tribuat ea cogitandi, eaque agendi, quæ ad bonorum virorum utilitatem atque decus cum ipſius honore, & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ dignitate ſint conjuncta. Datum Romæ anno primo.

Sadoletus.

VIII. *MARCHIONI MANTUÆ* [1].

Dilecte Fili. Nihil ad nos novi, atque inexpectati attulit dilectus filius Aloyſius Gonzaga tuæ Nobilitatis Orator, qui ut litteras tuas nobis reddidit, & ipſe dexteritate, & prudentia ſua expreſſit plane nobis effigiem amoris erga nos, ac veteris obſervantiæ tuæ; quantumque ex hac noſtra ad ſummum culmen Apoſtolatus per divinam providentiam aſſumptione, gaudii lætitiæque ſuſcepiſſes, nobis expoſuit: nos vero memores tuorum erga nos officiorum, quæ nobis variis noſtris temporibus multa, & magna præſtitiſti, tuamque mentem paterna benignitate proſequentes, quam ſemper cognovimus huic ſanctæ Sedi Apoſtolicæ devotam, & deditam fuiſſe, tibi his noſtris litteris ſignificavimus, jure te ac merito lætari omni amplificatione noſtra, quæ ad tuum commodum, quantum cum Domino in honorem ſanctæ Sedis Apoſtolicæ poterimus, reditura ſit: teque adhortamur, ut, ſervata tua priſtina erga nos, & S.R.E. volun-

1 Franciſcum II. Gonzagam Mantuæ Marchionem certiorem fecerat Leo, ſe Pontificem creatum *ep. l.* 1. 2 *Bemb.* nunc ejuſdem gratulatoriæ reſpondet. Hic ille eſt Franciſcus, olim a Venetis copiarum dux etſi juvenis conſtitutus, ut Bembus *Hiſt lib.* 2., *Guicciard. l.* 2. eſtque in horum temporum hiſtoria notiſſimus, cui etiam *officium Gonfalonerıatus S. R E.* collatum fuerat litteris Apoſtolicis Julii II. dat. V. Non. Octobr. 1510. *ap. du Mont Corp. diplom. tom.* 4. *part.* 1. *pag.* 131. Eundem *ſigniferum ſuum* vocat Leo *ep.* 15. *libri* 2. *Bemb.* Ad Leonem etiam officii cau a veniſſe Franciſci filium Federicum Gonzagam conſtat ex *ep.* 13. *lib.* 3. *Bemb.* Mortuus Franciſcus a. 1519.

voluntate, ex nobis expectes, quæ juſtus gratuſque Princeps, bene de ſe, & privatim, & publice merito poteſt tribuere. Datum Romæ anno primo.

Sadoletus.

IX. *TROIANO PRINCIPI MELPHIS*[1].

DIlecte Fili. Gratæ Nobis admodum fuerunt litteræ tuæ: nam, & animum amiciſſimum tuum, ſtudioſiſſimumque noſtri, & non mediocrem, quam circa nos ſuſcepiſti, lætitiam nobis ſignificaverunt, quorum utrumque nobis admodum jucundum fuit. Neque enim obliti ſumus quemadmodum nos, dum in minoribus eſſemus, amaveris ſemper, atque obſervaveris; nec vero tibi indubium venire poteſt, te a nobis diligi, & paterna in Domino charitate amari. Illud quidem etiam recordamur, nos in noſtris adverſis fortunis ſocium habuiſſe, non te quidem, ſed effigiem animi atque ingenii tui filium tuum: cujus infeſti, quoad Deo placuit, caſus & eventus noſtri recordatio, ſi non mediocre vinculum eſſe ſolet benevolentiæ conſervandæ, exiſtimare debes, nos & conſuetudine noſtra, & tuis plurimis officiis adductos tibi fore ſemper propitios: quam quidem erga te mentem noſtram, paternamque voluntatem dilectus

 filius

1 Idem argumentum hujus quoque epiſtolæ. Dux Melphitanus copiis præerat Senenſium qui Pontifici hoc tempore adhærebant; de eo Varchi *l. 9. Hiſt. Fl.* Alius ab hoc *Princeps Melphitanus* cujus filiis doctorem volebat Sadoletus Lazarum Bonamicum *ep. nov. edit. Veron. lib.* XVII. *6.*

filius Caracciolus, qui nobis tuo nomine gratulatus eſt, tibi viciſſim referre, & ſignificare poterit. Datum Romæ anno primo.

Sadoletus.

X. *REGI FRANCORUM* [1].

DIlecte Fili. Poſtquam nobis renuntiatum fuit, dilectum filium Bartholomæum de Alviano, quem antea Majeſtas tua ſub diuturna cuſtodia retinuerat, a te propemodum reſtitutum eſſe in libertatem, latioreſque illi, & liberiores fines ad vagandum eſſe conceſſos; quamquam illi forti viro, nobiſque multis rationibus conjuncto, omnia ſemper optavimus, quæ illius commodum honeſtatemque attingerent, tamen in hoc tuo facto, non minus in gerendo modus, quam ipſa res geſta nobis lætitiæ ac jucunditati fuit. Sic enim ad nos fuit allatum; te, cum ultro admonente nemine, illius liberandi mentem induxiſſes, tum addidiſſe, noſtra præſertim cauſa te & ſedulo, & libenter id facere; ut quem nobis gratum eſſe intelligeres omni indignitate cuſtodiæ liberares. Hæc tua ſingularis, & regia liberalitas a nobis intellecta facile declaravit

1 Ludovico gratias agit quod Bartholomæum de Alviano ex arcta cuſtodia, qua detinebatur, eduxerit. Liberatum omnino fuiſſe & Venetorum exercitui deinde præfectum, tradit Nani *lib.* 1. *ad a.* 1513. aliique Venetarum rerum ſcriptores, Guicciardinus *lib.* XI. &c. ejuſque res in bello geſtæ ab iiſdem fuſe narrantur. Objit a. 1515. dum, Bergomo recepto, ad Brixiam recuperandam ſe apparabat.

vit cùm magnitudinem animi tui, tùm erga nos optimam voluntatem; quorum alterum commendatione, atque laude, alterum grata tanti officii memoria proſequimur. Quod ſi ii ſumus, qui quidem eſſe cupimus, ut imitatione Salvatoris noſtri nihil majoris æſtimemus, quam bonam voluntatem, potes exiſtimare, nos tuum hoc non mediocre munus, non ſolum hominis nobis cari, atque grati noſtra cauſa liberati, ſed multo magis animi tui adverſum nos in optimam partem ſpectati & cogniti, pari aliquando munere, cum Dominus dederit, repenſuros. Illud quidem interea Majeſtati tuæ ſignificandum duximus, hoc tuum beneficium in hominem eſſe collatum dignum tua omni humanitate, non modo propter virtutem, & fortitudinem, verum etiam propter fidem atque conſtantiam. Quacumque enim tibi conditione fidem ſuam obſtrinxerit, in ea eum certe confidimus permanſurum eſſe. Datum Romæ anno primo.

Sadoletus.

XI. *LUDOVICO FRANCORUM REGI* [1].

Dilecte Fili. Ex eis litteris, quas Julianus de Medicis noſter ſecundum carnem germanus ab Oratore Florentinorum, qui apud Majeſtatem tuam Legati officio fungitur, ad ſe ſcriptas nobis

miſit,

1 Inducias cum Ferdinando Rege ad annum factas laudat. De his induciis Daniel *Hiſt. Gall. ad a.* 1513. Guicciardinus *lib.* XI. &c.

miſit, intelleximus id, quod nobis maximæ lætitiæ ac jucunditati fuit, inducias inter te, & cariſſimos filios noſtros Ferdinandum Aragoniæ, & Siciliæ Regem Catholicum ad annum factas, in quibus Maſſimilianus electus Romanorum Imperator, & Henricus Angliæ, & Jacobus Scotorum Reges, aliique nonnulli Principes comprehenderentur; pactaque ac capitula, quæ inter vos conveniſſent, ad nos miſſa ſtudioſe legimus. In quibus illud optimum, & ſanctiſſimum exordium (vos ſcilicet idcirco laborare, ut, ad unitatem Chriſtiani nominis conficiendam, ſanguiniſque fidelium nimis diu, ac largiter effuſi rationem habendam, perfidoſque Turcas comprimendos, ut ſepulchrum Domini noſtri Jeſu Chriſti aliquando ex impiis infidelium manibus eripiatur, viam nobis, atque aditum aperiatis) noſtrum animum ita affecit, ut ſublatis continuo in cælum manibus Deo omnipotenti gratias infinitas ageremus, qui diuturnas Chriſtianorum inter ſe diſcordias, & diſſenſiones, in viam aliquando ſperatæ atque exoptatæ pacis perduceret. Itaque in tantam ſpem venimus concordiæ univerſalis conſtituendæ, ut vix gaudii noſtri atque letitiæ modum inveniremus. Nam, ſi, dum in minoribus eſſemus, quantum potuimus ſemper, non ſolum conſilio atque ſententia, ſed votis precibuſque inſtitimus, ut arma inter Fideles Principes ponerentur, adverſus impios ſumerentur; poſtquam illius providentia ſine cujus nutu, ne folium

lium quidem in arbore moveri credimus, in hunc altiſſimum gradum ſumus evecti, quid nos agere, aut quantum hujus rei cauſa laborare oportet, non ſolum noſtro perpetuo judicio ac deſiderio accenſos, ſed etiam Dei ipſius maximo beneficio obligatos. Hanc tamen, ut vere fateamur, ſpem noſtram, lætitiamque conceptam illud imminuit, quod ſequebatur, Majeſtatem eamdem tuam a domeſticis periculis vacuam tandem & liberam, converſuram arma ad Italiam, ſuumque jus, ita enim ſcribitur, in ſuis rebus ablatis bello recuperandis perſecuturam, neque exiſtimaturam in eo, aut cuiquam iniuriam, aut nobis moleſtiam aliquam poſſe inferri. Denique (ea enim aliquantum a ſupradicto capitulorum exordio diſcrepabant) non omnino Majeſtas tua velle arma deponere, ſed potius transferre videbatur, ut cum una ex parte otio, & quieti tuæ proſpexiſſes, libentius in altero bello indulgeres. Sed per ſummi Dei bonitatem, & erga te beneficentiam, qui tibi tantum potentiæ & dignitatis tribuit, ut populo ſuo fideli defendendo, ac conſervando eſſet aptior; confer te parumper in eam curam, & cogitationem, ut intelligas, ſi arma tibi tantopere placeant, longe honoratiorem, & glorioſiorem militiam a te expectari. Nam in rebus quidem Italiæ, ſi quemadmodum credimus, a jure, & æquitate diſcedere non cogitas, quanto facilior ratio atque explicatior ad tuum jus perveniendi, per viam tractatus, & honorificæ compoſitionis

tionis proponitur; in qua nos utilitatem, & commoditatem tuam non modo adjuvare, ſed omni noſtro ſtudio, quantum cum Domino & juſtitia poterimus, procurare ſumus parati: neque id ſolum commodo, ſed honori etiam tuo atque exiſtimationi vehementer conſulere:per vim vero, atque arma rem velle gerere, tumultuſque denuo maximos concitare, non ſolum a Dei voluntate alienum longe eſſe, ſed etiam ab optimi Regis dignitate. Ac nos quidem, quoniam in memoria verſantur ea, quæ tot annos continuos magno cum dolore vidimus, miſera, & calamitoſa detrimenta Italiæ, nihil mirum eſt, ſi & pro paſtorali officio, quod ſuſtinemus, & pro amore patriæ, cui tanquam homines, & non ingrati alumni affecti ſumus, metu impendentium malorum commovemur. Vidimus enim, nec commemorare poſſumus ſine dolore, maximas ſæpe cædes, atque ſtrages Chriſtianorum fieri, virginibuſque, & matronis nefariam vim inferri, urbes non paucas prædæ gladiiſque ſubjici, templa Deo immortali conſecrata ſanguine, & acerbiſſimis rapinis violari; quæ talia, & tam acerba qui perpeſſi ſunt, perpetuum mœrorem; qui vero egerunt, brevem adepti ſunt lætitiam. Atque hæc ſi iterum expectanda, & perpetienda eſſent, quæ armis rurſum commotis, inſtare, & imminere neceſſe eſſet, ſane miſeram, & calamitatibus nimium addictam exiſtimaremus eſſe Italiam, quæ cum propter nobilitatem, & principem inter omnes natio-

nationes Imperii ac veræ Religionis gloriam, immunis omnium malorum eſſe deberet, tantis ultra cladibus, & calamitatibus eſt afflicta, ut nihil addi ad deteriorem conditionem videatur. Quare iis omnibus rebus adducti, & quæ dictat nobiſque inſpirat maximus auctor pacis, & charitatis Deus, tibi quoque perſuadere cupientes, Majeſtatem tuam quanto poſſumus ſtudio, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri adhortamur & enixe oramus, ut ſuum Chriſtianiſſimum nomen cogitet, velitque ſua in Deum pietate, noſtraque erga ipſum benevola & propenſa voluntate, imitari illum ſummum Regem, qui ſe inter cetera nomina pacificum appellari voluit; armiſque omiſſis ſibi periculoſis, Italiæ pernicioſis, legitimam juris, & honeſtiſſimam compoſitionis viam perſequi: in qua nos illi non modo æquitatem noſtram, ſi eam requiſierit, ſed etiam benevolentiam paratam fore promittimus, ut inteſtinis inimicitiis dimiſſis, ea conſilia quæ inchoata ſunt omnino communis concordiæ conciliandæ, ſanctiſſimique in crudeliſſimos Chriſti hoſtes belli ſuſcipiendi ad debitum, & optatum finem perducantur. Quibus noſtris paternis, & amantiſſimis monitis ſi Majeſtas tua animum adhibuerit, cum ceteris quoque Principibus agere non ceſſabimus, ut hujuſmodi optatæ pacis ſocietate, non ſolum Italia, ſed omnes, quæ ubique Crucem Chriſti agnoſcunt gentes nationeſque conjungantur. Datum Romæ anno primo.

Sadoletus. XII.

XII. *REGI CATHOLICO*[1].

Dilecte Fili. Jucundiſſima nos delectatione affecerant tuæ binæ litteræ, quarum una die *6.* Aprilis, altera *26.* ejuſdem menſis die ſcriptæ fuerunt. Pertulerunt enim ad nos tanquam vivam quandam, & loquentem effigiem, cùm maximi, & præſtantiſſimi Regis, tùm nobis amiciſſimi, & in ſanctæ Sedis Apoſtolicæ obſervantia, totiuſque Chriſtianæ Religionis propugnatione cum ſumma virtute gloriaque verſati: quæ omnia non quidem nova nobis, ſed tamen grata, & peroptata acciderunt. Itaque eas libentiſſime legimus, veteremque amorem tuæ erga nos Majeſtatis, cujus jam plurima, & maxima indicia ad nos profecta ſunt, in eis recognovimus; teque abſentem, tanquam præſentem noſtra benevolentia, noſtro animi ſtudio, & paternæ charitatis affectu ſumus amplexi. Memores enim ſumus, quod a tua Majeſtate acceperimus; & quantum tibi debeamus non obliviſcimur. Atque hoc privatum noſtrum officium eſt: publico vero Chriſtianæ Reipublicæ nomine; cui pro boni Paſtoris, & communis omnium Parentis officio magis

1 Officii benevolentiæque plena & redundans epiſtola erga Ferdinandum; ut & 17. *lib.* 1. *Bemb.* Qui ibi *Hieronymus Viccus Regis legatus* appellatur, atque alibi ſæpe in iiſdem Bembi epiſtolis, in his atque aliis deinceps *Hieronymus de Vicht* nominatur, cujus frater Guillelmus Cardinalis creatus a Leone a. 1517. V. Ciacconium de utroque ſcribentem multa *col.* 399. *tom.* 3. Guicciardinum *lib.* XI. &c.

gis affecti eſſe debeamus, quam tibi, habemus profecto neminem. Nunquam enim fruſtra, neque hæc ſancta Sedes, ſuis difficilibus temporibus, auxilium tuum, nec Fides Chriſti univerſa patrocinium requiſivit. Sed hæc clara ſunt, neque teſtimonio egent: quæ vero ad nos ſcribens amantiſſime & ſapientiſſime admones, ſunt penitus infixa in curis, & cogitationibus noſtris; quæ quamquam ſua ſponte placerent, tamen tua auctoritate majorem nobis curam injecerunt: quare omnem noſtram operam, & voluntatem ad illa convertemus. Quod vero ſucceſſus habeamus ſecundos, Deus ille ſcrutator cordium, & ſublimator humilium, qui nos nihil tale meritos, nec opinantes ad ſuum honoris gradum advocavit, efficere pro ſua clementia dignetur: quanto enim minus nos & virtute, & ſapientia valemus, tanto erunt manifeſtiora opera Dei Altiſſimi. Verum hæc, re magis, quam verbis præſtanda ſunt. Illa vero, quæ extra litteras tuas communicavit tuo nomine dilectus Filius Hieronimus de Vicht tuæ Majeſtatis apud nos Orator, ſtudioſe audivimus, planeque intelleximus, tibique viciſſim per eumdem Oratorem tuum, & Nuncium noſtrum nonnulla ſignificanda mandavimus, cui omnem fidem poteris adhibere. Quod reliquum eſt, Majeſtatem tuam certiorem facimus, nos erga te ita affectos eſſe, ut quantum cum Deo nobis licuerit, nihil ſit neque in amore tam magnum, quod

non

non tibi debeamus, debiturique perpetuo ſimus. Datum Romæ anno primo.

Sadoletus.

XIII. *REGI CATHOLICO* [1].

DIlecte Fili. Licet intelligamus ex hoc ſummi Pontificis, & omnium Paſtoris loco, ad quem quamvis immeriti, divina providentia vocati ſumus, patrocinium juſtitiæ & æquitatis nobis ante omnia ſuſcipiendum; tamen libentius id facimus, cum vel eorum hominum quibus prodeſſe cupimus dignitas, vel eorum apud quos auctoritatem noſtram interponimus, nota & multis in rebus ſpectata in hanc ſanctam Apoſtolicam Sedem voluntas, nobis fiduciam dat ipſius obtinendæ æquitatis: quod quidem Nobis nunc accidit, tùm in perſona Ven. fratris noſtri S. Epiſcopi Albanenſis, Cardinalis Arborenſis, Eccleſiæ Burgenſis perpetui Commendatarii, cui hujus Eccleſiæ Burgenſis poſſeſſionem ad hunc illi diem interdictam, & prohibitam tradi, & concedi, poſtulamus; tùm verò in tua, qui nihil quod juſtum æquumque eſſet nobis, & Prædeceſſoribus noſtris negare conſueviſti. Quapropter, ſi hujus ſupradicti Ven. Fratr. Epiſcopi

1 Ut Burgenſis Eccleſiæ poſſeſſionem tradat Arborenſi Cardinali Epiſcopo Albanenſi; nimirum Jacobo Serra, de quo Ciacconius *tom. 3. col. 191.* Quod vero ibi dicitur; Epiſcopum Albanenſem primò, mox Tuſculanum ſub Julio II., denique Prænestinum ſub Leone fuiſſe, emendandum ex hac epiſtola eſſe cenſeo.

pi Albanenſis, & vitæ integritas, & ſacrarum litterarum ſcientia, & in primis ſenectutis veneranda quædam antiquitas, quibus omnibus honorificum S. Romanæ Eccleſiæ membrum exiſtit, nos valde moverunt, ut illius commodi curam cogitationemque ſuſciperemus, Serenitatem tuam paterna affectione requirimus, ut te eadem ipſa moveant, adjuncta præſertim noſtra interceſſione, veliſque homini in extrema ætate conſtituto, meritis, & virtutibus eminenti, antequam ei ex hac vita migrare neceſſe ſit, dare hanc lætitiam ſui optati juris & captæ Burgenſis Eccleſiæ poſſeſſionis: hoc nec juſtius quidquam, nec nobis gratius efficere potes. Datum Romæ anno primo.

Sadoletus

XIV. *VICEREGI NEAPOLITANO* [1].

DIlecte Fili. Dileximus ſemper etiam cum in minoribus eſſemus conſtituti dilectum filium Troilum de Rubeis propter illius quidem erga nos obſervantiam perpetuamque voluntatem, quam omnibus noſtris in rebus promptiſſimam oſtendit; ſed non minus etiam ob multas egregiaſque virtutes: quare quòd altiori in gradu poſiti ſumus, majorem

1 Raimundus Cardona Proregis Neapolitani munere fungebatur hoc tempore, ut vel ex Leonis ejuſdem litteris conſtat a Bembo exaratis *lib.* I. 7. 15. 20. 25. III. 3. 4. 16. *&c.* Troilum de Rubeis ei commendat. Troilo Rubeo Parmenſi epiſtola ſcripta invenitur ejuſdem Leonis nomine a Bembo hoc ipſo anno *lib.* VII. 27.

jorem quoque rationem habere debemus nunc, cum accepimus, quod nobis valde moleſtum fuit, cum quibuſdam tuorum veniſſe graves in controverſias, ita ut periculum ſit, ne tuorum militum conſpiratione, & impetu gravius aliquid in bona, & fortunas antedicti Troili comparetur. Quocirca nos, & homini nobis caro conſulere cupientes, & tui quoque honoris non minus quam illius ſalutis habita ratione, petimus a te, quanto poſſumus ſtudio, ut reſpectu ad nos habito ipſum Troilum noſtra cauſa velis ſalvum atque incolumem eſſe. Quamquam hoc fortaſſe abs te non eſt difficile impetrare: neque enim tibi, & laudi tuæ quicquam aptius quam nobilibus viris favere. Sed illud etiam, quod aliquanto majoris eſt negotii, tamen te facturum confidimus, ut milites tuos a direptione bonorum dicti Troili contineas, neve permittas ejus res atque fortunas prædæ, & rapinæ eſſe: hoc nobis gratius Nobilitas tua facere nihil poteſt. Datum Romæ anno primo.

Sadoletus

XV. *PRO ARCHIDIACONO FLORENTINO* [1].

UNiverſis, & ſingulis, ad quos hæ noſtræ litteræ pervenerint ſalutem. Propter quædam negotia noſtra, ut ea recte & prudenter adminiſtren-

1 Franciſcus Minerbettus Archiepiſcopus Turritanus ex. X. ſive XI. Legatis qui a Republica Florentina ad Clementem VII. ut de Pontificatu gratula-

ſtrentur, deſtinamus dilectum filium Franciſcum Minerbettum Archidiaconum Florentinum Camerarium noſtrum ſecretum, cujus fidei, & dexteritati valde confidimus. Cupientes autem, ut munus, & iter ſibi mandatum commode faciat, reliquos hortamur, & requirimus in Domino, noſtrarum vero provinciarum atque urbium Præſidibus, Præfectis, Gubernatoribus, Magiſtratibuſque mandamus, ut hunc ipſum Franciſcum ita recipiant, atque tractent, ut noſtram in eo gratiam poſſint promereri; eumque & commodis diverſoriis & ducibus, ſi opus fuerit, directoribuſque itinerum, equis etiam commutandis, quò celerius, & melius, ſi ei videbitur, iter ſuum peragat, ſtudeant adjuvare, nullamque ei moram quovis in loco ulla ratione inferant: quod ſub noſtræ indignationis pœna volumus diligenter obſervari. Datum Romæ 1513. anno I.

Leo X. Sadoletus.

XVI. *DVCI SABAVDIÆ*[1].

HOrtamur in Domino Nobilitatem tuam, pro noſtra reverentia, & Apoſtolicæ Sedis honore, ut per te gratiam, ac beneficium,

tularentur miſſi ſunt; atque eorum ipſe primus, ut Varchi *init. lib.* 2. narrat; item ex Legatis IV. ſive V. Alexandro Duci ex *eod. l.* XII. & Ammirato *l.* XXX. Antea cum eſſet Archidiaconus Florentinus idem munus obivit, cum Leo Bononiam ſe conferens Florentiam veniſſet, ex Ammirato *lib.* XX. *ad annum* 1515.

1 Andream commendat neſcio quem, de quo etiam in alia epiſtola egiſſe ſe ſignificat.

quod dicto Andreæ contulimus, illi ſtabile, ac pacificum obveniat; ne lis eidem vel Procuratori ipſius ad capiendam dictæ Præpoſituræ poſſeſſionem interatur, ad eamque pacifice, remotis impedimentis omnibus, obtinendam, tuam & humanitatem, & operam præſidio atque adjumento velis eſſe: in quo faciet nobis Nobilitas tua rem gratiſſimam, & ei obſervantiæ, quam ſemper S.R.E. præſtitiſti maxime convenientem. Datum Romæ 1513 anno I.

Leo X. Sadoletus.

XVII. *PATRIARCHÆ MARONITARUM* [1].

VEner. Frat. Ex litteris dilecti filj Marci de Florentia Ordinis Minorum Obſervantiæ loci S.Salvatoris Siruthi in Syria Guardiani, cognovimus ea, quæ nobis ſummo gaudio, & incredibili lætitia fuerunt, te unum præſidem nationis Maronitarum gentis Chriſtianæ, atque Catholicæ & a vero Dei cultu, quem ſancta Romana ſervat Eccleſia in nullo aberrantis regere eos populos non ſolum prudentia; ſed integritatis, & probitatis, & Religionis exemplo illos ad verum iter ſalutis dirigere, cujus

1 Reſpondet petenti confirmationem dignitatis ſuæ, mirram, & cetera ornamenta. Tempus quo ſcripta eſt epiſtola incertum; nec quis ſit conſtat Marcus ille de Florentia. Nam quem Waddingus nominat *ad a.* 1438. antiquior eſt quam ut hæc in illum convenire poſſint. Notum eſt quod de Maronitis legitur in Concilio Lateranenſi. Epiſtolam aliam Patriarchæ Maronitarum ad Leonem recitat Raynaldus *ad a.* 1514. *n.* 88. Videtur omnia illa hæc epiſtola præceſſiſſe; ideo hic eam collocavimus.

cujus tuæ in Domino Noſtro Jeſu Chriſto rectæ voluntatis magnum indicium habemus, quod tu miſſo ad nos data opera nuncio tuo, nos tanquam Dei Vicarios in terris, Beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſores, in capite univerſalis per totum orbem terrarum Eccleſiæ divina providentia, licet imparibus meritis, conſtitutos, quemadmodum decet, venerari, & debita tuo ac nationis illius nomine obedientia recognoſcere te velle, cupereque a nobis confirmationem hujus dignitatis, in qua nunc es, oſtendis, atque ut ejuſdem Guardiani litteræ ſignificabant, petis, ut tibi mitram & cetera ornamenta elargiamur. Nos Fr. noſt. chariſs. ſimul atque hoc intelleximus, frugemque illam tantam fidelium animarum, quam veteres illi ſanctiſſimi viri, Deo inſpirante, ſeminaverunt, noſtris diebus nos collecturos ſperavimus; ſuſtulimus manus ad cælum, ac pro zelo Fidei, & Dei omnipotentis amore, cujus honorem & gloriam multo vita noſtra cariorem habemus, egimus ipſi Deo, & Domino noſtro Jeſu Chriſto gratias, qui in eiſdem pene locis, in quibus ut nos ſalvos faceret, ipſe nec ſaluti ſuæ, nec corpori pepercit, & ut nos ad æternam vitam vocaret, ipſe temporalem mortem ſuſcepit, non permiſerit penitus ſuum ſanctiſſimum, & glorioſiſſimum nomen aut aboleri omnino, aut perverſa ſuperſtitione coli; ſed te Fr. noſt. populoſque illos, qui te præſidente in Fide Catholica illius nomini deſerviunt voluerit

veræ cognitionis divini nominis in eis ipſis locis eſſe ſucceſſores. Cum igitur inflammati ardore Religionis, & amore erga Fraternitatem tuam; omneſque illos Maronitas populos fideles atque Catholicos in gremium noſtræ paternæ charitatis, ut dilectos filios accipientes, vellemus ac cuperemus non ſolum ea, quæ idem Guardianus ſuo nomine a nobis poſtulat, tradere, & concedere, ſed etiam augere autoritatem, & dignitatem tuam, re in Concilio Ven. noſtr. S. R. E. Cardinalium multum agitata; quoniam hujus ſanctiſſimæ Sedis gravitas ex more Majorum & inſtitutis ſolemnibus, nihil niſi mature & ſummo conſilio agere ſolet, & ne quoque temere prolabatur, multis in tantis rebus decernendis & teſtibus, & rebus, & argumentis niti; tuas autem litteras nullas habebamus, & is homo, quem ad nos miſiſti, licèt & bonus, uti poſſumus judicare, & prudens, tamen unicus, plenam nobis fidem ex inviolabili cerimonia Sedis Apoſtolicæ non faciebat; viſum eſt nobis, & eiſdem Fratribus noſtris remittere eum nuncium ad Fraternitatem tuam, & has litteras noſtras conſcribere, quibus tibi plurimam ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem noſtram impartiamur. Deinde te Frat. noſt. chariſſime de hac mente & optima in Deum voluntate ſummopere commendamus. Poſtremo te in Domino adhortamur, ut rem Spiritu Sancto cooperante bene per te cœptam omni ſtudio perficias, teque ut membrum Dei Ecclesiæ

cleſiæ ſanum, & integrum, capiti, & nobis, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ univerſali adjungas. Et quoniam nos ardemus deſiderio, non ſolum ornandi Fraternitatem tuam eis honorum inſignibus, quæ a nobis petita ſunt, ſed aliquanto majora elargiendi, ut id ſalvo more, & inſtituto Majorum noſtrorum tutius, & uberius faciamus, nos, & litteris authenticis, etiam lingua tua conſcriptis (in hac enim urbe Orbis principe, & omnium doctrinarum ſtudiis florentiſſima multos habemus Arabicarum notarum peritos interpretes) & Nunciis, pleniſſime de tua & nationis illius tuæ ad Catholicos ritus S. R. E. conformatione inſtruas, quibus etiam de rebus omnibus ad ſupradictum Guardianum ſcribimus; is enim, ſi difficilis tibi erit, aut periculoſa tuorum Legatorum miſſio, per Fratres ſuos ad Capitula generalia convenientes nos poterit inſtruere, ad quem Fraternitas tua omnia poterit ſua conſilia, & deſideria tranſmittere. Nos eo animo ſumus, ut ſi Fraternitas tua adhæſerit, ſicut jam cœpit, eis conſiliis, quæ orthodoxæ Fidei congruunt, & ad ſalutem animarum ſunt neceſſaria; omnes Sedi Apoſtolicæ divinitus datos ex Spiritu Sancto theſauros tuis honoribus, & commodis patefacturi ſimus, Deumque oraturi, ut te nobiſcum unà incolumem in ſua ſancta Eccleſia, atque in bono propoſito perſeverantem conſervet. Datum.

Sadoletus.

 XVIII.

ANNO MDXIV.

XVIII. *REGI FRANCORUM*[1].

CUM ſuperioribus diebus, laborante in extremis quondam Petro de Brignac Monaſterii S. Salvatoris de Rotono Ordinis Sancti Benedidicti Redonenſis Diœceſis perpetuo Adminiſtratore, nos dictum Monaſterium noſtræ, & Sedis Apoſtolicæ diſpoſitioni in pectore reſervaviſſemus, ac deinde ipſum, ejuſdem Petri obitu extra Romanam Curiam defuncti vacans, de quo tunc nullus præter nos ullo modo poterat diſponere, dilecto filio Ludovico de Roſſis, noſtro ſecundum carnem conſanguineo, & Camerario Secreto, motu proprio perpetuo commendaviſſemus, exiſtimavimus ſemper noſtram ejuſmodi proviſionem rite, & canonice factam, pro noſtra, & hujus ſanctæ Sedls auctoritate, & reverentia, nullum non modo impedimentum, ſed nec retardationem quidem ullam habituram. Itaque ob hanc cauſam ſcripſimus antea Majeſtati tuæ tùm proviſionis noſtræ proſecutionem, tùm ipſius Ludovici conſanguinei noſtri,

quem

1 Ludovico Regi commendat Ludovicum de Rubeis ut Abbatiam in minori Britannia poſitam adipiſcatur. Ludovicus hic Roſſius, ſive de Rubeis, Leonecto Roſſio & ſorore Leonis natus, ac Leoni eidem cariſſimus Cardinalibus adſcriptus eſt 1. Jul. 1517. Sammartani *tom.* 4. *Gall. Chriſt. pag.* 801. inter Abbates Rottoni *Redon* ordin. S. Benedicti poſt Petrum de Brignac recenſent hunc Ludovicum de Roſſis. In Diœceſi tamen Venetenſi eam Abbatiam collocant. Ejuſdem argumenti eſt epiſtola quæ ſequitur xix.

quem paterno affectu diligimus, commodum commendantes. Nunc autem cum præter noſtram nobis expectationem eveniat, ut ejus Monaſterii poſſeſſio, & fructuum provenientium perceptio ipſi Ludovico adhuc aſſignata, traditaque non fuerit, Majeſtate tua, non uti ſperavimus, & optavimus, favente, ac dilecto filio Guillelmo, Confeſſore, ut intelleximus, tuo, impediente; non poſſumus non aliquantum mirari, præſidium, ac liberalitatem Majeſtatis tuæ, quam nos in maximis rebus promptiſſimam ſperabamus, in his, quæ non ita magna ſunt, nobis eſſe interclusam. Ipſum autem Guillelmum credidiſſemus pro ſui Ordinis profeſſione, & virtutibus aliis, quibus ornatus eſſe dicitur, non iturus obviam noſtris, & Sedis Apoſtolicæ decretis, quibus ipſe melius quam ceteri obtemperare debuit, cum & nos non parvam aliàs ipſius meritorum habituri eſſemus rationem. Hoc autem in negotio, cum & nos alio modo deliberaverimus, & ipſe ex alieno Ordine exiſtat, dolemus noſtram de illo opinionem eſſe aliquantulum labefactatam. Ac ſi nulla inter nos ipſos atque te alia officia ac merita intercederent, tamen erat pietatis, & virtutis tuæ, habere reſpectum ad noſtram, & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ dignitatem auctoritatemque, & quæ per nos decreta fuiſſent inviolata eſſe jubere. Nunc in tanta noſtra conjunctione atque amicitia, nihil minus expectari debuit, quam quicquam nobis a chariſſimo in Chriſto filio noſtro Ludovico Fran-

corum Rege Chriſtianiſſimo eſſe negatum. His de rebus omnibus locuti ſumus largiter cum dilecto filio Joanne de Rupeforti nuncio tuo a nobis ad te redeunte, cui etiam mandamus, ut ad te noſtrum hujus rei deſiderium perferret. Majeſtatem tuam hortamur in Domino, & enixe requirimus, ut hac in re gratificari noſtræ voluntáti ſtudeat; cum, & apud Regem nobis conjunctiſſimum, & pro homine charo, atque grato affine noſtro, de nobis benemerito, optimis ornato partibus, tuæque amplitudinis ſtudioſiſſimo poſtulemus: erit hoc nobis vere gratiſſimum. Datum Romæ 1514. anno ſecundo.

Leo X. Sadol.

XIX. *DUCI ENGOLISMENSI*[1].

CUM ſuperioribus diebus &c. &c. *ut ſupr.* Itaque ob hanc cauſam, & ſcribimus ad chariſſimum Francorum Regem Chriſtianiſſimum, & ad Nobilitatem tuam ſcribendum duximus, te in Domino plurimum hortantes, ut pro noſtra, & hujus ſanctæ Sedis reverentia, & ex pietate ac Religione tua, ex qua valde commendaris, velis adeſſe & favere, ut dictus Ludovicus affinis noſter, quem propter ejus merita paterno affectu diligimus, charumque habemus, remotis omnibus obſtaculis, pro debito juſtitiæ, ejus monaſterii pacificam poſſeſſionem,

1 Franciſco Valeſio qui Galliæ Rex fuit anno inſequenti; dictus autem Dux Valeſius & Comes Engoliſmenſis ab obitu patris ſui Caroli a. 1496.

nem, tua Nobilitate interveniente, conſequatur: quod erit omnino nobis gratiſſimum, noſtraque erga Nobilitatem tuam liberalitate compenſandum Sed de hac re tota cum dilecto filio Joanne de Rupeforti regio apud nos nuncio ſumus locuti, cui mandavimus, ut rediens, tecum noſtrum ejus rei deſiderium communicaret. Ei Nobilitas tua fidem circa hoc adhibebit. Datum Romæ 1514. anno II.

Leo X. Sadolet.

XX. *REGI PORTUGALIÆ* [1].

POſtea quam Serenitas tua, ſuis Legatis, viris lectiſſimis ad nos miſſis, id, quod Regi Chriſtianiſſimo fuit conſentaneum, veram & ſinceram obedientiam Deo optimo maximo, nobiſque Dei in terris vices, licet immeritis, gerentibus, ac Sedi Apoſtolicæ præſtitit; cum munus eorum publice cum magna dignitate actum, habitamque luculentam orationem læti auſcultaviſſemus, & quæ viſa nobis fuerunt ad tuam ſingularem laudem, & commendationem pertinere, reſpondiſſemus; fuimus ab iiſdem Legatis tuis appellati, ut privatim eis copiam, & poteſtatem noſtri faceremus, quod habere ſe dicerent mandata, & munera, de quibus tuo nomine eſſent nobiſcum acturi: quod nos cum

1 Emmanueli Regi gratias agit pro magnificentiſſimis muneribus miſſis. Legati fuere Triſtanus Cugna, Jacobus Pacieccus, Joannes Faria. Hiſtoriam hujuſce rei habes ab Hieronymo Oſorio *de reb. Emman. lib. 9. pag.* 298. *edit. Colon. Allobr.* 1574.

cum illis libenter conceſſimus (anteceſſerat autem rumor , & hominum expectatio non mediocris, propter famam , & nobilitatem eorum muherum , quæ abs te miſſa eſſe dicebantur , quò eſſet tua liberalitas teſtatior) die conſtituta advocavimus nobis Venerandum Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Cœtum univerſum ; magnamque præterea multitudinem & copiam ornatorum ac præſtantium virorum tanti ſpectaculi celebritas concitarat. Itaque conſtituti in Conventu pleno ſummæ dignitatis excepimus adeuntes Legatos tuos, eorumque orationem de tua erga nos benevolentia, de muneribus miſſis, de animo in ſanctam Sedem Apoſtolicam , ac in Dei fidem egregio & præſtanti jucundiſſime accepimus, neque mediocri cum voluptate, munera ipſa aſpeximus, Elephantum unum Indicum incredibili corporis magnitudine, & Pardum unum aliquanto ſpecie ipſa venuſtiorem virgato corpore, & maculis diſtincto : ſed in Elephanto omnium admiratio major, vel propter memoriam antiquitatis, quòd apud veteres hæc bellua Romæ frequens, tanto ſæculorum intervallo, viſa non fuerit, poſtquam videlicet hujus maximæ, & nobiliſſimæ civitatis veteres illæ imperii, & potentiæ opes conciderunt; vel propter docilitatem belluæ atque diſciplinam, ita obtemperantis monitis, & præceptis rectoris ſui, ut fides fieret non falſo fuiſſe a gentilibus noſtris, litteris proditum, eſſe quandam illi belluæ cum genere humano ſocietatem.

tatem. Atque hæc hujuſmodi animantium productio, & nobis jucunditati fuit, & popularem in primis habuit admirationem. Sed cum hoc ſpectaculo tranſacto, in medio eorumdem Fratrum noſtrorum, & in graviſſimorum, atque ornatiſſimorum hominum corona conſediſſemus, explicaverunt eo in loco miniſtri Majeſtatis tuæ veſtem deſtinatam rebus divinis, ac vere tantummodo dignam, quæ in theſauris Dei omnipotentis cenſeatur, cum nemo mortalis tam ſit arrogans, qui ſe tanto illo ornatu dignum putare queat. Sed ejus fulgor ſimul atque, involucris rejectis, ad oculos intuentium eſt oblatus, ſilentium primùm, & tacita admiratio omnes tenuit: neque enim aut oculi ad aſpectum, aut vox ad laudem ſufficere poſſe videbantur; idque non injuria. Erat enim ea ſpecies, ea pulchritudo nobiliſſimi operis, qualem nec vidiſſemus antea unquam, nec videre expectaviſſemus; is ſplendor, qui ex candore, & copia tot gemmarum eſſe debebat; artem autem in eo, & varietatem operum omnes plane confitebantur etiam pretioſiorem eſſe materia, cum diuturnus labor nobilitatem ſummi artificii, ordine, & contextu mirabili margaritarum, antecellere omnibus Indicis, atque Arabicis opibus coegiſſet. Hoc dono conſpecto, in quo, & magnitudo animi tui, qui dedicaſſes, & ſummi Dei, cujus honori dedicaſſes, erga te beneficentia perſpiciebatur; lectæ ſunt litteræ tuæ, ſcriptæ incertùm elegantius, an religioſius; te, quòd primi-

primitiæ omnium rerum Deo dicandæ ſunt, primitias Lybiæ, Mauritaniæ, Æthiopiæ, Arabiæ, Perſidis, atque Indiæ in Dei honorem, nobis ipſius vices ſuſtinentibus dare, ac dedicare. Quorum omnium, & verborum, & operum magnificentia, a tanto & tam illuſtri Rege profecta, inuſitata quidem nobis & mirabilis viſa eſt, animo percurrentibus, quas tu provincias, quas regiones, quas oras tam terreſtres quam maritimas virtute ac victoria; Deo comite, peragraſſes; ut te præſtantiſſimum Regem non ſolum noſtra, ſed etiam antiquitatis memoria præbuiſſes. Sed multo clarior, atque admirabilior viſa eſt in tanto Rege, & optima erga Deum voluntas, & ſumma Religio: animus vero, & benevolentia erga nos, ceterarum rerum omnium nobis accidit jucundiſſima. Quamquam enim maximas, ac præclariſſimas res nobis dono miſiſti, tamen multo habemus gratiorem amorem erga nos tuum, quam cunctarum opum, & divitiarum apparationem. Itaque munera quidem tua, ut nobis chariſſima, in ſacrario noſtri delubri Palatini conſervaturi ſumus, te vero ipſum ac præſtantiſſimas virtutes tuas in corde, atque animo noſtro perpetuo conſervabimus. Utinam quas vellemus gratias tuæ Serenitati agere poſſemus: agimus quidem maximas; ſumuſque, ſi occaſio feret, aliquando relaturi. Sed referet Deus ipſe, qui nec pietatem tuam cæleſtibus ſuis præmiis, quæ maxima ſunt, irremuneratam, nec noſtram cupiditatem refe-

referendæ gratiæ, ut confidimus, irritam eſſe ſinet. Nos quidem, quod noſtræ eſt poteſtatis, & ſingularem benevolentiam tuæ erga nos voluntati perpetuo habituri ſumus, & ſummum honorem virtuti. Datum Romæ die XI. Maji 1514. anno II.

Leo X. Sadol.

XXI. *REGI FRANCORUM*[1].

CHariſs. &c. Cum ad nos allatum ſit, inter ceteros Genuenſes cives, qui Lugduni juſſu Majeſtatis tuæ detenti fuerunt, dilectum quoque filium Jacobum de Saulis, dilecti filii noſtri Bandinelli Cardinalis de Saulis patruelem fuiſſe, ſtatim, & dicti Cardinalis, & ipſius Jacobi cauſa commoti, quos ipſorum merito paterne diligimus, ſuſcepimus curam ſcribendi ad Majeſtatem tuam: & quoniam Jacobi ſalus nobis admodum cordi eſt, te in Domino enixe adhortandi, ut cum nobis perſuadeatur, nullam gravem hujuſmodi detentionis in eo ſubeſſe cauſam, neque ipſe de Majeſtate tua tam male commeritus ſit; velis eum intuitu noſtri, qui hoc abs te ſtudioſe petimus, ut tamen tuæ Majeſtati convenire arbitremur, eſſe clementem adverſus quidem omnes, ſed præſertim eos qui abs te Cives tui creati, & in numero tuorum habiti ſunt, ex quibus eſt omnis

1 Ludovico ſcribit pro Iacobo de Saulis patruele Bendinelli de Saulis Cardinalis, Leonis olim cariſſimi; quam tamen benevolentiam obortæ poſtea graviſſimæ ſuſpiciones extinxerunt, de quibus Guicciardinus *lib.* 13. Iovius, Cabrera, Folieta &c. V. & litteras Bembi *lib.* IV. e. 3.

omnis Saulorum familia, quæ non magis Genuenſis naturaliter, quam tuo beneficio: Gallica facta eſt, & eſt omnis tibi dedita. Denique Majeſtas tua, ſi hunc liberum nobis, & ſalvum condonaverit rem nobis gratiſſimam faciet. Romæ 1514. anno ſecundo.

Leo X. — Sadol.

XXII. *CARDINALI SEDUNENSI*[1].

Dilecte Fili noſter. Amavimus ſemper dilectos Filios Galeatium, & Antonium Mariam eorumque Fratres de Pallavicinis, totamque illam domum & familiam, tum propter ſplendorem generis, hominumque virtutem, quod ipſi inter primos Italiæ ornatiſſimi, ac in rebus gerendis ſtrenui ſemper exiſtimati ſunt; tùm vero quod nos ipſos etiam ante conſtitutos in minoribus, domumque

1 Cardinalis Sedunenſis, cui a Sadoleto atque a Bembo multæ litteræ Leonis nomine ſcriptæ ſunt, eſt Matthæus, ſeu Marcus Schiner, in horum temporum hiſtoria celeberrimus. Nomen in dubio videtur ex Bembi epiſtolis. Nam *lib.* x. *ep.* 17. legitur *Matthæo Cardinali Seduno Helvetio*. Eodem libro *epiſt.* 56. eodem anno ſcripta initium habet hujuſmodi *Ex litteris Marci Cardinalis Seduni* & *libri* x1. *epiſtola* 29. inſcribitur *Marco Cardinali Seduno* uti 35. IX. & 21. V. In aliis prima littera dumtaxat legitur *M.*, unde ambiguitas fortaſſe orta. Ceterum Matthæum eum vocat Iovius in vita Leonis, *Hiſt l.*xv. *&c.* atque alii vulgò. Cardinali ergo Sedunenſi commendat Galeatium, & Antonium M. de Palavicinis, quos laudat, affineſque ſuos dicit. Antonio ſcribit *lib.* II. *epiſt.* 4. *Bemb.* ſuam in eum fratreſque benevolentiam ſignificans, promittenſque honeſtiſſimum in militia locum, quem jam dediſſe, indicat in litteris ad Thomam Campegium, quas Ciacconius etiam recitavit *in Vit. Jo. Baptiſtæ Pallavicini*; extat *&* *l.* IX. *ep.* 5. ad Galeatium vero VII. 15., ad utrumque IX. 11. &c.

que noſtram non mediocri benevolentia ſunt proſequuti . Acceſſit ad illum amorem priſtinum, etiam affinitas nobis cum ipſis Pallavicinis per noſtros conjunctiſſimos contracta , quod vinculum benevolentiæ etiam alienas voluntates conciliare ad conſpirationem amoris atque amicitiæ ſolet, veteres autem amicitias arctiore nodo adſtringere. Quare, ſi hæ cauſæ graves ad illos fovendos, & a nobis noſtra ope, ac patrocinio complectendos tuæ Circumſpectioni [1] videri debent, potes etiam exiſti-

1 *Circum* & *Circumſp.*, nimirum *Circumſpectio circumſpectus*, ſæpe occurrit in his litteris. Eſt honoris titulus hoc tempore. *T. 4. part. 1. diplomat. I. du Mont. pag.* 182. A. S. 1513. *d.* 23. *Mart. ante Paſcha in Bleſis.* ... *Renovatio amicitiæ confœderationis & ligæ perpetuo duratura, facta, inita, & concluſa extitit & eſt inter præfatum Chriſtianiſſimum* Regem *Franciæ &c. & magnificum, & clariſſimum D. Andream Gritti Procuratorem Sancti Marci, & circumſpectum Aloyſium Petri ſecretarium &c.* Thomas de Herrera in Alphabeto Auguſtiniano litteras Leonis profert Cardinali Ægidio, quarum hoc eſt exordium; *Cum nuper apud nos, doctis quibuſdam adſtantibus, ſermo de tua Circumſpectione incidiſſet &c.* Leo Viterbium ſe collaturus a. 1515. epiſtolam ſcripſit ſingulis Cardinalibus abſentibus. Exemplum ejus epiſtolæ, quæ data eſt Cardinali Bononienſi Achilli de Graſſis recitat Raynaldus *ad h. a. n.* 25. in qua hæc habentur. *Nunc autem cum exiſtimaremus ad eorumdem Sedis & Reip. dignitatem magnopere pertinere, ut de tota re ejuſque partibus Circumſpectionem tuam ceteroſque fratres noſtros* S. R. E. *Cardinales quamprimum conſulamus, ut quæ agenda deinceps ſint, communi omnium ſententia diſcutiamus, Circumſpectionem tuam hortamur in Domino &c.* Quamquam Bembus a vocibus omnibus abhorrens, quæ latini ſermonis candorem contaminare videntur, hunc honoris titulum omittat in exemplo ſuo *lib.* XI. *ep.* 7. Aliud exemplum in Sadoleti vita poſuimus Clementis VII. tempore: Leges idem nomen in epiſtola Bernardo Bibienæ Cardinali ap. Raynaldum *ad a.* 1518. *n.* 39. *Cum hodie Circumſpectionem tuam pro ſanctiſſima, & pernoceſſaria contra Chriſti nominis hoſtes expeditionis negotio &c.* Neſcio, an tituli loco vox hæc ſit poſita in epiſt. Gregorii IX. ad Archiep. Brem. & Verd. (*tom.* XI. *p.* 1. *collect. Labb. col.* 350.) *De veſtra igitur circumſpectione plenam in Domino fiduciam obtinentes &c.*

ſtimare, quo animi ſtudio petere a te inſtituerimus, ut illos omnibus eorum in rebus, ac negotiis, quæ non modo commodum illorum, ſed honeſtatem etiam, dignitatemque familiæ attingant, habere velis commendatiſſimos. Quod, ut nobis poſtulantibus ſedulo ac libenter tribuas, confidimus, nos quidem in tua egregia erga nos maximis in rebus perſpecta voluntate meritiſque ſingularibus, quæ tu pro tui animi virtute, atque conſtantia velle augere quotidie debes; ſed tamen arbitramur amplitudini quoque tuæ convenire, habere in fide & clientela tam illuſtrem familiam, quæ quali ſtudio te ſibi propitium, & propugnatorem adoptat, tali animo ſeſe, opus, vires, ornamentaque ſua omnia tam dignitatis quam fortunæ tuis honoribus commodis, temporibus offert, ac pollicetur. Nos quidem qui tuam erga illos inclinatam, & propitiam voluntatem, & ſtudioſe petimus, & concupiſcimus vehementer, affirmamus Circumſpectioni tuæ, te quid in illos ſtudii, operæ, liberalitatisque tuæ contuleris, in hominibus gratiſſimis tibique deditiſſimis poſiturum, futurumque id tibi non modo honori ſed etiam commodo, ac jucunditati; nobis vero rem ita gratam facturum, ut ad multa tua & præclara erga nos officia hoc in primis charum, & jucundum ſimus habituri. Datum Romæ 1514.

Leo X. Sadoletus

XXIII.

XXIII. *MVTINENSIBVS*[1].

DIlecti Filii. Multis nunciantibus, ſed præcipue dilecto filio Fabiano de Lippis Juris utriuſque doctore, Commiſſario noſtro ad nos ſcribente cognovimus; vos ſingulari quodam ſtudio, & amore ſtatus Eccleſiaſtici incitatos egregiam operam navaſſe, ut iſtius noſtræ civitatis nobis chariſſimæ poſſeſſio, quam nonnullorum fraus ac improbitas tergiverſando impediebat, a noſtris facilius acciperetur: quod fuit nobis admodum gratum. Nam cùm civitatem ipſam noſtro, & S. R. E. imperio acceſſiſſe optabile nobis eſt, tùm veſtram tantam hujus rei voluntatem, & ſtudia flagrantia erga dignitatem noſtram proſpexiſſe etiam jucundius. Quamquam quid Sedis Apoſtolicæ cauſa vos ſemper volueritis, nos non latet. Commen-

Y damus

1 Mutinenſes laudat, quod egregiam operam navaverint, ut civitatis poſſeſſio facilius acciperetur a ſuis. Mutinam ergo hoc tempore libentibus civibus in poteſtate Pontificis fuiſſe, ex hac epiſtola apparet. Die 19. Aug. 1510. Julio ſe Mutinenſes tradidiſſe, ſcribit Bembus *Hiſt. Venet. lib.* 10. etſi alii aliter rem narrant. Poſtea tamen hoc eodem anno Mutinam Maximiliano Imperatori ſubjectam fuiſſe, conſtat ex *epiſt. lib.* 11. 29. Leonis prid. Cal Junii ſcripta, necnon anno qui proxime ſecutus eſt, ex *ep. ult. lib.* VIII. data non. Jul. anno ſecundo. Sed eodem anno prid. Id. Novembr. Vito Fruſto Præfecto Mutinæ Leo ſcribit *ep.* 11. *lib.* X. *Et mihi & Maſſimiliano Imp. deſignato fœdus initum eſt, pactique ſumus, ut is Mutinæ oppidi, ejuſque agri jus omne mihi cederet atque remitteret; quemadmodum ex diplomate quod ea de re confectum eſt, poteris cognoſcere .... Quare velim ut Fabiano Lippo familiari meo jus, & poſſeſſionem oppidi Mutinæ cui praes, ejuſque arcis, agri, virorum omnium des, tradaſque liberaliter* „. V. Ammirat. *Hiſtor. Flor. lib.* 29. *ad a.* 1514. Fabianus Lippus idem qui hic *Fabianus de Lippis*.

damus itaque in Domino devotionem veſtram, & hortamur, ut perſeverare in eodem animo ſtudioque velitis, detiſque operam pro veſtra parte, ut iſta civitas a nobis, quemadmodum optamus & cupimus, pacifice, & recte gubernari poſſit: nos enim pro noſtra erga vos paterna charitate ſumus curaturi, ut tam benemeritis de noſtra dignitate civibus, omnia a nobis cum Domino & juſtitia, jucunda, & commoda procedant; quod ita intelligetis, ut vos, nec ſtatus Eccleſiaſtici, nec noſtræ erga vos voluntatis pœniteat. Datum Romæ 1514.

Leo X. Sadol.

XXIV. *IACOBO SABELLO* [1].

DIlecte Fili. Quod, & virtus tua, & genus pollicentur, te in honore ſanctæ Matris Eccleſiæ, ac noſtro, ubi opus fuerit, defendendo egregiam fidem, & fortitudinem præbiturum; idcirco prefecturam equitum ſeptuaginta cum titulis, & præeminentiis dari conſuetis, tenore præſentium concedimus, atque te cum eo ipſo equitum numero ad noſtra, & ejuſdem Eccleſiæ ſtipendia conducimus, cum aliiſque noſtris Præfectis, & Ductoribus equitum annumeramus, te in Domino hortantes, ut fide, & virtute tua promere-

1 Inter hujus temporis nobiles Duces recenſetur V. Ammiratum *lib.* 28. *ad a.* 1504. De eo Varchi *in orat. funebr.* Jo: *Baptiſtæ Sabelli*, quem Jacobus ex Camilla Farneſia ſuſcepit. Huic ergo præfecturam equitum LXX. confert Leo.

mereri ſtudeas, quò noſtra erga te liberalitas his terminis contenta eſſe non poſſit: volumus autem quod hujuſmodi Præfecturæ tuæ tempus a data præſentium inchoare intelligatur. Datum Romæ Julii XI. 1514.

Leo X. Sadoletus.

XXV. *TROILO SABELLO*[1].

Dilecte Fili. Venit ad aures noſtras, te una cum quibuſdam aliis ea agere, & moliri parantem, quæ minime ſunt æqua; ſtatum civitatis Senæ, & dilecti filii Burgeſii Petruccii, ac illius Reipublicæ pacem, & quietem perturbare velle; quod nequaquam credere poſſumus. Hujus enim pravi conſilii nullam videmus eſſe rationem; nec vere quicquam eſt hoc tempore, quod gravius, & moleſtius accidere poſſit. Quamobrem primum quidem optamus falſa eſſe ea quæ ad nos de te ſunt perlata; ſin autem in ea cogitatione, & apparatu verſeris, denunciamus tibi, nos ea acturos per quæ hujus te conſilii pœniteat. Nam cum dictam civi-

1 Ne Senarum civitatem turbet. Harum turbarum auctores *ep. ſequent.* fuiſſe declarat Sabellum ipſum & Laurentium Comitem Petiliani. Troilus Sabelius a. 1503. equitibus Senenſium præfuit, ut Malavolti *part.* 3. *lib.* 6. Lucenſibus deinde militaſſe a. 1506. Ammiratus narrat, poſtea ſub Renzio, ex Guicciardin. *lib.* 13. Conſpiraſſe hos cum exulibus quibuſdam tradit *ep. ſequent.* De turbis his ab exulibus excitatis, Malavolti *ad h. a.* Leo *ep.* 26. 27. 28. *lib.* VIII. in quibus ad eos tumultus compeſcendos Pindarum Santeſium familiarem ſuum miſiſſe ſignificat, vicariumque ſuum eum facere, ſuamque auctoritatem illi attribuere. Notum eſt, mortuo Pandulpho Petruccio, patris auctoritatem in Burgheſium filium translatam.

civitatem , & Burgeſium ipſum in noſtra fide , & cura habeamus , honoris noſtri potius quam alienæ temeritatis ducemus rationem . Te monemus igitur , ſub pœna acris indignationis noſtræ , tibique mandamus , ut hac cura , & apparatione omnino deſiſtas . Datum Romæ 1514.

Leo X. Sadoletus .

XXVI. *LAURENTIO DE MEDICIS* [1]

Dilecte Fili . Moleſte admodum , & graviter ferimus , ſi modo , quod non credimus , vera ſunt quæ nunciantur , dilectos filios Troilum Sabellum , & Ludovicum Comitem Petiliani conſpirantes cum exulibus Senæ , eum qui nunc eſt iſtius Reipublicæ ſtatum velle perturbare . Cum autem Rempublicam illam , & dilectum filium Burgeſium Petruccium in noſtra fide habeamus , exiſtimemuſque, non ſolum honori noſtro conducere, ſed etiam utilitati iſtius Reipublicæ & civitatis Florentinæ nobis patriæ chariſſimæ conferre , habere finitimos amicitia , & benevolentia conjunctos ; idcirco Nobilitatem tuam ſummopere hortamur , ut omni ſtudio , atque opera intervenire velis , quò dilectiſſimi filii Priores libertatis Florentinæ Reipublicæ , ceterique Magiſtratus , quorum hæc cura erit efficere , velint , quò Senenſis civitas & is ſtatus , qui nunc eſt, incolumis & illæſus conſervetur , omnibuſ-

1 Idem argumentum hujus epiſtolæ ac ſuperioris .

nibuſque ſubſidiis etiam militum, & armorum, ſi opus fuerit, defendatur; in quo Nobilitas tua rem faciet ſe dignam, nobiſque admodum gratam. Anno ſec. 1514.

Leo X. Sadoletus.

XXVII. *CARDINALI SANCTÆ SABINÆ* [1].

Dilecte Fili. Dudum cupientes, ut dil. fil. Elzeario Geneſio familiari noſtro, ac capellæ noſtræ Magiſtro, de Canonicatu, & præbenda Eccleſiæ tuæ Bajocenſis providere poſſes, tibi ut de Canonicatu, & præbenda hujuſmodi, quæ tunc poſt unius menſis ſpatium vacare contingeret, juxta illius, olim Pont. fel. rec. Gregorii VIII. Prædeceſſoris noſtri ad tunc Epiſcopum Novionenſem directæ, quæ incipit, *Mandatum* & aliarum duarum illam immediate ſequentium Decretalium formas provideres, per alias noſtras litteras mandavimus, prout in illis plenius continetur; cumque poſtea non abſque admiratione acceperimus nonnullos Canonicatus, & præbendas Eccleſiæ tuæ vacaſſe, quæ præfato Elzeario juxta tenorem earum litterarum conferre non curaſti; hortamur te, ut intuitu noſtro, qui præfatum Elzearium, propter ipſius virtutes, & nobis aſſidue impenſa ſervitia non mediocri proſequimur amore, de Canoni-

 catu

1 Renato ſeu Reginaldo de Prie Bajocenſi Epiſcopo ſcribit ut Elzearius Geneſius Eccleſiæ Bajocenſis Canonicatum adipiſcatur.

catu & præbenda hujuſmodi providere cures: quod erit nobis gratiſſimum, & majori erga te, cum occaſio fuerit, liberalitate compenſandum. 1514.

Sadoletus.

XXVIII. *EPISCOPO VERULANO* [1].

VEnerabilis Frater. Conceſſimus dilecto filio noſtro de Piſtoris, qui iſtic tecum negotia, & commiſſa gerebat, ut ratione valetudinis, qua affectus eſt, redire ſuo arbitrio poſſet. Cum autem de Fraternitate tua eamdem, quam prius, fiduciam in Domino habeamus; volumus, ut tu optimo animo, & alacri ſtudio noſtras & hujus ſanctæ Sedis apud dilectos filios Helvetios res gerere, & tractare non deſiſtas, in omnibuſque dilecto filio noſtro Julio Cardinali de Medicis, & dilectis item filiis noſtris ſecundum carnem fratribus, eorumque litteris, & informationibus obedias, & quæ ipſi tibi denunciabunt exequaris, dareque perſeveres diligentem operam, ut dicti Helvetii noſtram erga eos optimam voluntatem, & paternam dilectionem in dies cognoſcant. Datum Romæ 1514.

Leo X. Sadoletus.

XXIX.

1 Ennio Philonardo, ut res cum Helvetiis Eccleſiaſticæ libertatis defenſoribus adminiſtrare pergat: quod munus ipſi demandatum ſcribit idem Leo *ep.* 37. & 38. *lib.* VI. *Bemb. Legatum ſuum* eumdem appellat *lib* VIII. *ep.* 33. Ad eumdem extant & Matthæi Giberti epiſtolæ. A. 1536. Cardinalis creatus a Paulo III. poſtquam hoc eodem munere functus fuerat ſub Clemente VII. V. *epiſtolam hic noſtram* CIV.

XXIX. *LUDOVICO DE FRANCO* [1].

Dilecte Fili. Mirati admodum ſumus, te, qui noſter, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubditus exiſtis, ac dilecto filio nobili viro Franciſco Marchioni Mantuæ deſervis, relicto eo ad cujus latus honeſtius adhærebas, ac nullo reſpectu ad nos & Sedem Apoſtolicam habito, eo animo adveniſſe, ut quietem, ac tranquillitatem civitatis noſtræ

Y 4 Fir-

1 Ne Firmanam urbem perturbet. Magnas hoc anno turbas in Piceno fuiſſe, conſtat ex epiſtola Leonis ejuſdem *Municipio Firmano lib.* ix. 32. Se ſeſcitatus virum doctum de Ludovico Franco, hanc ab eo conjecturam, poſtquam excuſſit omnia patriæ ſuæ monumenta, abſtuli; eſſe nimirum eum quem *Ludovicum Firmanum* Jovius vocat *lib. H.* xv. (*pag.* 305. *edit. Baſ.* 1578.) & brevius poſtea *Firmanum*; alii *Ludovicum de Firmo*, uti hic quoque legendum ſuſpicor: apographum enim noſtrum in nominibus deſcribendis præſertim, mendoſum eſſe experimento didici Fuit hic e familia Guerreria, ſed cui proprium Gonzagæ cognomentum Marchio Mantuæ tradidit; quæ cauſa eſſe potuit, cur ſolo hic proprio & patriæ nomine nuncuparetur. In Epitaphio appoſito eidem, Mantuæ in Eccleſia O. P. legitur; *Vixit a.* 47. *fuit cum Franciſco IV. & cum Federico Gonzaga a.* 34., *ab altero civitate donatus, & qua ampliſſima in ea ſunt, rebus omnibus ornatus, ab utriſque in comitem belli ſuſceptus. Duobus exercitibus præfuit, alteri Reipubl. Venet., alteri S. R. E. & Reip. Florentinæ. Ob. A. S.* 1530. Extat S. C. Firmanorum, *propter adventum magnifici viri D. Ludovici Guerrerii de Gonzaga, Patritii Firmani.* Ex quo conſtat ad conciliandam urbi tranquillitatem accitum, atque inter cetera ſtuduiſſe dicitur, *Illuſtriſſimis Mantuæ Principibus inſerviens Firmanæ civitati gratificari, & in noviſſimis perturbationibus, ac Tyrannorum oppreſſionibus, etiam cum magna impenſa conſulere.. magno Primatum civitatis ac Comitatus conſenſu, qui metu Tyranni exulabant exoratus, in quo cum minus profeciſſet, audita Pontificis mente Leonis X. qui Tyrannum fovebat, in hunc uſque diem juvandæ Patriæ conſilium ſuum diſtulit: nam licèt opprimendorum hoſtium juſta daretur occaſio, quod ſine jactura prædicta fieri non poterat, univerſorum civium ſuorum precibus placuit acquieſcere &c.* Haa viri eruditi conjecturas viſum eſt hoc loco ponere, ut quantum ejus diligentiæ debeam ſignificarem: nomen etiam indicaſſem niſi, quominus id facerem, omnino vetuiſſet.

Firmanæ perturbare coneris : ſi modo ea vera ſunt, quæ nobis de te nunciantur . Quod cum nos permiſſuri nullo modo ſimus , neque velimus pacificum ſtatum illius civitatis turbari , aut carere domo quemquam , & propria ſatisfactione , niſi auctoritas noſtra , & culpa demerentis interceſſerit ; monemus te , ut hoc conſilio , atque hac opera deſiſtas . Quod ſi tibi injuriam aliquam factam , aut te ulla re violatum eſſe putas , ſi nobis ſignificaveris , ea remedia adhibebimus , quæ tibi , & incolumitati tuæ fuerint opportuna : ſin autem ulterius , quod non credimus , tumultus ac turbas concitare proceſſeris , erit nobis neceſſe id agere , quò te hujus temeritatis pœniteat . Datum Romæ 1514.

Leo X. Sadoletus .

XXX. *ORATORI FLORENTINO IN GALLIA* [1].

Dilecte Fili . Quo ſtudio ſcribamus ad chariſſimum Ludovicum Regem Francorum Chriſtianiſſimum , ut Majeſtas ſua favere dilecto Filio noſtro Ludovico Cardinali Sanctorum quatuor , & ejus Procuratori in apprehendenda poſſeſſione Eccleſiæ Venetenſis velit , ex intercluſo noſtrarum litterarum exemplo poteris cognoſcere . Cum autem

[1] Ut Ludovicus Card. tit SS. IV. Coronatorum poſſeſſionem aſſequatur Venet. Eccleſiæ . Quis Ludovicus iſte ſit tit. SS. IV. Coronatorum , non equidem ſcio; ſed vereor ut pro *Ludovico* legendus ſit *Laurentius*. Laurentius Puccius Card. creatus a Leone a. 1513. tituli SS. IV. Coronatorum appellatur ſæpius hoc tempore , & Venetenſem Eccleſiam rexiſſe dicitur a Ciaconio *tom.* 3. *col.* 337. Simile librarii erratum ſuſpicati ſumus ineſſe ep. ſuperiori .

tem ipſum Cardinalem ſingulari noſtra dilectione merito proſequamur, reſque ipſius non ſecus ac noſtras cordi habeamus, devotionem tuam hortamur in Domino, petimuſque inſtanter, ut omni ſtudio, ac diligentia dare operam apud præfatum Regem velis, quò dictus Cardinalis ſui juſti deſiderii compos efficiatur; ſicut ex litterarum noſtrarum ad eum miſſarum copia poteris inſtrui: erit hoc nobis gratiſſimum. Datum Rome 1514.

Leo X. Sadoletus.

XXXI. *EPISCOPO PARISIENSI.*[1]

VEnerabilis Frater. Nota ſunt Fraternitati tuæ virtutes, ac merita dilecti filii noſtri Ludovici Cardinalis Sanctorum quatuor, quibuſque nos illum plurimis, ac juſtiſſimis cauſis adducti impenſius in Domino diligamus. Cum igitur cupiamus eum Eccleſiæ Venetenſi, cui de ipſius perſona per nos fuit proviſum, favente Rege, conſequi liberam, & expeditam poſſeſſionem; Oratoreſque præfati Regis apud nos exiſtentes, Majeſtatem ſuam contentam eſſe, aſſenſumque præſtitiſſe dicant, unum eſt adhuc, quod deeſſe videtur, videlicet, ut Rex ipſe regias ſuas litteras ad Conſiliarios Ducatus Britanniæ mittat, eoſque moneat, ut Procuratori dicti Cardinalis opem, & operam in apre-

1 In idem argumentum. Epiſcopus hic Pariſienſis eſt Stephanus de Poncher; atque hoc tempore regiorum etiam Sigillorum, ut vocant, cuſtos erat.

prehendenda poſſeſſione præbeant opportunam. Cum autem intelligamus quanta ſit authoritas tua apud ipſum Regem, & quantum tu ipſius Lud. Card. cauſa, qui Fraternitati tuæ ſtudioſus admodum, & benevolus eſt, debeas, eamdem Fraternitatem tuam hortamur in Domino, ut ſua prudentia, & apud ipſum Regem dexteritate efficere velit, quò & ipſius Ludovici Cardinalis juſto deſiderio, & noſtris interceſſionibus ſatisfiat; quod erit, & Fraternitatis tuæ bonitate, & prudentia dignum, & nobis valde gratum. 1514.

Leo X. Sadoletus.

XXXII. *IMPERATORI*[1].

CHariſs. &c. Majeſtatis tuæ litteræ ſcriptæ humaniſſime, quibus dilectos filios nobis ſecundum carnem affines, fratres Malaſpinæ per te reſtitutos in fraternum & familiare feudum, ac, quod potius multo eſt, in gratiam tuam, nobis ſignificaſti, gratiſſime nobis fuerunt. Nam cùm eorum commodum, quos charos, & acceptos habemus, tum vero nobis quidem non incognitam, ſed jucundam tamen ſummam, ac ſingularem clementiam Imperatoriæ Majeſtatis tuæ in ſe continebant; ob quam gratias agimus Serenitati tuæ quas poſſumus

1 Maſſimiliano Imp. gratias agit quod Maleſpinis affinibus ſuis feudum reſtituerit. Affines ſuos dicit, quod Ricciarda filia Alberici Maleſpinæ, & Lucretiæ Eſtenſis Laurentio Cybo nupſerit, filio Magdalenæ Mediceæ ſororis Leonis.

mus magnas. Etſi enim gratum nobis admodum eſt, noſtros affines, & domeſticam utilitatem, & Principis ſui obtinere benevolentiam; tamen quia ita aperte prætefers, id te dare illorum quidem fidelitati & virtuti, ſed etiam magis auctoritati & intercesſioni noſtræ; videtur nobis hoc beneficium directe abs te erga noſmetipſos proficiſci. Quare illi quidem tuo nomini, & imperio devoti ſemper futuri ſunt; habent enim cauſas, & plurimas, & maximas: ſed quod ad nos pertinet, quibus Majeſtas tua etiam eos, qui ſeſe rei Eccleſiaſticæ dediderunt, affines noſtros commendat; nos ad eam voluntatem, quam erga ipſos habemus, dabimus operam, ut Majeſtatis tuæ commendatio magnum momentum attuliſſe videatur; quod data opportunitate cognoſcent. Datum Romæ x. Septembris 1514. Anno II.

Leo X. Sadol.

XXXIII. *REGI SCOTIÆ*[1].

CHariſſime in Chriſto Fili noſter. Ex litteris tuis quinta Octobris datis cognovimus, Celſitudinem tuam de ſuorum omnium Procerum conſenſu ad regni regimen evectam & in ſolio regali ſtabili-

1 Gratulatoria Jacobo V. quod Procerum ſuorum conſenſu Rex fuerit ſalutatus: Accidit id, patre Jacobo IV. in prælio cæſo ſub Autumnum a. 1513. Hujus necis mentio fit in *ep. Leonis* 19. *lib.* v. data v. Id. Octobr. 1513. In Act. Rymer *vol.* XIII. litteræ ſunt Leonis X. 29. Nov. ſcriptæ quibus Henrico Angliæ Regi annuit ut ſacro in loco Iacobi corpus ſepeliat.

bilitam fuiſſe, accedente ad id quoque chariſs. in Chriſto fil. noſt. Henrici Angliæ Regis Fidei defenſoris avunculi tui auxilio, quem nos ſemper cupidum ſtatus, & amplitudinis tuæ agnovimus; quod nobis auditu perjucundum fuit. Nam cùm tuæ faveamus dignitati, quam juſtam & debitam in te, Majorum quoque tuorum præclaris virtutibus, & erga hanc ſanctam Sedem officiis reſponſuram non dubitamus; tùm gaudemus omni nomine pacis atque concordiæ, cujus fundamenta inter duo iſta regna Angliæ & Scotiæ jam eſſe jacta, & firmata jucundo accepimus nuncio. Utinam ea quoque in univerſa reliqua Chriſtianitate conſtitui, & componi poſſet; in quo nos equidem ita laboramus, ut neque diurnæ quietis partem ullam, neque nocturnæ capiamus. Sed adhuc durioribus animis bellantium, noſtris conſiliis, & paternis monitionibus non eſt obtemperatum: pro quo, ut Deus, & Dominus noſter ſua cæleſti providentia actionibus noſtris tendentibus ad pacem favere dignetur, tuæ quoque Celſitudinis eſt, & orare eum, & orandum ceteris tuis omnibus mandare. De te vero, quanquam exiſtimemus, tua ſponte recte, ac juſte acturum omnia, innixum cùm præſtanti natura tua, tùm ejuſdem avunculi tui Angliæ regis prudentiſſimi conſiliis; tamen noſtrum quoque eſt, monere, atque hortari, ut in hoc regni tui primordio gratus primùm illi ſummo Regi, & regnorum omnium largitori Deo ſtudeas eſſe; deinde te ita temperate

perate geras, ut juſtitiam tuam, necnon in meritos beneficentiam omnes intelligant; pacemque in primis retineas, ſine qua nihil ſtabile & tutum tenere potes. De tuis vero, & Majorum tuorum quæ ad nos perſcribis privilegiis, nihil ſumus, niſi quod erit rectum & debitum, facturi; & cùm in illis conſervandis, tùm in ceteris omnibus, ad ſtatus tui firmitatem pertinentibus ita acturi, ut Celſitudo tua intelligat, curæ nobis eſſe & ſalutem, & dignitatem tuam. Datum Romæ die XXIII. Novembris 1514.

Leo X. Sadoletus.

XXXIV. *IN SCOTIAM.*[1]

CHariſſima in Chriſto filia noſtra, & dilecti filii. Accepimus per manus dilecti filii Thomæ Nudiæ notarii, & Cubicularii noſtri veſtras litteras

1 Reginæ Scotiæ reſpondet petenti ut nominationes regias Leo reciperet; ſignificat autem Eccleſiam S. Andreæ cum commendaſſet pilmo Innocentio Cardinali Ss. Coſmæ & Damiani *nepoti ſuo*, cam poſtea Andreæ Archiepiſcopo Biturlcenſi conceſſiſſe. Is eſt Andreas Forman domo Scotus, Epiſcopus Moravienſis, qui cùm eſſet Regis Scotiæ Legatus Ludovico Gallorum Regi, electus eſt Archiepiſcopus Bituricenſis a. 1513. anno vero elapſo Archiepiſcopatum hunc S. Andreæ obtinuit. *V. Gall. Chriſt. to.* 2. *col.* 94. Innocentius vero ille, eſt Innocentius Cybo, Franciſci Cybo Anguillariæ & Magdalenæ Leonis ſororis filius, quem Leo Cardinalem fecerat die 21. Sept. a. 1513. idque Ferdinando nuncians Hiſpaniæ Regi *ep. Bemb. V.* 7.; *Scies*, inquit, *me ad* XI. *kal. Octobr.*, *fratribus meis E R. Cardinalibus conſentientibus, Laurentium Puccium familiarem meum a dandis litteris, & Julium Medicem Archiepiſcopum Florentiæ deſignatum, patruelem meum, & Bernardum Divitium Bibienam Quaſtorem, atque Innocentium Cybum ſororis* mea

ras XXII. die Junii proxime datas, quibus nobis, & Sedi Apoſtolicæ ſupplicatis, ut, ſervatis Majorum veſtrorum privilegiis (quod felic. memor. Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros feciſſe, & nos pollicitos eſſe, affirmatis) Eccleſiam Sancti Andreæ, ac reliquas deinceps Eccleſias, ex petitione, & poſtulatione veſtra, in perſonas veſtris litteris comprehenſas transferre, & nominationes veſtras admittere vellemus; inque ea re, & veſtræ & totius regni ſaluti commoditatique conſulere. Quibus nos litteris reſpondemus; nos ab initio noſtri Pontificatus, cum eam perſonam a Deo nobis impoſitam ſuſcepiſſemus, ut tanquam communis, & univerſalis omnium fidelium pater curam ſalutis filiorum noſtrorum gereremus, ſpectaſſe ſemper, & cogitaſſe, quonam modo maxime illius regni commodis, & utilitati conſuleremus. Admonebat autem nos, & ad peculiarem quandam, erga veſtram nationem, benevolentiam incitabat virtus, & pietas, & in hanc ſanctiſſimam Sedem Fidemque Chriſti univerſam, claræ memoriæ Jacobi Regis quondam veſtri

mea filium, Innocentii Papa VIII. nepotem, plurimis maximiſque de cauſis in Cardinalium Collegium cooptaviſſe .... De Innocentio autem ſpero fore ut volumus: habet enim egregiam indolem conjunctam cum optimis moribus, quos ornat litterarum & bonarum artium ſtudiis, ut nihil jam ſit adoleſcente illo probius, elegantius, charius. Rexiſſe eum inter ceteras Eccleſias, Eccleſiam S. Andreæ in Scotia, narrat Ciacconius *tom.* 3. *col.* 341. cui adverſari epiſtola hæc videtur, *effectu circa poſſeſſionem non ſecuto.* Regina hæc Scotiæ, eſt Margarita Jacobi IV. uxor, mater Jacobi V. cui (marito in prœlio necato) in regni generali conventu, in quo filius biennis Rex ſalutatus, regnum regendum traditum eſt, una cum duobus regni Proceribus. *V. ep. ſup.*

veſtri voluntas, ac obſervantia, quem & nos vivum patrio amore dileximus, & defunctum ſumus pio dolore, & miſericordia proſecuti. Cum autem is, ſicut Deo placuit, exceſſiſſet rebus humanis, ac mox Eccleſia S. Andreæ vacaviſſet, exiſtimavimus, cum eam dilecto filio noſtro Innocentio Sanctorum Coſmæ & Damiani Diacono Cardinali, noſtro ſecundum carnem nepoti commendaremus, futurum illud vinculum quoddam majoris conjunctionis inter nos, & veſtram nobis dilectam & charam nationem, quo ad majorem erga vos benevolentiam ſuſcipiendam incitaremur; ſicut nos ad vos tum ſcripſiſſe recordari poteſtis. Sed illius proviſionis, & commendationis noſtræ effectu circa poſſeſſionem non ſecuto, cum intelligere nobis videremur, vos malle dictam, & alias iſtius regni Eccleſias veſtræ nationis hominibus conferri, vertimus curam, ut ea in re, & deſiderio veſtro, & honori Sedis Apoſtolicæ conſuleremus, qui bene de ſe meritis, gratam ſe, & beneficam ſolet exhibere; nec diu tamen cogitandum nobis fuit, quin Venerabilem Fratrem Andream Archiepiſcopum tunc Bituricenſem hoc honore dignum ſtatueremus; cum præſertim ad illius dignitatem, & merita, multa accederent extrinſecus adjumenta, quæ nobis id maxime ſuaderent. Nam & quanto amore illum Rex veſter defunctus, ob fidem, & integritatem in eo cognitam, ſemper dilexerit, in memoria habuimus (ejus autem Regis judicium, & voluntas magni

magni a vobis fieri debet) & quia de ejuſdem Andreæ Archiepiſc. prudentia , & virtute conſcii eramus , ſciebamuſque quantum ille pro communi pace , & bono Sedis Apoſtolicæ laboraſſet , aliquam gratiam per nos , & Sedem Apoſtolicam illi debere fatebamur . Tertiò cum hominem veſtræ nationis veſtris Eccleſiis , & Prælatis præficiendum eſſe videremus , non habuimus hominem , qui & ſua virtute potior , & nobis gratior , & veſtro iſti regno , ac nationi utilior eſſe poſſit . Quin pro amore erga vos , & illam patriam noſtro ; ut ad eam longe a nobis ſitam benevolentia , & beneficiis propius accederemus , præter dictam Eccleſiam S. Andreæ , & alia Monaſteria , quæ prefato Archiepiſcopo contulimus , etiam noſtrum de latere Legatum in iſto regno Scotiæ eum creavimus cum iis facultatibus , quas vobis proficuas , & ſalutares fore ob ſpirituales gratias , & emundationes veſtrarum conſcientiarum non dubitamus . Atque hæc omnia egimus de ven. fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſenſu , & conſilio , in quibus ſi ex veſtra natione aliquis promovendus fuit ; hic , præterquamquod veſter eſt , & veſtra ex natione , nobis quoque & Sedi Apoſtolicæ gratiſſimus ſemper fuit . Si fides quæſita eſt , hic ſicut Regi veſtro defuncto uſque ad mortem fideliſſimus extitit , ita vobis ſummam fidem præbiturus eſt ; ſi iſtius regni utilitas ſpectata , habere non poteſtis hominem uſu , & experientia rerum , & gratia , & auctoritate

tate ſua vobis & ibi in regno, & hic in curia ad veſtra commoda procuranda utiliorem. Quare ſi hæ cauſæ & rationes vobis, ut ſunt, etiam juſtæ videntur, & ſi intelligitis in his omnibus perficiendis illius regni honorem, & commodum nobis ante oculos fuiſſe propoſitum, debetis etiam vos, pro veſtra perpetua in ſanctam Sedem Apoſtolicam reverentia, noſtris, & ejuſdem Sedis ſanctis, & bene conſultis deliberationibus acquieſcere. Ac nos quidem, & hoc fecimus, ut dictas Prælatias ab hominibus veſtræ nationis non amoveremus, & in futurum, ſi veſtram voluntatem ad noſtram in hoc negotio conformabitis, oſtendemus vobis, magnæ curæ eſſe nobis, non ſolum ſervare privilegia veſtra, ſed majoribus in dies donis veſtram nationem honorare. Et hæc quidem tranſlatio, & promotio noſtra præfati Archiepiſcopi ante erat in Conſiſtorio noſtro facta, quam nos veſtras litteras accepimus: ſed etſi integrum nobis fuiſſet, non potuiſſemus melius, & ex judicio noſtro, & ex utilitate veſtra providere; & cum jam res bis mutata ſit, pro honeſtate, & gravitate Sedis Apoſtolicæ, turpis jam eſſet alia permutatio. Itaque in hac ſententia perſiſtimus, ut bene per nos vobis conſultum, voſque gratulari potius ob hanc proviſionem noſtram, quam eam labefactare debere judicemus. Eos autem Prælatos, quos nobis nominatis, homines digniſſimos eſſe arbitramur: ſed, quod nunc non poſſumus, aliis occaſionibus libentiſſime ſumus factu-

ri, ut eos, quibus Dominus dederit, muneribus illuſtremus. Nunc te hortamur chariſſima in Chriſto filia, & devotiones veſtras dilecti filii, in virtute illius ſanctæ obedientiæ quæ cælum credentibus aperit, ut proviſionem Apoſtolicam de perſona præfati Archiepiſcopi factam libenter admittere, & acceptare velitis: in quo & rem Deo acceptam, & nobis gratiſſimam facietis, & magis etiam in poſterum noſtram erga vos paternam & ſingularem benevolentiam cognoſcetis. Sed de his latius ad vos ſupradictus Thomas de mandato noſtro referet, cui fidem indubitatam habebitis. Datum Romæ VIII. Decembris 1514.

Leo X. Sadolet.

ANNO MDXV.

XXXV. *REGI FRANCORUM*[1].

CHariſſime. Etſi obitu claræ memoriæ Ludovici, tui nuper Prædeceſſoris audito, non mediocrem animi dolorem concepimus, quod magnum Regem, & nobis, ac Sedi Apoſtolicæ, præſertim extremis his temporibus, amiciſſimum judicabamus

1 Franciſco Valeſio, qui Ludovico mortuo Kal. Jan. a. 1515. ſucceſſerat, gratulatur Leo de regno; petitque ut aſſentiatur, Julio Medicco fratri patrueli ſuo Eccleſiam Narbonenſem dari. Aſſenſum eſſe Franciſcum, conſtat ex *ep.* 15. & 16. *lib.* x. *Bembi*. Hinc diem correximus adſcriptum tunc epiſtolæ: legebatur enim XI. *Jun.* ſed legendum XXI. *Jan.* facili deſcriptoris errore conſtat; cum illa Bembi data ſit III. *Non. Febr.* A. 1515. *V. tom.* VI. *Gallia Chriſt. col.* 112.

mus amiſiſſe; tamen, cum eſſet ad nos perlatum Majeſtatem tuam continuò, ut quidem decebat, ſumma omnium lætitia, & voluntate ad regale ſolium evectam fuiſſe, nova gratulatione mitigavimus dolorem. Itaque commoti noſtra erga te paterna benevolentia & charitate, quam etiam, cum tu eſſes in minoribus, ſuſceptam, magnis & mutuis inter nos officiis nos aucturos ſperamus, has ad tuam Majeſtatem litteras direximus, nuncias cùm noſtræ ex tua amplitudine ſuſceptæ lætitiæ, tùm ſingularis erga te ſtudii, & amoris. Nos te, chariſſime fili, ſemper judicavimus cùm ceteris virtutibus omnibus, quæ magno Principi conveniant, ornatum, tum præcipua quadam præditum erga ſummum Deum pietate, in illius ſanctam Fidem & Romanam ac univerſalem Eccleſiam religione & obſervantia; cujus quidem rei egregiam aliàs laudem, nunc maximum ab ipſo Deo præmium es conſecutus, cum ejus recens in te tantum beneficium poſſis agnoſcere. Eo enim auctore, & largitore, Reges, & Principes nationum conſtituuntur, quos tam præclaro munere devinctos, ad referendam Deo gratiam, & illius ſanctiſſimam propagandam fidem, omnis & diurna, & nocturna cura debet excitare. Hac igitur de te ſpe, & opinione imbuti, gratias agimus primùm Deo, deinde tuæ Majeſtati gratulamur, omni affectu & amore hanc dignitatem tuam complectentes, quam non ſolum optamus, ſed etiam ſperamus toti Chriſtianæ Reipubli-

cæ fore ſalutarem; nobis vero, qui te in noſtræ viſceribus charitatis gerimus, ac Sedi Apoſtolicæ, quæ in te filio ſuo primogenito acquieſcit, jucundam etiam, & honorificam. Illud certe Majeſtatem tuam pro noſtra affectione paterna breviter admonendam putamus, ut conſideratis ſecum diligentius ſuperiorum temporum, & rerum eventibus, nullam actionem velit putare, niſi quæ cum Deo, ac pietate, & cum Chriſtianæ Fidei commodo conjuncta ſit, dignam Chriſtianiſſimi Regis aut virtute, aut nomine: cum cetera, quæ ab hoc fine, conſilia aberrant, & plena ſemper ſint ingratæ ſollicitudinis, & eventus plerumque non habeant ſecundos. Quamquam hæc tu, Deo inſpirante, tua prudentia diligentius cogitabis. Nôs noſtri erga te amoris fiducia parem nobis tuam voluntatem repromittentes, hac primo in re abs te cupimus nobis ſatisfieri, ut de Eccleſia Narbonenſi (quemadmodum nos deſtinavimus, & ſicut ad claræ memoriæ Prædeceſſorem tuum ſcripſeramus) velit Majeſtas tua libenter aſſentiri, ut dilecto filio noſtro Julio Cardinali de Medicis provideamus; cum præſertim Prædeceſſor tuus recompenſam Eccleſiæ Albienſis ei pollicitus, Vaurenſem obtuliſſet, dictuſque Cardinalis neutram ſit aſſecutus, & utrumque illarum cedere in tuam gratiam ſit paratus. Cujus quidem Cardinalis tùm virtus, & integritas, tùm erga Majeſtatem, & ipſius ſtatum obſervantia, & affectio digna eſt, quæ hanc ſuam erga ſe cognoſcat li-

liberalitatem : nobis quidem, qui eum & pro ſuis ſummis virtutibus, & pro conſanguinitate ipſa vehementer amamus, Majeſtas tua faciet rem gratiſſimam cui perpetuam gratiam debebimus. Die XXI. Jun. MDXV. Anno 2.

XXXVI. *EPISCOPO VESPRIMIENSI Baroni Croatiæ.* [1]

VEnerabilis Frater. Retulit nobis Venerab. Frater Epiſcopus Octocienſis Prælatus noſter domeſticus, Fraternitatem tuam in his periculis, & terroribus, quæ a perfidiſſimis Turcis, & patriæ tuæ, & univerſæ fidei Chriſtianæ imminebant, ea opera geſſiſſe, quæ & perſona tua, & eo ſacerdotii honore, quem geris, fuerunt digniſſima. Sic

 enim

1 Laudatur de his quæ in Hungaria Turcarum terrore perculſa pro rep. Chriſtiana geſſerat: eſt enim Veſprimium Hungariæ inferioris oppidum, ejuſque Epiſcopus ſubeſt Archiepiſcopo Strigonienſi. Baro autem Croatiæ Epiſcopus dicitur qui *Præfectus Croatiæ*, *ep.* 24. *lib.* X. *Bemb.*, ubi & Vincentium Octocienſium Epiſcopum Leo memorat una cum Ghilio Cortonenſi, vocatque *Interpretes & Procuratores ſuos*,, *quos*, inquit, *ad certa Illyrici Croaciæque municipia, ut ſcis, firmanda & munienda, ad Turcarum impetus ſuſtinendos mitto, petente maxime & monente te*,,. In ſequenti epiſtola noſtra Octocienſem Epiſcopum miſſum ſignificat ad pecunias *pro s. Petri fabrica* collectas, comportandas. Extant multæ ad Epiſcopum Veſprimienſem epiſtolæ Bembi *lib.* XI. 27., *lib.* XII. 4. 23. *&c.* Hæ ſcriptæ videntur antequam Roma Leo diſcederet. Dies tamen in apographo noſtro adſcripta eſt *prima Novembris*; cum ex narratione Paris ap. Raynaldum *ad a.* 1515. *n.* 24., & ex litteris datis ad ſingulos Cardinales, quarum exemplum unum ibidem Raynaldus profert, extatque *lib.* XI. *ep.* 9. *Bembi*, colligatur, Viterbii eo die fuiſſe; ac deinde Florentiam, Bononiamque veniſſe, litteræ quæ ſequuntur Bembi indicant, & Scriptores teſtantur. Forte ergo *Novemb.* menſis pro *Septembri* poſitus.

XXXVII. *COMITI IOANNI CORBARIÆ*.[1]

Dilecte Fili. Virtus tua, & animus in iis rebus excelſus & eminens, quæ ad verum honorem & Dei & tuum maxime pertinent, facit, ut te ſingulari in Domino benevolentia,& charitate complectamur. Quare & munera tua ad nos miſſa gratiſſimo animo accepimus, & de iis & tibi, & Deo noſtro omnipotenti gratiam habemus, quam maximam poſſumus. Ac aliorum ſæpe munerum pretia, aurum, & divitiæ faciunt; tua autem munera ob tuam virtutem pretioſiora fuerunt. Gratiam autem aliquam referre volentes, mandavimus Ven. Fratri Epiſcopo Octocienſi Prælato noſtro domeſtico, quem ad pecunias in iis locis ob fabricam B. Petri exactas ad nos comportandas mittimus, ut Nobilitati tuæ ex iis pecuniis DC. Ducatus auri condonaret, ut ea tua caſtra munires, quæ in finibus prope impios hoſtes ſunt poſita: atque etiam, ut de ſpiritualibus donis te honoremus, harum litterarum tenore, & Nobilitati tuæ, & eis omnibus, qui tecum unà contra Turcas arma capient, adverſuſque eos pro fidei tutela belligerabunt, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem, Dei omnipotentis, & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli auctoritate confiſi elargimur. Datum Romæ, *ut ſupra*.

Leo X. Sadol.

1 Ejuſdem ferme argumenti eſt hæc epiſtola ac ſuperior.

XXXVIII. *GUBERNATORI URBIS* [1].

VEnerabil. Frater. Commiſimus ſuperioribus diebus Venerabili Fratri noſtro F. Epiſcopo Tiburtino in alma Urbe noſtra noſtro, & Sedis Apoſtolicæ Legato, ut cum Fraternitate tua ageret, quò in cauſa dilecti filii Laurentii Craſſi Canonici Lateranenſis Venerabilem item Fratrem almæ urbis noſtræ Vicarium adjunctum haberes, ut cum eo pariter procederes: quod factum non eſſe miramur. Quare cum noſtræ conſtantis intentionis ſit, ut ambo ſimul, ac neuter ſeorſum cauſam eam cognoſcatis, mandamus tibi, & expreſſe præcipimus, ut juxta tenorem ſupradictarum litterarum noſtrarum præfato Legato directarum, adjuncto tecum Vicario noſtro, procedas juſque facias, non obſtantibus quibuſcumque. Datum Bononiæ XVIII. Decembris 1515.

Leo X. Sadol.

XXXIX. *CARDINALI EBORACENSI* [2].

DIlecte Fili. Mittimus ad Cir. tuam exemplum litterarum, ad filium Regem chariſſimum, de congreſſu cum chariſſimo in Chriſto filio noſtro Fran-

1 Ut unà cum Epiſcopo Tiburtino Camillo Leonino cauſam expediat Laurentii Craſſi Canonici Lateranenſis.

2 Quid in colloquio cum Franciſco Gallorum Rege egiſſet, cum Leo, ſcriberet Regi Angliæ; exemplum earum litterarum Cardinali Eboracenſi Thomæ

Franciſco Rege Francorum Chriſtianiſſimo per nos habito, deque deliberationibus noſtris ſcriptarum; in quibus, cum magna ſpe nobis oblata ſanctiſſimarum in Turcas expeditionum, ipſius Majeſtatem enixe adhortamur, ut ſuſcipere patrocinium pro parte ſua Chriſtianæ fidei velit; ſicut aliòs nobis beniginiſſime pollicitus eſt. Tuam ergo Circ. in cujus virtute, & erga nos benevolentia magnam ſpem hujus præclariſſimi operis perficiendi locavimus, ſummo ſtudio requirimus, & hortamur, ut, ſi unquam aliàs nobis rem gratiſſimam fecit aut factura eſt, & ſi Dei cauſa, & ſanctæ Matris Eccleſiæ, in qua ipſe tantam dignitatem obtinet, ſibi elaborandum eſſe putat; nunc illius Regis mentem, animum, ſtudium, voluntatem, opeſque, quibus abundat, virtutem, magnitudinem animi, qua ſumma præditus eſt, ab omnibus aliis curis, & cogitationibus ad tam præclarum, & ſanctum opus revocare diligentia, auctoritate, precibuſque contendat, & denique efficere, ut nos hujus optimi, & ardentiſſimi deſiderii compotes efficiamur. Res longam orationem deſiderat, ſed noſter paternus amor erga te, & tua erga nos obſervantia paucis contenta eſt. Dedimus autem in mandatis Ven. Fr. Sil. Epiſcopo Unigornienſi iſtius Regiæ Majeſtatis

Thomæ Vulceo mittit. ut conſtitutam expeditionem in Turcas ſermone ipſe ſuo adjuvet apud Regem. Notiſſimus hic Cardinalis in Henrici VIII. hiſtoria. De eo & Ciacconius *tom.* 3. *col.* 342. Epiſcopi Unigornienſis, Regis Britanniæ Legati mentio fit in epiſtola *lib.* v. 19. *Bemb.* Collocutus eſt Leo cum Franciſco I. Bononiæ a. 1515. menſe Dec. *V. ep.* 12. *&* 17. *lib.* xI. *Bembi.*

ſtatis apud nos Oratori, ut ad tuam Circ. pleniſſime perſcriberet, cujus litteris fidem habebis. Nos, iterum enim repetemus, ſi tuum ſtudium in hac voluntate noſtra nobis reſpondere cognoverimus; quemadmodum tamen certe expectamus, omnem noſtram ſpem, & opinionem virtutis tuæ cumulatiſſime expletam reputabimus, tuæque Circ. hoc immortale officium in animo ſemper conſervabimus. Datum Bonon.

Sadoletus.

ANNO MDXVI.

XXXX. *DOMINÆ ENGOLISMENSI* [1].

Dilecta in Chriſto Filia. Etſi certi ſumus, famam ipſam, quæ malarum præcipue rerum velox & feſtina eſt, ad ceteros tuos omnium rerum labores, gravem etiam nuncium de periculis Ungariæ ad paucos dies tibi allaturam ..... Sed in tuam Nobilitatem in primis oculi, & mens noſtra converſa eſt. Scimus enim, & novimus virtutem & Religionem tuam, quæ in difficilibus, & duris rebus

1 Eſt hæc Aloyſia a Sabaudia mater Franciſci I. Gallorum Regis. Ad eam autem Leo ſcribit de Hungariæ periculis. Pericula, opinor, ea dicit quæ filio Franciſco Regi *lib.* XII. *ep.* 24. *Bemb* data Id. Maji 1516. Leo narrat, & Epiſcopo Veſprimienſi *ep.* 23. ſcripta VIII. kalend. Jun & de quibus Iſthuanus. Tempus tamen huic epiſtolæ adſcriptum non convenit; cum anno III. nonis Febru. dederit Leo Florentia litteras *lib.* XI. 26., & indidem eſt XVII. kal. Marr. (*lib.* XI. 27.) annus autem tertius Leonis ad Martium uſque menſem 1516. procedebat. In menſe ergo adſcribendo erratum puto.

bus exercitata, nuſquam tamen a Deo pietateque deflexit, meritaque eſt, ut lætiore jam vultu divina benignitas res tuas reſpiciat. Nec tu certe hoc tempore ullum ſacrificium ſanctius, ullum obſequium gratius potes offerre, quam oſtendere re, & factis, illius fidem ſanctumque nomen, ne ab impuris violetur, maximæ eſſe curæ. Ac cernimus quidem ipſi, atque etiam a te, & iſto inclyto opulentoque regno expectandum eſt, filia chariſſima, ut partem oneris in Religione Chriſti adjuvanda, & populis ab interitu fidelibus vindicandis, prompto, & alacri vultu ſuſcipiatis; quò idem Deus omnipotens priſtinam nobis felicitatem, id quod facturum confidimus, referat. Et quidem his ipſis diebus venerant rumores de pace ſatis conſtantes, quæ inter Cæſarem, & Chriſtianiſſimum filium tuum conciliata diceretur, cujus optatiſſimi nuncii voluptas, ſi ut ſperamus, vera eſt (nam ad nos litteræ nullæ adhuc erant miſſæ) in ipſo temporis articulo publicata erexit omnium mentes; ut cum ex una parte iracundiam, & ſeveritatem ſummi Dei metuerémus; ex altera miſericordiam, & benignitatem experiremur, qui in maximis periculis Chriſtianitatis haberet remedia ſuæ clementiæ tam parata. Hanc ergo pacem & concordiam inter eos, quam nos pro noſtra parte ſemper procuravimus, atque ſuaſimus interceſſimuſque apud Cæſarem pro ea tam ſæpius; ſive factam vehementer gratulamur; ſive futuram eſſe non dubitamus: cujus fauſto, & felici

felici nexu, ſi modo nunc aliquantulum ſalus Ungariæ ſuſtineatur, audemus ſperare Deo freti, impium hoſtem, quæ conſilia nunc verſat, & in perniciem Ungariæ ac Chriſtianitatis totius machinatur, ea propediem in caput ſuum converſa eſſe ſenſurum: quod ut contingat, atque hujus ſingularis gloriæ atque virtutis maximam filius tuus, & idem noſter ferat partem, eumdem Deum, miſericordiæ Dominum ſupplices deprecamur. Datum Romæ die XI. Februarii *1516*.

Leo X. Sadoletus

Chariſſimo in Chriſto filio noſtro Carolo Caſtellæ, & Legionis, ac Aragonum Regi illuſtri.

XLI. *LEO PAPA* X.[1]

CHariſſime in Chriſto fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Devotionem tuam in nos & hanc ſanctam Sedem Apoſtolicam plurimum in Domino commendamus; quod, prout litteris tuis nobis innotuit, dilectum filium Hieronymum de Freſcobaldis civem & mercatorem Florentinum Commiſſarium ſuper exigendis proventibus, occaſione Indulgentiarum, pro reparatione aggerum loco-

1 Carolo gratias agit quod Hieronymum de Freſcobaldis Commiſſarium ſuper exigendis proventibus occaſione Indulgentiarum, admiſerit, eumque eidem commendat. Succeſſerat Carolus (qui adeptus Imperiū poſtea eſt a 1519.) hoc eodem anno Ferdinando Regi mortuo XVIII. Kal. Febr. Jam ſuperius monuimus, Bembi eſſe hanc epiſtolam non Sadoleti.

locorum maritimorum tui temporalis dominii inferioris Germaniæ per nos conceſſarum, & decimarum in eodem Domino impoſitarum, nos & Cameram Apoſtolicam concernentibus, a nobis dèputatum, ad requiſitionem noſtram, & juxta noſtrarum tibi ſuper hoc directarum litterarum tenorem libens admiſeris; quod profecto nobis gratiſſimum fuit, cum hujuſmodi proventus per eum cujus fides & probitas nobis nota eſt., ac ab eo deputandos dumtaxat exigi ſtatuerimus. Hortamur igitur Majeſtatem tuam, ut noſtra contemplatione eumdem Hieronymum nobis gratum & acceptum, ac ab eo deputandos circa hujuſmodi exactionem jugiter foveas, ac eis ſic tuo favore aſſiſtas, ut ſibi commiſſa, ſublatis quibuſvis impedimentis & perturbationibus, omnino exequi poſſint, noſque ad complacendum eidem Majeſtati tuæ in reliquis amplius invitemur. Datum Florentiæ ſub annulo Piſcatoris die 25. Februarii 1516. Pontificatus noſtri anno tertio.

XLII. *DVCI BORBONI*[1].

Dilecte Fili. Credimus Nobilitatem tuam facere optimo animo, cum pro dilecto filio Franciſco Maria de Ruvere Urbini Duce affine ſuo apud nos in-

1 Carolo III. Gilberti Proregis olim Neapolitani & Claræ Gonzagæ filio qui etiam Mediolanenſi Ducatui nomine Franciſci I. Gallorum Regis præfuit, & Comeſtabilis ab eodem Rege creatus a. 1515. Cetera de bellis ab eo geſtis, & miſerrima morte cum Romam oppugnaret a. 1527. notiſſima. Franciſcus M. de Ruvere varia uſus eſt fortuna. Urbini Ducatu ſpoliatus a. 1516.

intercedit, oratque ut cauſam ejus audire & cognoſcere velimus. Agnoſcimus enim, præſtare eam officium, & bonitati ſuæ, & affinitati debitum. Nos vero ejus cauſam ſtudioſe cognoſcemus, rationeſque audiemus: quæ utinam tales ſint, ut eas nobis, ſalva noſtra, & Sedis Apoſtolicæ dignitate, admittere liceat, aut ſaltem illatam contumeliam diſſimulare. Amavimus enim ſemper ipſum Ducem, & ſua, & Majorum ſuorum cauſa: idque multis, & magnis noſtris erga illum beneficiis non deſtitimus declarare. Sed ſi noſtra, & S. R. E. majeſtas ita aperte & graviter violata apparebit, ut noſtro & ejuſdem Sedis honori deeſſe non poſſimus, tunc erit & Nobilitatis tuæ, & chariſſimi in Chriſto filii noſtri Franciſci Regis Francorum Chriſtianiſſimi, ad propulſandam illatam nobis, & Eccleſiæ injuriam, omni veſtra ope atque auxilio adeſſe, ſicut conjunctio, noſtra, & veſtræ religioſæ mentes poſtulant. Nos quidem eo animo ſumus, ut hanc cauſam ex Deo & juſtitia & non aliter terminaturi ſimus. Datum Florentiæ.

Leo X. Sadol.

XLIII. *REGI HISPANIÆ*[1].

CHariſſime Fili. Dilectus Filius Hieronymus de Wich tuæ Serenitatis apud nos Orator, vir & fide erga claræ memoriæ avum tuum præſtans, & no-

[1] Reſpondet litteris die 3. Aprilis datis: datæ autem videntur a Carolo V. poſtquam is accepta avi morte, Hiſpaniarum ſe Regem dixit; quod Leonis etiam hortatu feciſſe, tradit Raynaldus *ad a.* 1516. *n.* 43.

nobis ob virtutem, & prudentiam ſuam non ſolum charus, ſed etiam maxime probatus, tuas nobis præbuit litteras 3. die Aprilis datas: atque ipſe ſuo ſermone diligentiſſime de tua probitate, erga nos benevolentia, in Deum Religione, multa adjunxit; ex quibus nos & litteris & ſermonibus ſingularem quamdam & jucunditatem, & lætitiam animo concepimus, jam certius cognoſcentes id, quod nos tamen tua præſtanti indole, & Majorum tuorum exemplo inducti ſemper expectavimus, te & virtute excellentem & pietate, quæ in Chriſtiano Rege laus primaria eſt, eximia, ea Sedi Apoſtolicæ ac nobis tuæ erga nos voluntatis præbere teſtimonia, quæ & noſtrum de te judicium non fallant, & ſint tùm nobis ac eidem Sedi optatiſſima, tùm tuæ Serenitatis laudi, & nomini in primis accomodata. Etenim cùm talis animus ac voluntas erga Sedem Apoſtolicam ipſa per ſe omni laude digniſſima ſit, cum nihil in magno Rege ad prudentiæ, & pietatis famam clarius unquam fuerit, quam habere in omni honore præcipuam ſanctæ Sedis Apoſtolicæ auctoritatem, ſicut multa antiquarum rerum monumenta teſtantur; tùm vero dubium non eſt, quin principibus tali virtute, & voluntate præditis, omnium actionum auſpex, & fautor Deus adſit, ſine cujus numine nulli unquam Reges proſperum rerum ſuarum curſum tenere potuerunt; quem tibi, ſi in hoc animo erga ipſius ſponſam Eccleſiam perſtiteris, non defuturum non
modo

modo ſperamus, ſed etiam pollicemur. Paterna quidem erga te charitas noſtra, etſi antea ſingularis & egregia ſemper fuit, tum tuis proximis litteris & d. Hieronymi relationibus, majorem in modum confirmata eſt; quam in omni occaſione ſumus tibi cum Deo declaraturi, ſicut latius, & cópioſius cum eodem Oratore tuo collocuti ſumus; cui ad Serenitàtem tuam noſtro nomine ſcribenti fidem plenam adhibebis. Datum in Villa Manliana 20. Aprilis 1516. a. 4.

Leo X. Sadolet.

XLIIII. *REGI HISPANIÆ* [1].

EGit nobiſcum diligentiſſime dilectus Filius Hieronymus de Wich, Majeſtatis tuæ apud nos Orator, quod & tu per litteras tuas, ut Ven. Fratrem Epiſcopum Cameracenſem hac proxime futura Domini noſtri natalis feſtivitate crearem Cardinalem, & in ampliſſimi Sacerdotii honorem vocare vellemus: in quo reſpondimus ipſi Hieronymo Oratori tuo, quæ neceſſaria fuerunt, & quæ nos cauſæ, & quæ rationes cogant, ut differre creationes hujuſmodi in aliquantò longius tempus compellamur; tuam vero Majeſtatem hortamur in Domino, & ab ea valde expetimus, ut æquo animo pati

1 Regi id a Leone poſtulanti, ut Epiſcopum Cameracenſem crearet Cardinalem, reſpondet; neceſſe ſibi eſſe creationes hujuſmodi in longius aliquanto tempus differre. Inter litteras a Bembo ſcriptas *lib.* xv. 7. extat in qua Epiſcopum Cameracenſem Cardinalib. adſcripſiſſe nunciat Leo Cal. Apr. 1517.

pati, & in bonam partem accipere hanc noſtram cunctationem uſque ad tempus tibi alias per nos promiſſum velit: quo tempore erit nobis curæ, concedente Altiſſimo, ut ſuæ tunc voluntati per nos largiter ſatisfiat; quod nos quidem ſemper & cupimus agere, & meditamur: de qua re tota ex litteris Oratoris præfati Majeſtas tua plene fiet certior, quibus fidem adhibebit. Datum &c.

Sadoletus.

XLV. Chariſſimo in Chriſto filio noſtro Henrico Regi Angliæ Illuſtri

LEO PAPA X.[1]

CHariſſime in Chriſto fili noſter ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Aliàs dilecto filio, Joanne de Bois Abbate Monaſterii S. Martini Tornacenſis ordinis S. Benedicti, jam in ſenecta ætate conſtituto de idoneo coadjutore, nobis homine gratiſſimo providere volentes, dilectum filium Ludovicum de Roſſis, affinitate nobis arctiſſima conjunctum, qui nobiſcum in omni varietate ſtatus noſtri, adverſis, ſecundis, anguſtis, ampliſque rebus & ſtudio & fide, & benevolentia ſemper affuit illi in coadjutorem cum ſucceſſione prædicti monaſterii de

 ipſius

1 Henrico Ludovicum de Rubeis affinem ſuum commendat, ut coadiutor factus Abatis S. Martini Tornacenſis, conceſſum munus aſſequatur. Eumdem commendaverat Regi Francorum. *V. ep.* XVIII.

ipſius conſenſu adjunximus & creavimus, ac deinde ipſi Joanni Abbati exemptionem & collectoriam in dicta civitate Tornacenſi conceſſimus, prout in litteris ſuper utraque re confectis plenius continetur. Cum autem vehementer nobis cordi ſit pro noſtra paterna in Ludovicum affinem noſtrum charitate, quæ per nos vel conſanguinitati vel virtuti ipſius, vel perpetuis ejus erga nos meritis debetur, ut quæ tùm in beneficium & commodum ipſius proprium, tùm contemplatione ipſius in alterius perſonæ hoc eſt Abatis ſupradicti ornamentum & honorem data & conceſſa a nobiſmetipſis ſunt, ſine ullo impedimento optatum exitum conſequantur; Majeſtatem tuam in Domino hortamur & quantopere poſſumus requirimus, ut ita tua regia illa benignitate eorum utrique velis, ut noſtra in utrumque beneficentia & voluntas, per te non modo defenſa, ſed etiam cumulata videatur. Quod erit ita nobis gratum, ut expectare a Majeſtate tua eo in genere gratius nil poſſimus. Quamobrem cum & res juſta ſit, & perſona in quam collatum beneficium, optime de nobis merita, & nos rei auctores, cujus acta tu pro Catholica voluntate tua & in nos, Sedemque hanc Apoſtolicam obſervantia, proque item vere paterna charitate in te noſtra, rata ſemper habere conſueviſti; expectamus intelligere deſiderium noſtrum nutu tuo expletum eſſe. Qua quidem expectatione ne fruſtremur, abs te etiam poſtulamus. His autem de rebus omnibus ex venerabi-

rabilis fratris Epiſcopi Wingornienſis Oratoris apud nos tui litteris, cui mentem voluntatemque noſtram omnem aperuimus latius intelliges; quibus fidem ut adhibeas Majeſtatem tuam enixe hortamur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 2. Novembr. 1516. Pontificatus noſtri anno quarto.

Ja. Sadoletus

XLVI. Dilecto filio noſtro Thomæ tituli S. Cæciliæ in Tranſtyberi Presbytero Cardinali Eboracenſi [1].

Dilecte fili noſter ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Aliàs dilecto filio Joanni de Bois &c. ſine impedimento ullo optatum exitum conſequantur; intelligentes quantum tua auctoritas & gratia hac eis in re prodeſſe poſſit, Circ. tuam hortamur in Domino & toto animi affectu requirimus; ut quoniam quidem non dubitamus quantum cauſa noſtra velis, ita tuo favore & opera adeſſe utrique eorum ſtudeas, ut noſtra in utrumque beneficentia & voluntas per te non modo defenſa ſed etiam cumulata videatur. Quod erit ita nobis gratum & acceptum, ut tuam priſtinam & perpetuam erga nos obſervantiam ſummo amore conjunctam ſimus hoc facto recogniturі. Omnino cùm honor noſter ac hujus ſanctæ Sedis in eo vertitur, ut quæ

1 Idem eſt argumentum atque eadem pars prima hujus epiſtolæ ac ſuperior.

per nos facta ſunt, inviolata permaneant; tùm talis eſt hæc perſona, ut quantum cum Deo nobis licet, ejus ornamenta & commoda tamquam noſtra propria ducamus. Quamobrem, cum & res juſta ſit, & perſona in quam collatum beneficium, optime de nobis merita, & nos rei auctores, cujus tu ſemper voluntatem & auctoritatem pro tua præſtanti virtute plurimi feciſti; expectamus officium tale Circ. tuæ, tùm apud illum clariſſimum Regem ad quem etiam ſcribimus, tùm vero apud temetipſum, ut quamprimum audiamus deſiderium noſtrum opera tua expletum eſſe: quod teſtimonium tuæ in nos benevolentiæ ſumus inter alia multa & magna non minimum exiſtimaturi. His autem de rebus omnibus ex venerabilis fratris Epiſcopi Wingornienſis, Majeſtatis iſtius apud nos Oratoris litteris, cui mentem voluntatemque omnem noſtram aperuimus, latius intelliges: quibus ut fidem adhibeas Circ. tuam enixe hortamur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo noſtro Piſcatoris die 2. Novembr. 1516. Pontificatus noſtri anno quarto.

Ja. Sadoletus.

XLVII.

XLVII. Dilecto filio Petro electo Lavellin [1].

LEO PAPA X.

DIlecte fili ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum nuper Cathedrali Eccleſiæ Lavellinen., ex eo quod dilectus filius noſter Franciſcus tit. S. Marcelli Presbyter Cardinalis Surrentinus regimini & adminiſtrationi Eccleſiæ cui præerat, in manibus noſtris ſponte & libere ceſſiſſet, noſque ceſſionem ipſam duxerimus admittendam, vacanti, de perſona tua, nobis, & fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, providerimus, teque illi in Paſtorem præfecerimus, & in præſentia non valeas ob continua itinera, quæ de neceſſitate nos ſequendo ſubis, & alia impedimenta, litteras proviſionis hujuſmodi ſub plumbo expedire; nos volentes te præmiſſorum meritorum tuorum & virtutum intuitu ſpeciali gratia proſequi, harum tenore tibi facultatem concedimus & auctoritatem, actualem poſſeſſionem dictæ Eccleſiæ per te, vel Procuratorem tuum ad hoc legitime conſtitutum apprehendendi, illiuſque fructus, redditus, & proventus exigendi levandique; mandantes propterea dilectis

 filiis

1 Editam habes ap. Ughell. *t. 7. col. 742.* Eſt hic Petrus Priſcus e nobili familia Guglielmuccia de Amanduia Firmanæ diœceſis, Panormitanus Archipresbyter & Card. Franciſci Remolini a ſecretis. Hic ergo factus eſt Epiſcopus Lavellenſis, cum ejus Eccleſiæ adminiſtrator perpetuus Franciſcus Remolinus Epiſcopus Surrentinus adminiſtratione illa ſponte ceſſiſſet.

filiis Archidiacono, Canonicis, & Capitulo dictæ Eccleſiæ & aliis omnibus ad quos ſpectat ſub pœnis & cenſuris Eccleſiaſticis, quatenus te ad hujuſmodi poſſeſſionem recipiant & admittant, ac in Epiſcopum, & Paſtorem recognoſcant; felic. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri quæ incipit „ Injunctæ „ & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque. Volumus autem quod litteras Apoſtolicas proviſionis dictæ Eccleſiæ intra ſex menſes expedire tenearis: alioquin lapſo termino & litteris non expeditis, Eccleſia ipſa vacare cenſeatur eo ipſo. Datum Florentiæ ſub annulo Piſcatoris die 30. Jan. MDXVI. Pontificatus noſtri anno tertio.

Jac. Sadoletus.

ANNO MDXVII.

XLVIII. *PRIORI, ET CONVENTUI S. MARCI FLORENTIÆ* [1].

Dilect. Fil. Volentes vobis ea gratioſe concedere, per quæ iſtius Eccleſiæ & domus veſtræ, quam in viſceribus caritatis gerimus decori, ac fidelis

1 Eccleſiæ S. Marci III. Dominica Quadrageſimæ Stationem ſacram & peccatorum Indulgentias concedit, quas anno ſuperiore cum Florentiæ eſſet conceſſerat. Præcipuo quodam amore Leo S. Marci Congregationem complexus eſt, ut diplomatis datis *Bullar. Dom. tom.* 4. n. 29. 43. 106. conſtat, in quo-

delis populi animarum ſaluti conſulatur, ut eò ardentius ad bona opera & eleemoſynas inducantur, quò dono cæleſtis gratiæ uberius ſe noverint refectos; vobis & Eccleſiæ veſtræ in tertia Dominica Quadrageſimæ proxime futuræ Stationem cum iis indulgentiis & conceſſionibus, quibus anno ſuperiore eandem Stationem, cum Florentiæ in noſtra patria eſſemus, in eadem Eccleſia veſtra indulſimus pro porrigendis manus adjutrices tam pro ſe, quam pro defunctis ſuis, denuo concedimus & indulgemus, præſentibus d. Dominica tertia dumtaxat valituris. Romæ 1517.

Leo X. Sadoletus.

XLVIIII. *VICEREGI NEAPOLITANO* [1].

Dilecte Fili. Sicut etiam heri ad te ſcripſimus, cum gravis animum noſtrum vexet cura, ne milites tam Hiſpani, quam aliarum nationum, ad eorum numerum ſe aggregantes, qui ſine certo imperio & ſine lege vagantur, maxima non ſolum damna, ſed etiam pericula, non ſolum noſtro &

quorum poſtremo familiam ſuam vocat illius *Conventus & librariæ auctricem & protectricem*. Cum Bononiam ſe conferens Florentiam veniſſet die ſacro Epiphaniæ, qui eſt dedicationis ejus Eccleſiæ, eam ingreſſus, plenariam Indulgentiam conceſſerat, aliamque, domum luſtrans, & in Bibliotheca religioſos viros ad pedum oſculum admittens, ſacello juvenum qui ſtudiis operam navant largitus fuerat. Hæc ex Chronicis mſs. vir eruditus P. Angelus Moncada ſcire me voluit, qui tamen de hoc diplomate noſtro nihil ſe comperiſſe nuntiavit. De religioſa illa domo fuſe Vincentius Fontana *de Rom. Prov. O. P. tit.* 25.

1 Ut milites contineat, præſertim qui nullo certo duce palantur.

S. R. E. ſtatui, ſed cunctæ Italiæ, ac tibi quoque commiſſis regionibus afferant, idcirco ad Nobilitatem tuam ſcripſimus, ut eos ſecundum tractata inter nos, & chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Carolum Regem Catholicum diſtinere tamdiu velles, quoad ab ipſo Rege debitæ proviſiones, quæ cito venturæ eſſent, ad te venirent. Nunc hòc magis idem ad tuam Nobilitatem repetendum duximus, ut tanto ſtudioſius, ac celerius id faceres, quod nos per alias hodie litteras præfato Regi conceſſimus, ut de pecuniis ex ſancta Cruciata provenientibus ſtipendia illis tradere poſſet, & pro communi Italiæ ſalute deberet: Quare cum videas propinqua celeriter tibi parata eſſe ſubſidia, ac ſtipendia etiam, ſi quid interea oppignorari oporteret, quando id cito redimi poterit;ut id faceres pecuniæque aliquantum quoquo modo reperire non ceſſares, hortabamur; quemadmodum ad Nobilitatem tuam latius dilect. fil. F.P.E. Syracuſanus ejuſdem Catholicæ Majeſtatis apud nos Orator perſcribet; cui fidem, etiam quod ad nos pertinet, adhibebis. Datum Viterb. 1517.

Leo X. Sadoletus.

L. P. TOLOSÆ[1].

DIlecte Fili. Accerſivimus dilectum filium Nicolaum; iidem requirentes ut cum ea navi, cujus

1 Pro Nicolao Cantorineo.

cujus præfectus eſt, nobis deſervire vellet in rebus maximi momenti: quemadmodum Devotionem tuam intelligere confidimus. Sed is, ſua voluntate optime nobis declarata, aſſeruit, ſe ob eam cauſam, quominus id faciat impediri, quod habeat ſuam fidem tibi obſtrictam ſuper eadem navi. Nos ergo non dubitantes, te iis rebus, quæ magni noſtra interſunt, favere, Devotionem tuam hortamur in Domino, & te enixe requirimus, ut noſtra cauſa liberare illius fidem velis, quò is ad negotia noſtra accedere quam primum poſſit: in quo facies nobis rem gratiſſimam. Datum Romæ 1517.

Leo X. Sadoletus.

LI. *VICEREGI NEAPOLITANO* [1].

Dilecte fili. Remiſimus dilectum filium Nicolaum Cantorineum, ut ſeſe apparet; qui liber & expeditus ad noſtra maximi momenti negotia revertitur. Hortamur Nobilitatem tuam in Domino, ut quibus in rebus favore, & patrocinio eguerit Nobilitatis tuæ, ei adeſſe noſtra etiam cauſa velis, & dare operam, ut is ad nos quamprimum licitum fuerit, redeat. Erit hoc nobis gratiſſimum. Datum *ut ſupra*.

Sadoletus.

LII.

1 In id. argum.

LII. *CARDINALI CAMPEGGIO*[1].

Dilecte Fili. Nos deputavimus dilectum filium Marcum Carracciolum hujus Sedis Notarium Nuncium noſtrum ad Cæſaream Majeſtatem, noſtra apud eum negotia tractaturum, quem dante Domino confidimus celeriter apud ipſum Cæſarem fore. Quod cum ita ſit, donec idonea ad iter faciendum tempeſtas eſt, nos Circ. tuam grato vultu atque animo inſpecturi, te hortamur in Domino, ut quamprimum cum bona Ceſareæ Majeſtatis venia, viam ingrediens, ad nos, & almam Urbem noſtram te conferas, ſubiturus nobiſcum eam ſollicitudinis partem, quam iſta ampliſſima dignitas Cardinalatus in te merito collocata requirit & exigit. Datum Viterb. 1517. ann. v.

Leo X. Sadoletus.

LIII. *NUNCIIS IN HISPANIA*[2].

Venerabilis Frater, & dilecte fili. Inſtitimus ſæpe, ac diu, & litteris, & Nunciis cum chariſſimo in Chriſto filio noſtro Carolo Hiſpaniarum Rege Catholico ſuper cauſa reſtitutionis Ven. Fratris

1 Thomam Campegium apud Cæſarem Nuncium ſuum revocat Romam, ut Cardinalis ſibi adſit. Et hæc quidem a Leone ſcribi videntur, cum recens eum Cardinalem creaſſet: creatus autem d. 26. Jun. a. 1517.

2 Ut Cardinali ss. IV. Coronatorum, Laurentio nimirum Puccio beneficia quædam reſtituantur. Carolus V. dicitur aut in Hiſpaniam jam perveniſſe, aut cito eſſe perventurus. Pervenit in Hiſpaniam a. 1517.

Fratris Cardinalis Sanctorum Quatuor ad Eccleſias, & Beneficia,ut vel ex juſtitia, vel ex honorifica dicti Cardinalis, & hujus ſanctæ Sedis concordia rem quandoque terminaret, & hujus ſanctæ Sedis honori,qui exemploMajorum,& Prædeceſſorum noſtrorum, ac Domini Salvatoris præcepto dictam reſtitutionem fecimus, conſuleret: Qua re in longum protracta, ad extremum præfatus Rex per ſuas ad nos, & Oratores ſuos litteras nobis ſignificavit, ſe cum primum ad Hiſpaniæ regna appuliſſet, rem omnem ad optatum finem deducturum, cauſamque terminaturum: quod nos quidem deſideramus, & nominis & æquitatis reſpectu, & dictum Ven. Fratrem Noſtrum S. R. E. Cardinalem quotidianis de hac re precibus, flagitamus. Cum igitur ſperemus, Regem ipſum jam ad ſua Hiſpaniæ regna perveniſſe, aut cito eſſe perventurum, Fraternitati, & Devotioni veſtræ mandamus, ut hanc rem, & cauſam præfati Cardinalis, in qua & honor hujus ſanctæ Sedis conſiſtit, in curam, & diligentiam veſtram ſuſcipientes, ambo, vel alter veſtrum, noſtro nomine apud Regem inſtetis, ut quam primum hac re deliberanda, & cum juſtitia ac prudentia ſolita terminanda, nos, ſeque liberare hujus debiti atque officii moleſtia, atque onere velit; facturus in eo rem ſua fide & virtute dignam, nobiſque pergratam. In quo vos admonebit, & inſtruet dilectus filius Gäbriel de Threſo miles Hieroſolymitanus familiæ noſtræ; cui auxilium, & opem, quam poteritis,impendetis. Dat.Viterbii 1517. AN-

ANNO MDXIII.

LIV. ÆGIDIO MATTHÆO CARDINALI [1],
In Hiſpania Sedis Apoſtolicæ Legato.

DIlecte Fili. Scribimus ad chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Carolum, Hiſpaniarum, & utriuſque Siciliæ Regem Catholicum litteras in favorem dilecti filii Marii de Urſinis & fratrum, hæredum, ac filiorum quondam Julii de Urſinis, Domicellorum Romanorum, pro eorum juſtitiæ executione commendatitias, quarum exemplum, tuæ Circ. præſentibus mittimus introcluſum. Cum autem his magnæ ſpei adoleſcentibus, nobiſque arcto cognationis vinculo conjunctis, præſertim in juſtitiæ executione deeſſe non poſſimus, Circ. tuæ per hæc ſcripta mandamus, quatenus apud Catholicam Majeſtatem dicti Regis, pro expeditione, atque executione juſtitiæ dictorum Marii, & Fratrum, noſtro nomine inſtes, eorumque cauſam omni ope ju-

1 Ægidius Viterbienſis vir doctrina & prudentia ſpectatiſſimus is eſſe videtur, tit. S. Matthæi. Functum eſſe Hiſpanica legatione hoc anno, Paris de Craſſis teſtatur, ubi Legatos numerat ad Reges miſſos; *ii legati fuere Cardinalis de Campeggio ad Regem Angliæ, Cardin. Ægidius ad Regem Hiſpaniæ &c.* Idem Guicciardinus lib. x11 I. &c. Legenda inter ceteras ad Ægidium *ep.* 38. *Bembi lib.* xv. qua Cardinalem ſe eum creaturum, Leo ſignificavit Cal. Quintil. Scripta ep. v111. Kal. Quint. 1517. Antea etiam Legati munere functum apud Maximillanum Imperatorem liquet ex *ep.* 13. *lib.* x1. Hac vero epiſtola Marii de Urſinis & fratrum res commendat; quos arcto ſibi cognationis vinculo conjunctos affirmat. Erat Leo matre natus Clarice Urſina. Franciſcus Urſinus Cardinalis a Leone creatus Leonis ſmitinus.

juves, faciaſque ſuæ Majeſtati quam enixiſſime commendatam, ut quæ per dictæ Majeſtatis Judices, juſte judicata eſt, ſuæ tandem executionis debitum ſortiatur effectum; in quo Circ. tua, & juſtitiæ operam dabit ut debet, & nobis rem quam gratiſſimam faciet. Reliqua, ſi qua pro tua inſtructione opus erunt, ipſi tuæ Circ. dil. fil. Baccius de Bertis Florentinus, ipſorum Marii, & fratrum negotiorum geſtor latius explicabit. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub an. Piſcatoris die 31. Aprilis 1518. Pontificatus noſtri Anno ſexto.

Leo X. Sadoletus.

LV. *EIDEM LEGATO*[1].

DIlecte Fili. Ante tuum hinc diſceſſum commendavimus Circ. tuæ dilectos filios Franciſcum de Rubeis notarium, & Camerarium, noſtrum familiarem, continuum commenſalem, & Rodericum Del-rio Licentiatum, ejus germanum; commiſimuſque tibi, ut eoſdem, illorumque res omnes, & negotia apud chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Carolum Hiſpaniarum Regem Catholicum, & dilectum filium noſtrum Hadrianum ſanctorum Joannis, & Pauli Presbyterum Cardinalem[2], & quoſcumque alios, Majeſtatem regiam auctoritate & gratia propius appropinquantes, præcipue

1 Commendatitia fratrum Franciſci & Roderici de Rubeis.

2 Is Hadrianus VI. poſtea dictus cum Leoni ſucceſſit.

cipue foveres : quod etſi non dubitamus te diligenter facturum ; tamen quia hæc res nobis præcipue cordi eſt, ob paternam, qua dictum Franciſcum, ob ipſius virtutes & merita, complectimur, dilectionem, duximus ad te deſuper ſcribendum, ut res ipſa tibi fiat in memoria recentior. Gratiſſimum itaque nobis feceris, ſi Franciſco, & Roderico prælatis tantum favoris, & patrocinii impenderis, quantum pro tua virtute, & dexteritate opus eſſe duxeris : id enim nobis valde gratum, & acceptum & in eo ipſo diligentiam plurimum commendabimus. Datum Romæ 1518.

Leo X. Sadol.

LVI. *ÆGIDIO MATHÆO*
Legato de Latere [1].

DIlecte Fili. Cum certis nuntiis, neque uno ex loco intellexerimus, tyrannum Turcarum ab Orientis expeditione reverſum Conſtantinopolim ſe

[1] Ut Carolum V. ad bellum contra Turcas ſuſcipiendum inflammet. Hoc anno magnum Chriſtiano populo Turcarum terrorem offuſum fuiſſe, & a Principibus de bello ei inferendo deliberatum, leges apud Guicciardinum *lib.* VIII. ceteroſque hiſtoricos, ex quibus Raynaldus &c. Leonem Chriſtianæ Reip. non defuiſſe, imo omnibus omnino nervis contendiſſe, ut Principes ad id gerendum ſive excitaret ſive confirmaret, teſtantur litteræ Bembi *lib.* XV. 17., ubi & Lateranenſis Concilii de hoc bello ſuſcipiendo decretum commemorat, atque aliæ. Extat etiam *ap. Goldaſt. Conſt. t.* 2. conſultatio de totius belli ratione, impenſis, apparatu, ductu &c. Romæ facta anno ſuperiori menſe Novembri. De Supplicatione, qua Leo a Vaticano ad S. M. *ſuper Minervam pedibus nudatis inceſſit*, ut ait Panvinius, ideſt ſine *ſottulariis*, *& crepidis*, ut Paris de Craſſis, prohibitus ne nudis omnino pedibus faceret, Jovius aliique narrant.

ſe contuliſſe, magnaque celeritate, & ſtudio ad apparandam claſſem ſe dediſſe, ita ut maximum numerum navium ex navalibus deducat, homines cogat, quæ ad victum neceſſaria ſunt undique conquirat; voluimus hoc ſignificare Circ. tuæ, ut cum chariſſimo in Chriſto filio noſtro Carolo Hiſpaniarum Rege Catholico id communicares. Quanquam nos quid is moliatur aut cogitet, nihil certò habemus, niſi illud, non dubitare nos quin immani, & effera crudelitate hoſtis ad cædem, & cladem ſe inſtruat generis Chriſtiani; etſi præcipiti jam ætate non eſt fortaſſe univerſa vis ejus hoc anno pertimeſcenda: veruntamen ad Dei noſtri honorem, ad ſalutem Chriſtianæ Reipublicæ, ad noſtram vigilantiam, & iſtius Catholici Regis decus, ac dignitatem vehementer pertinet, nos & eſſe ad omnia, & videri paratos, ne quid nobis ab improviſo mali ab illo accidat, cum veri, & magni Principis ſit, qualis Rex Catholicus eſt, ſuo conſilio, non caſus beneficio, ſalvam retinere ſtatus, & nominis ſui dignitatem. Ac quod ad induciarum, quas induximus approbationem pertinet, nec nos quidem volumus ipſius Majeſtatem a Cæſareæ Serenitatis conſilio diſſentire, quem & amore, & ſanguine habet conjunctiſſimum. Sed quoniam Cæſaris voluntatis certam prope ſpem obtinemus, fore illum quem eſſe volumus, & induciis approbandis, & expeditione procuranda, veræ ſanctæ Fidei protectorem; idcirco Circ. tua ipſius Majeſtatem no-

noſtro nomine hortabitur, ut promptum, ac paratum gerat animum omnia faciendi, quæ avi conſiliis conſona, ſanctiſſimæ Fidei fuerint opportuna; cum præſertim aliorum quorundam Regum earumdem induciarum approbatio ad nutum noſtrum parata ſit. Dum autem abit dies, neque jam conſiliorum, ſed factorum tempus apparet, cum, vel ſi velimus eſſe ſalvi, neceſſe ſit ſequenti æſtate habere præſidia, quibus ſi non obruere, at ſaltem ſuſtinere hoſtem poſſimus, Circ. tuæ mandamus, ut ejus Majeſtatem non tam cohorteris, quam obſecres, & per viſcera miſericordiæ Dei noſtri obteſteris, ut incumbat penitus in hanc curam ſua virtute & magnitudine dignam, ſeque univerſalis ſalutis Fidelium, & ſanctiſſimæ Fidei, pro ſua regia parte, patronum profiteatur, ducem ſe præbeat, opes potentiamque ſuam Deo omnipotenti, ſui nominis immortalitati, ſuorum poſterorum ſecuritati dedicet; nec omittat occaſionem hanc, qua, hoſte contra nos armato, aut clariſſima victoria parienda, aut magna aliqua calamitas accipienda. Quamquam, ſi & animo & viribus eum promptum habebimus, exploratum ſit nobis de victoria: ut aliquid damni ſubeamus, hoſtilis erit virtus; ſed noſtra, ſi ceſſabimus, negligentia extimeſcenda. A conſiliis igitur ad facta veniendum, & tota urgenda res eſt, in quo tantò enixius volumus elaborare Circ. tuam, quantò cum conſtanti ſermone ad nos perfertur, Regem ipſum, & pio, & gene-

roſo

roſo inflammatum eſſe ſtudio hujus ſanctiſſimi belli ſuſcipiendi ; de quo agimus nos quidem Deo omnipotenti gratias , qui ſpiritum veri conſilii tanto Regi inſpiret , ſed & ipſius Serenitati habemus maximas : hæc enim ſunt perpetua ſalutis , & gloriæ fundamenta , quibus ſi adhuc viridis ejus ætas innitetur, nihil erit in omni magnitudine tam amplum quod ipſe ſibi promittere non poſſit . Sed & quoniam ex magna Turcarum claſſe verendum eſt , ne pars aliqua otii impatiens , prædatum , & populatum per maria , & littora noſtra diſcurrat ; gratum eſſet nobis , & reipublicæ , regnoque ſuo commodum , ut aliquid haberet ipſe in his oris maritimis Italiæ ac Siciliæ, idoneæ claſſis, ad arcendum hoſtem, ſuiſque rebus præſidia , noſtris etiam , ſi opus eſſet , ferret auxilia . Sed nos ingenio & prudentiæ tuæ committimus rem totam , ex noſtra voluntate , & totius Fidei Chriſtianæ commodo tractandam . Cetera , quæ diſtinctius ſcribenda erant, dilecto filio noſtro Julio titulo Sancti Laurentii in Damaſo Presbytero Cardinali S. R. E. Vicecancellario, ut ſcriberet ad te mandavimus ; cujus litteris Circ. tua his, aliiſque deinceps omnibus fidem ſummam adhibebit . Datum Romæ die 8. Auguſti 1518. anno VI.

Leo X. Sadol.

LVII. *EIDEM* [1].

DIlecte Fili. Scribimus ad chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Carolum Hiſpaniarum Regem Catholicum in favorem dilecti filii Alexandri de Lecanis, & Benedicti de Cripellis Cubiculariorum noſtrorum ſecretorum, circa percipiendam certam annuam penſionem trecentorum ducatorum ſupra fructibus menſæ Epiſcopi Melitenſis, eis per nos auctoritate Apoſtolica rite, & canonice aſſignatam, prout in adjuncto Brevis noſtri exemplo perſpicies: quocirca te hortamur in Domino, tibi nihilominus committentes, ut apud dictum Regem noſtro nomine agas, & demum pro tua prudentia & dexteritate efficias, ut prædictus Rex Theſaurario ſuo regni Siciliæ committat & mandet, ut Alexandro, & Benedicto prædictis, vel eorum legitimis Procuratoribus penſionem hujuſmodi perſolvi faciat; in quo ſtudium, & diligentiam tuam in Domino plurimum commendabimus. Datum Romæ die 18. Auguſti 1518. Anno ſexto

Leo X. Sadoletus

1 Commendatitia epiſtola Alexandri de Lecanis &c.

LVIII.

LVIII. *EIDEM*[1].

DIlecte Fili. Delectaverunt nos mirum in modum litteræ tuæ ſcriptæ amanter erga nos quidem, ſed in Chriſtianæ Reipublicæ cauſa, & pie, & prudenter, quæ nobis peroptatum nuncium attulerunt, eſſe inducias quas indiximus quinquennales ab illo clariſſimo Rege Catholico acceptas & approbatas; idque inter ſolemnes divinæ rei ceremonias, quaſi Deo ipſo teſte: in qua re tuæ Circ. fidem, virtutem, prudentiam vehementer enituiſſe, teque optimi, & graviſſimi Cardinalis officio functum fuiſſe, non gaudemus ſolum, ſed pro ſingulari erga te amore noſtro, etiam gratulamur. Huic quoniam Regi per litteras gratias agimus, quorum exemplum ad te juſſimus mitti, & ea quæ ſuperſunt non videntur faciliora; reliquus labor tuæ Circ. fuerit, urgere & inſtare omni ſtudio, ut quæ ad belli apparationem neceſſaria ſunt, jam nunc in cura, & meditatione verſentur. Sicut enim ab illo præſtantiſſimo Rege prima laus occupata eſt pietatis ſuæ declarandæ, quam ceteri procul dubio nunc

1 Gaudet inducias quinquennales a ſe indictas, fuiſſe a Carolo V. approbatas. De conſtitutis hujuſmodi induciis Paris de Craſſis ap. Raynaldum *ad a.* 1518. *num.* 41. Extat etiam Oratio Sadoleti ipſius in earum promulgatione habita XVIIII. Kal. Apr. a. 1518. in æde B. Virginis ad Minervam, ut in titulo Orationis hujus, quam pariter apographum noſtrum habet, legitur; ea vero edita eſt inter alia Sadoleti Veronæ a. 1737. Poſt Orationem Sadoleti lectum eſt diploma expeditionis in Turcas ex Paride de Craſ. idque poſt ſupplicationem illam a Vaticano, de qua diximus.

ſequentur ; ſic arripienda prima gloria eſt, potentiæ ſuæ ad Turcarum terrores opponendæ. Eo enim initium faciente, reliqui principes non deerunt. Sed cum de hac tota re ſatis ſuperque edoctus inſtructuſque ſis, prudentia vero, & induſtria tua ſingularis monitorem non requirat ; tuum erit dare operam, & omnes moliri vias, quò ad ſperatos optatoſque exitus noſtra optima & ſanctiſſima conſilia deducantur : ſicut latius ad te dilectus fil. noſter Julius de Medicis perſcribit, cujus litteris fidem adhibebis. Datum Romæ die 24. Auguſti 1518. Pont. anno 6.

Leo X. Sadol.

LVIIII. *EIDEM*[1].

DIlecte Fili : Arbitramur Circ. tuæ cognitum, nos paterna charitate proſequi dilectum Filium Martinum Fernandes de Corduba, aliàs de Molina familiarem noſtrum, cujus lepiditate ingenii, & morum, quæ maxime extat in iis, quibus honeſtiſſime ocium traducitur, nos, quantum ab arduis negotiis interdum diſcedere licet, ſatis delectamur : Is, cum ſummopere deſideret inſigniri habitu Sancti Jacobi de Spata Ordinis Regii ; ſcribimus ad chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Carolum Hiſpaniarum Regem Catholicum, ut noſtro ac merito-

1 Ut a Carolo V. Martino de Molina inſignia dentur habitus s. Jacobi de Spata Ordinis Regii. De equeſtri hoc ordine V. Heliot *part.* 2. *cap.* 39. *&* 40.

ritorum dicti Martini intuitu, velit alicui in Romana Curia committere, ut Martino, attento quod ipſe in ſervitiis noſtris jugiter verſatur, & propterea ab ipſa Curia diſcedere non poteſt, habitum hujuſmodi, nomine Majeſtatis ſuæ conferat. Cum autem res hæc nobis curæ ſit, duximus etiam ad Circumſp. tuam ſcribendum, ut apud Regem præfatum noſtro nomine inſtes, ac pro tua dexteritate efficias, ut idem Martinus voti compos fiat; cui nos poſtea, occurrente opportunitate, de aliquibus redditibus providebimus, ut ſe juxta militiæ hujuſmodi exigentiam decenter valeat ſuſtentare. Datum Romæ die 28. Auguſti 1518. Anno ſexto.

Leo X. Sadoletus

LX. *EIDEM* [1].

Dilecte Fili. Expectabamus in dies, tuis litteris certiores fieri, Martinum de Molina familiarem noſtrum voti compotem eſſe effectum circa habitum S. Jacobi de Spata, quem ſibi a Catholico Rege conferri deſiderat. Cum autem per litteras tuas nuper nobis ſignificaveris, præfatum Regem ad hoc ſatis diſpoſitum eſſe, id nobis pergratum fuit: quippe non parvo tenemur deſiderio, ut præfatus Martinus, quem ob ejus lepiditatem, & ingenuos mores, præcipuamque probitatem pater-

[1] Idem argumentum eſt hujus ac ſuperioris.

ne diligimus, id honoris, & gratiæ a dicto Rege noſtra cauſa conſequatur: & propterea ad illius Majeſtatem denuo ſcribimus, hortantes, & requirentes, ut talem diſpoſitionem ſuam ad votivum exitum perducat, prout ex adjuncto Brevis noſtri exemplo perſpicies. Tuum itaque erit, omni ſtudio, & dexteritate perficere, quod ex noſtra commiſſione ea in re mature, & prudenter cœpiſti: in quo voluntati noſtræ plurimum ſatisfacies. Datum Romæ die *26*. Februarii Anno *6*.

Leo X. Sadoletus

LXI. *EIDEM* [1].

Dilecte Filii. Cum venerabilis Frater Raphael Epiſcopus Oſtienſis Cardinalis, regreſſu ad EccleſiamConchenſem ſibi auctoritateApoſtolica conceſſo, in favorem dilecti Fili Franciſci de Mendoza Cubicularii noſtri ſecreti, fratris germani Marchionis de Mondeſar, cedere paratus ſit, noſque ob ejus Franciſci virtutes & merita, ceſſionem hujuſmodi admittere velimus, ſcripſimus diebus præteritis ad chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Carolum Hiſpaniarum Regem Catholicum; vellet conſentire, ut expeditio ceſſionis dicti regreſſus omnino fieret. Cum autem poſtmodum acceperimus,preſatum Regem velle quemdam Cappellanum ſuum

[1] Ut Carolus V. annuat ceſſioni regreſſus ad Eccleſiam Conchenſem Raphaelis Oſtienſis. Eſt Raphael Galeottus Riarius de quo V. Ciaccon. *tom. 3. col. 70.*

ſuum dicto Franciſco ea in re præferre, non parva admiratione ſumus affecti; animadvertentes eumdem Franciſcum, ejuſque progenitores, & conſanguineos nobilitate generis, ac præclaris facinoribus præſtantes, ſummam ſemper obſervantiam, & integerrimam fidem erga Catholicam Majeſtatem, atque etiam erga Sedem ſanctam Apoſtolicam præſetuliſſe, ac præſeferre. Quare Circumſp. tuam hortamur in Domino, tibi nihilominus injungentes, ut pro ſolita tua virtute, & dexteritate, apud Regem præfatum noſtro nomine inſtes, & quantum in te fuerit pro virili efficias, ut Rex ipſe conſenſum ſuum pro hujuſmodi Coadjutoria in perſonam præfati Franciſci expedienda, quamprimum mittat, prout a conſanguineis ejuſdem Franciſci requiſitus fueris; & ut occaſionem alloquendi ea de re præfatum Regem nanciſcaris, eidem Breve noſtrum his alligatum reddes. Datum Romæ die 29. Auguſti 1518.

Sadoletus

LXII. *GALEATIO BUTRIGARIO apud Cæſarem Nuntio* [1].

DIlecte Fili. Mittimus tibi exemplum earum Litterarum quas ad Illuſtriſs. Regem Catholicum

1 Galeatii Butrigarii Internuntii antea apud Ferdinandum Catholicum meminit Leo *ep. 16. lib.* VII. *ſcripta* ipſi Ferdinando XV. Calend. Mart. 1714. Mittit ad eum exemplum litterarum, quas Leo ad Regem Catholicum ſcripſerat, pro habendo delectu præſtantium virorum, qui Legato ſuo adeſſent.

pro habendo delectu præſtantium virorum, qui Mathæo Legato noſtro in rebus ſanctam Fidem concernentibus adeſſe debeant; inter quos nos maxime Joannem Epiſcopum Burgenſem, aliàs in hujuſmodi negotiis egregia virtute cognitum ineſſe cuperemus. Cum autem, ut res apte tractetur, in tua dexteritate valde poſitum ſit, mandamus tibi ut cum præfato Burgenſi Epiſcopo re communicata, ita agas, & te geras, ut quoad commode fieri poteſt, cum voluntate noſtra præfati Epiſcopi honor a te conſervetur. Datum Romæ die 20. Julii 1518. Pontificatus Anno VI.

Sadoletus

ANNO MDXIX.

LXIII. *CAROLO DUCI SABAUDIÆ, ET PHILIPPO FRATRI* [1].

Dilecte Fili. Etſi non credimus, Nobil. veſtras agere, aut cogitare quicquam, quod veſtro genere indignum, ac virtute alienum ſit; tamen, cum ad aures noſtras pervenerit, eos qui refectionem monaſterii Ordinis Cæleſtinorum ad honorem Salvatoris noſtri Domini Jeſu Chriſti in oppido Anneſiaci Gennebenſis Diœceſis, a nobis motu proprio, & ex

1 Eſt hic Carolus III. qui Philiberto fratri ſucceſſit a. 1504. Philippus Nemoſii Dux fuit; cum Nemoſium Franciſcus I. Aloyſiæ a Sabaudia dediſſet; hæc vero in Philippum fratrem tranſtuliſſet a. 1528. His ergo Leo ſcribit, ne inſtaurationem impediant Monaſterii Cæleſtinorum in oppido Anneſiaci.

& ex certa ſcientia factam impedire, ac turbare non deſiſtunt, jactare favorem veſtrum; & hujus S. Sedis pro cultu, & augmento Catholicæ Fidei decretum, inane atque irritum reddituros ſperare; non poſſumus non mirari tantam eſſe quorumdam audaciam, ut & quæ a nobis in honorem Dei conſtituta ſunt, violare, & Nobilitatum veſtrarum conſtantiam labefactare contendant. Nam ſi omnis qui Deo honos impenditur, in noſtram redundat ſalutem; qui ea, quæ ad honorandum, & colendum Dominum inſtituta ſunt, diſturbare conantur, ii & ſuæ profecto, & omnium ſalutis ſunt inimici. Quid autem ſanctius, quam erigere templa Domino Deo, in quibus ipſe caſtius, & religioſius adoretur? Quid autem ſalutarius populo fideli, quam habere oratores pro ſe apud eumdem Deum, interpretes deſideriorum ſuorum, votorum internuncios, curatores ſalutis? Qui vero hiſce rebus ſeſe opponunt, non illi profecto commune bonum, ſed aut iniquam ſuam opinionem, aut propriam ſequuntur utilitatem. Ac nobis quidem hæc res permoleſta accidit: affert enim diminutionem nonnullam dignitatis noſtræ, & auctoritatis Apoſtolicæ; ſed certe pati talium pravas invaleſcere ſuggeſtiones, minime omnium ad Nobil. veſtras pertinet; qui & propter egregiam veſtram pietatem favere Deo, & ſervis ejus ſemper conſueviſtis, & propter animi conſtantiam manere in priſtina ſententia debetis. Præbuiſtis enim conſenſum veſtrum ere-

erectioni hujuſmodi, voluntatiſque veſtræ, non ſolum verbo, ſed etiam patentibus litteris fidem feciſtis. Ac ſi quidpiam minus utile ita eſſetis polliciti, tamen virtus a vobis veſtra exigeret, ut conſtaretis vobis ipſis, præſtaretiſque promiſſum; quod hoc magnorum Principum proprium eſſe ſoleat, non revocare in dubium pollicitationes ſuas. Cum vero rem plenam laudis, plenam pietatis, prædicto oppido veſtro perhonorificam, vobis, & populis veſtris ſalutarem veſtro ſemel aſſenſu comprobaveritis; eſt jam magnanimitatis veſtræ comprimere iniquitates eorum, qui & Deo, & huic Sedi, & honori nominique veſtro una & eadem opera injurium quid efficere conantur: præſertim etiam noſtra intercesſione accedente, qui nunc ſecundò ad vos ſcribimus eadem de re, digni, ut quidem arbitramur, qui primò quod volumus a vobis impetraremus; noſtra autem conjunctio, & paternus noſter in Nobilitates veſtras amor requirit, ut quæ juſte ſancteque poſcimus, facilia & plana apud vos inveniamus. Quapropter his rationibus omnibus permoti, noſtro, veſtro, hujuſque ſanctæ Sedis, & Dei omnipotentis honore, itemque dil. fil. Magiſtri Petri Lamberti de majori Præſidentia Abbreviatorum, & familiaris noſtri cura, & ſollicitudine, qui veſter fidelis ſubditus, dignuſque virtute ſua, cui favor veſter impendatur, gravi afficitur dolore, quam rem ipſe ſub veſtra fide curavit, & geſſit, cum facultatibus ſuis detraheret, ut Deo gratum

tum quid, & patriæ ſuæ decorum ageret, eam ab æmulis ſuis, & iniquis oppugnari; Nobilitates veſtras hortamur in Domino, & omni ſtudio requirimus, per eum, cui hoc templum, & hæc dicata, & conſecrata erectio eſt, Salvatorem noſtrum, ut curetis atque efficiatis, quò hæc noſtra ordinatio, & erectio ſuum debitum conſequatur effectum, neque ullius malitia, aut cupiditate aut ſuggeſtione apud vos impediatur: quod erit certe maxime religioni, & virtuti veſtræ conveniens, conſcientiæque ſalutare, nobis vero pergratum; atque eo etiam gratius, quod re ipſa cognoſcemus; plus apud Nobilitates veſtras authoritatem, & interceſſionem noſtram, quam aliquorum alienis bonis prave obtrectantium falſas cauſas, & fictos ſermones valuiſſe. Datum Romæ 1519.

Leo X. Sadol.

ANNO MDXXI.

LXIV. *PRIORI MAGNÆ CARTHVSIÆ* [1].

Dilecte Fili. Neceſſariò opus habentes opera dil. fil. Jo. Bapt. Prioris Triſulh, qui in veſtro religioſo, & ſacro Ordine profeſſus, a nobis ad

1 Ut Jo. Baptiſtam Priorem Triſulh ad Pontificia negotia peragenda dimittat. Triſultum, opinor, celebre Carthuſianorum Monaſterium intelligit, qui locus Triſaltus olim dictus. De eo Lubin *in Abbat. Italiæ; Abbatia tit. S. Bartholomæi de Triſulto Ord. S.B. ſive nigrorum Monachorum in Diœceſi Ala-*

ad magna noſtra, & Sedis Apoſtolicæ negotia tractanda idoneus judicatus eſt, cum etiam noſtra de eo opinio magis ex eo confirmetur, quod Ordo iſte & probitatem ingeneret hominibus, & fidem; decrevimus eum ad loca nonnulla mittere mandata noſtra curaturum, cumque id pro ſua religione & obedientia, tuam ad hoc accedere cupiat voluntatem & licentiam, duximus ad Devotionem tuam ſcribendum, te in Domino hortantes, ac in virtute ſanctæ obedientiæ requirentes, tibique mandantes, ut dicto Johanni Baptiſtæ ad peragendas commiſſiones noſtras quò opus fuerit profecturo, benigne, ac libenter facultatem & licentiam præbeas; quoad commiſſiones noſtras executus fuerit, tùm peregrinandi, & ad varias regiones ac loca ſe conferendi, tùm quibus in locis monaſteria veſtri Ordinis extiterint ad ea ſi placuerit divertendi, & juxta obſervantiam regulæ veſtræ, aut in communione cum ceteris fratribus, aut in aliis hoſpitalibus, quot dies opportunum fuerit permanendi, indeque egrediendi, & cum negotium noſtrum poſtulaverit, eodem revertendi, aliaque agendi, per quæ ea quæ ad nos & ſanctam Sedem Apoſtolicam magnopere pertinent, curare, & tractare commode, ac ſine ullo ſcrupulo negotiari poſſit. In qua

Alatrina quinquageſimo ab urbe Roma milliario. In hanc a. 1208. per Innocentium III. Papam Pontificatus anno 5. introducti ſunt Carthuſiani. Quis Jo. ille Baptiſta fuerit, me latet. In hunc locum ideo rejecimus hanc epiſtolam, quòd annus ſit incertus. Codex librarii cum annum præferebat 1525. qui Pontificatui Leonis non convenit: annus forte 1521.

qua re, ſi ut volumus, facilitatem & voluntatem huic miſſioni noſtræ omnino accomodaris, facies rem nobis gratiſſimam. Datum Romæ.

Leo X. Sadol.

LXV. *DESIDERIO ERASMO ROTERODAMO*[1].

Dilecte fili ſalutem &c. Gratæ nobis admodum fuerunt litteræ tuæ: declararunt enim id, de quo addubitare aliquantum cœperamus, neque tantum

1 Eraſmi litteris reſpondet, quibus ſe optima in Sedem Romanam voluntate eſſe ſignificabat. Multum Catholicæ rei incommodaſſe Eraſmum, præſertim cum a Friderico Electore Saſſoniæ requiſitus, quid de Luthero ſentiret, excipere viſus eſt dumtaxat nimiam ſcribendi acerbitatem, cætera non improbare; omnes norunt. Atque illud etiam conſtat, ſæpius eum contra Lutheranos declamaſſe & Catholicorum partes ſuſcepiſſe. Itaque nunquam illum inter ſuos Heterodoxi homines numerare potuerunt; *qui noſter profecto non fuit* (inquit Georgius Calixtus *in Apparat. Theol.*) *neque eſſe vel audire unquam voluit.* Mirum ergo non eſt, indulgentiorem erga illum fuiſſe Sadoletum proprio nomine eum ſcriberet, atque ad eum ſcribentem nomine Leonis. Ceterum inter eos qui excuſare eum quoquomodo conantur, & qui vehementiſſime accuſant, placet Caniſii noſtri de Eraſmo atque ejus operibus judicium *De corruptel. Verb. D. lib. 5. cap. 10. Nondum anni ſunt 2. quod Eraſmus Roterodamus in humanis fuit, vir ſane ſua ætate ubique percelebris & præclare inter doctos exiſtimationis. Fuit in eo, quod negari non poteſt, ingenium lepidum, & perjucundum, Latinæ Græcæque linguæ peritia ſingularis, eruditio multiplex, mira ſcribendi facilitas & copia, eloquentia vero, ut illis temporibus, rara & admirabilis. Ceterum, quemadmodum diligentia ejus & doctrina ad bonarum artium ſtudia excitanda & a barbarie vindicanda, multis haud parum contulit, ita rurſus, ſi libere dicendum eſt, in rebus Chriſtianæ Religionis & quæ ad Theologiam ſpectant, tum ſibi tum aliis haud parum incommodavit. Etenim qua ipſe uſus eſt, hanc alios etiam docuit immodicam libertatem in Veterum ſcriptis, in Eccleſiæ conſtitutionibus, in Theologorum ſententiis, in publicis ritibus judicandis, imo & convellendis atque exagitandis. Igitur, quod Veteres de Philone viro diſertiſſimo dicere conſueverunt; aut Philo Platonizat, aut Plato Philonizat; hoc permulti de ipſo etiam tandem pronuntiarunt in hunc modum; aut Eraſmus Lutherizat,* aut

tum ex quorumdam quamvis prudentium & proborum teſtimonio, quantum ex ſcriptis nonnullis tuis quæ circumferuntur; te nihilominus egregia & conſtante eſſe cùm in nos ſanctamque hanc Apoſtolicam Sedem, tùm erga communem pacem concordiamque, & inprimis publicam Chriſtianam & rem & legem voluntate; quod profecto præclare convenit, & huic ingenio, quod Dei beneficio ſummum ad optimas diſciplinas attuliſti, & eis ſtudiis pietatis, quæ ſemper es profeſſus. Itaque nos, quorum ſæpe ob animum verſabatur tui quamquam abſentis memoria, cum de tuis eximiis virtutibus ali-

aut Lutherus Eraſmizat. Et tamen fatendum eſt, ſi ſincere judicare velimus, inter Eraſmum & Lutherum permultum intereſſe. Ille Catholicum ſemper nomen retinuit, hic Eccleſiæ Catholicæ manifeſtus non ſolum deſertor ſed impius etiam oppugnator, multarumque Sectarum caput extitit: ille arte potius quam poteſtate, ſicut de Juliano *dixit Oroſius, religionem eſt inſectatus, magnam ſæpe ſuis vel opinionibus vel erroribus cautionem ac moderationem adhibens; hic autem natura vehemens, turbulentus, ardens, factioſus modum omnem exceſſit, ad extremaque ruit præceps, tam arrogans ut nulli cederet, tam durus & pertinax in ſententiis, ut ſuis etiam ſæpe viſus ſit intolerabilis, tanto demum Eccleſiæ odio inflammatus, ut ad illius exitium aperto marte & furioſiſſime nihil non moliretur. Judicavit Eraſmus quæ in Theologorum doctrina & Eccleſia improbanda, corrigendaque putabat, atque ita ſive ſciens, ſive imprudens Momum egit, ut magnam ſimul feneſtram Luthero & aliis aperuerit ad* Religionem *univerſam innovandam, & ad tumultus eos concitandos, quos in Chriſtiano orbe nunc maximo malo conſecutos eſſe videmus, ſatiſque deplorare non poſſumus. Unde illud etiam a multis uſurpari cæpit; ubi Eraſmus innuit, ſive joco ſcilicet, ſive ſerio agens, illic Lutherus irruit, & quæ ille ova poſuit, hic tandem excubavit. Illud certo conſtat, Theologica Eraſmi ſcripta, quæ permulta ille quidem edidit, nec poſſe hodie, nec debere undequaque defendi: quandoquidem cenſura Eccleſiaſtica quæ apud Orthodoxos quidem valet ac valere debet plurimum, Eraſmica ſcripta, paucis exceptis, legi vetuit, & graviſſimas ob cauſſas, licèt Auctorem ipſum non damnaverit, tamen ejus opera, velut lectoribus obfutura potius quam profutura improbavit.* Alias Leonis litteras editas habes *tom. 3. oper. Eraſm. ep.* 179. 193. & præterea *lib. 2. ep. 4. lib. 29. ep. 80. edit. epiſt. Londin. a.* 1642.

aliquo præmio honeſtandis cogitaremus, pauliſper ex ea opinione deturbati, valde jucunde accipimus, reſtitutam in nobis eſſe, officio & diligentia litterarum tuarum, mentem priſtinam diligendi tui. Atque utinam, quod jam nobis conſtat certumque eſt de officio & voluntate tua in hanc Sedem Sanctam, communemque Dei fidem, id apud ceteros omnes cerneremus conſtare. Nam nec tempus ullum opportunius, nec cauſa juſtior unquam fuit, ingenium atque doctrinam impiis hominibus opponendi: nec vero quiſquam ipſo te, ut noſtrum eſt de tua eruditione judicium, ad tam laudabile opus aptior; in quo elaborant quidem & elaborarunt permulti ſumma cum pietatis & ſcientiæ fama. Sed & illorum corda direxit Deus, & de te tuæ prudentiæ permittendum eſt. Nos ad probra & contumelias ſeditioſorum hominum, divina ope & patientia armati illud magis moleſte ferimus, quod cum zizaniis non parum bonæ ſegetis corrumpitur, omniſque de grege nobis credito jactura animum noſtrum ſolicitudine afficit. Quì enim poſſumus non dolere detrimento bonarum mentium quæ trahuntur in errorem, cum iſtos ipſos errorum & impietatis auctores ſalvos eſſe cupiamus? Sed neque deerit nobis Deus, neque nos muneri atque officio noſtro ſumus defuturi. Quod autem ad litteras tuas attinet, nos & de tua optima voluntate certum jam habemus, & tuum adventum in hanc urbem, quandocumque is fuerit, læte & gratanter

ſumus

ſumus accepturi. Datum Romæ 11. Januar. 1521. Anno octavo.

Jacobus Sadoletus

LXVI. Chariſſimo in Chriſto filio noſtro Carolo Regi Catholico in Romanorum Imperatorem electo.

LEO X.[1]

CHariſſime in Chriſto fili noſter ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Aliàs Celſitudini tuæ per litteras & nuncios noſtros ſignificavimus, quod cum plures falſi & hæretici errores in inclita Germaniæ tuæ natione, auctore quodam Martino Luthero, ſeminati, & in libris impreſſi publice divulgati fuiſſent, ac nonnulli alii ab eodem Martino ſeditionis materiam quærente ſeducti, hujuſmodi erroribus adhæſiſſent, ſicque alios inſuper ipſi excogitaſſent; nos, quorum proprium officium eſt vineam Domini, hujuſmodi vepribus in ea naſcentibus

[1] Anno ſuperiori 1720. XVII. Kalend. Jul. Leo Bullam *Exurge Domine* (quam recitat Raynaldus *num.* 51. extatque in *Bullario Romano*) contra Lutherum emiſerat, in qua erroribus ejus XLI. recenſitis illum monuerat ut ab eis recederet. A. 1721. III. Non. Jan. aliam pariter emiſit *Decet Romanum Pontificem*, quæ in *Bullario* pariter extat, & ſine proemio ap. Raynaldum *num.* 1. in qua Lutherum, & qui eum ſequuntur non reſipiſcentes, ſed magis obfirmatos damnat, decernitque, in Hæreticorum pœnas eos incurriſſe. His ergo litteris Carolum hortatur ut Apoſtolicas *Bullas* executioni mandari curet, Hæreticoſque plecti. Præter has litteras, alias ſcripſit eodem exemplo ad Cardinales, Principes &c. quæ huic ſubjiciuntur. Imminebat enim Conventus Wormatienſis; & multi qui Luthero primò adhæſerant poſtea reſipuerant, ut Leo hac altera *Bulla* narrat.

tibus purgare, ac Dei Eccleſiæ unitatem, quantum in nobis eſt, præeunte ſemper Domino conſervare, ac periculis & offenſionibus præſertim latiùs, & in complurium detrimentum manantibus obviare, re diligentiſſime prius cum Conſilio diſcuſſa, de Fratrum noſtrorum ſententia errores ipſos partim falſos ac hæreticos, partim vero a Chriſtiana pietate aberrantes, & rectas lædentes conſcientias judicando damnavimus, ac ejuſdem Martini libros dictos errores, ſeu aliquem eorum in ſe continentes, igni comburi; ipſique Martino, ut ab omni prædicatione & diſputatione abſtineret, ac intra certum tunc expreſſum terminum libros ab ſeſe editos combureret, erroreſque in dictis libris contentos revocaret, & de revocatione ipſa nos certiores faceret, vel ipſe ad nos ſub fide noſtra de ſalvo conductu ei a nobis conceſſo veniret, præcepimus, atque mandavimus. Quibus mandatis noſtris cum parere is contempſiſſet, ac in falſa ſua ſententia pertinax eſſe, quam ſaniori conſilio obtemperare maluiſſet; nos ipſum patientia noſtra abutentem, omneſque illi adhærentes, ejuſque fautores & receptatores, tamquam notorios & pertinaces hæreticos fuiſſe & eſſe, per quaſdam litteras declaravimus: & ut præmiſſa ad ipſius Martini & aliorum notitiam pervenire poſſent, litteras ipſas in alma Urbe noſtra certis in locis publicari fecimus, & per Germaniam quoque, ope & auxilio ejuſdem Celſitudinis tuæ publicari mandavimus, ſperantes, quod

ipſe Martinus hujus ſanctæ Sedis mandatis obedire, ac ejus determinationi de ſacræ Theologiæ magiſtrorum & juris utriuſque profeſſorum conſultatione, & eorumdem Fratrum conſilio & aſſenſu factæ acquieſceret in his, quæ non ſolum a nobis, ſed etiam antea, nobis necdum opinantibus, de majoris partis decreto a magiſtris univerſitatum Lovanien. & Colonien. pro orthodoxæ fidei veritate conſervanda damnata fuerunt; non ſibi ſoli arroganter, ſed plurimorum ſententiæ credere, & ipſos errores revocare, & ad noſtrum ac ipſius Eccleſiæ gremium redire tandem animum induceret. Nuper autem ex Nuncio noſtro intelleximus, Celſitudinem tuam officium advocati Eccleſiæ, cujus nominis ex ſua in Imperatorem electione ſibi comparavit, in mandatorum noſtrorum debita executione præſtitiſſe, & quantum in ea fuit, in nulla re defuiſſe, quò ipſe Martinus reſipiſceret, & ad viam veritatis rediret: prout etiam nos nullum officium prætermiſimus, ut ejus animam Deo lucri faceremus, ac pii inſtar paſtoris ovem perditam ad caulam reduceremus, & filium prodigum benigne reciperemus. Qui cum medicinam ſalutarem & paternam noſtram monitionem ſpreverit, & non ſolum ſe non emendaverit, ſed pejora prioribus fecerit & faciat in dies; & præmio & pœna ſibi per nos oblatis, pœnam potius quam præmium habere, impiuſque hæreticus eſſe, & membrum putridum fieri, & a fidelium conſortio excludi voluerit, & plures

plures alios ad nefariam ſectam ſuam perduxerit, ſuumque potius nomen per impietatem & pertinaciam celebrari, quam Dei gloriam, pie & humiliter ſe gerendo, collaudari præoptaverit; nos ipſum alioſque cum eo quoſdam, ex quorum ſcriptis notorie nobis conſtitit, ipſum Lutherum ac falſa ejus ſcripta eos fuiſſe imitatos, & alios in publicatione aliarum litterarum nominandos, ac alios illis àdhærentes, illorumque fautores & receptatores, notorios hæreticos eſſe declaravimus. Nunc vero, quod reliquum eſt, attendentes, quantum periculi Catholicis omnibus imminere atque accidere poſſet, ſi, quod abſit, debita litterarum, & ſententiæ declaratoriæ noſtræ hujuſmodi executio differretur; cujuſvemodi detrimentum ſuccederet, ſi mora quamvis parva interponeretur, quominus creſcenti peſti, ac morbo invaleſcenti occurreretur; cum, quod noſtri officii erat id conſiderate ac diligenter per nos fuerit effectum, (ſiquidem ſacræ Theologiæ ac utriuſque juris profeſſoribus in conſilium vocatis, ac rebus omnibus, una cum Fratribus noſtris diligenter excuſſis & examinatis, præfati Martini, ejuſque ſequacium falſos ac damnabiles errores damnavimus, eorumque auctores ipſos tamquam morbidas pecudes, ne totum gregem corrumperent, excluſimus, ac cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas denuntiavimus prius, deinde etiam inflximus, adeo ut nihil ſupereſſe videatur, niſi ut quorum eſt hæc poteſtas, mandata hi noſtra exe-

cutioni debitæ mandari procurent) mente noſtra revolventes , neminem ex omnibus Regibus & Principibus Chriſtianis eſſe , ad quem magis quam ad Celſitudinem tuam pertineat, nobiſcum pro Catholicæ Fidei veritate laborare , opportuneque providere , & quod veteres Catholici Imperatores tam e Græcia , quam Germania , non ſolum exilio & pœnis , ſed ſuis etiam ſacratiſſimis legibus omnes a Catholicæ Religionis tramite deviantes hæreticos cenſeri , ac ei hominum generi nihil ex rationibus , nihil ex legibus commune cum ceteris , publicumque hoc crimen eſſe , decrevere ; quia quod in religionem divinam committitur , in omnes committi , ac omnibus injuriam inferri videtur , & eos qui talia præſumerent , in Romano ſolo commorandi non debere habere facultatem , quin imo nil his reliquendum loci eſſe , qui ipſis etiam elementis injuriam facerent , nec ſolum Hæreticorum perſonas ſed eorum libros ac monumenta perſecuti , illa ignibus tradi mandaverunt , ne videlicet adeo facinoroſæ perverſitatis veſtigia extarent aliqua , ſed flammis combuſta penitus ex hominum oculis & memoria tollerentur , ac immanem ſceleris & ſacrilegii magnitudinem par pœna ſequeretur ; hæc nos claræ memoriæ Prædeceſſorum tuorum facinora egregia , plena ſapientiæ & veræ pietatis , de quorum gloria nulla unquam ætas conticeſcet , nobis ante oculos proponentes , ac cum tua Celſitudine conferentes , ſpe certa ſumus:

mus: quos tu cæleſtis erga te benevolentiæ donis viciſti, eos etiam pietate in Deum, & omni virtute ſuperaturum. Quem enim unquam Deus ſua mirabili providentia tam virenti ætate ad ſummum imperium vocavit? cui largius & in honore & in judicio indulſit unquam? quem majoribus & firmioribus ſurgere fundamentis, & niti ad ampliſſimam laudem ſperandam voluit? Accinxit te terrenæ poteſtatis ſupremo gladio, quem fruſtra profecto ferres, juxta Pauli Apoſtoli ſententiam, niſi eo uterere, cùm adverſus infideles, tùm adverſus infidelibus multo deteriores Hæreticos. Hac ergo tuæ magnitudinis, qua, ut imperio ita pietate maxima debes, ſpe freti; tibique in memoriam reducentes, hanc primam eſſe oblatam occaſionem declarandi, quàm tibi unitas & quies Catholicæ Eccleſiæ cordi ſit, Celſitudinem tuam hortamur in Domino, & per viſcera miſericordiæ Dei omnipotentis requirimus, ut eorumdem more Prædeceſſorum tuorum, qui Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris in rebus dubiis ac periculoſis ſemper aſtiterunt, velis tanquam Princeps Catholicus, & de quo omnia, quæ per te pro Fidei Catholicæ exaltatione præſtari poſſunt, nobis promiſimus, cum debita executione litterarum declaratoriarum ſententiarum noſtrarum, nobiſcum, ut decet, convenire, & ut omnibus Chriſtifidelibus id innoteſcat, per tuum generale edictum in omnibus civitatibus & locis Germaniæ publicari curare,

eumdem Martinum, & alios Hæreticos ei adhærentes, ac ejus fautores & receptatores, ipſiuſque perverſitatem ſequentes, illis pœnis quæ in litteris noſtris contra eos decretæ fuerunt, niſi reſipiſcant, plecti jubendo, ac civitatum rectoribus & provinciarum tuarum moderatoribus, earumdem apparitoribus, & aliis officialibus, ſub pœnis, de quibus tibi videbitur, mandare, ut per publicum edictum omnibus declarent atque ſignificent, ſe contra eumdem Martinum, ac Hæreticos ipſos damnatos, ei adhærentes, eorumque fautores, juxta litterarum noſtrarum tenorem eſſe proceſſuros. Præſtabis enim in hoc Salvatori noſtro Jeſu Chriſto obſequium in primis acceptiſſimum, propter quod diffuſius extollet gloriam tuæ Majeſtatis & famam, quæ etiam in poſteros tuos cum laude maxima deſcendet, & ultra æternæ vitæ præmium, quod exinde tibi proveniet, reperies nos & hanc ſanctam Sedem Apoſtolicam ad omnia quæ honorem & ſtatum tuæ Celſitudinis concernere poterunt, omni cum benedictione promptos. Datum Romæ apud S. Petrum ſub anulo Piſcatoris die XVIII. Januarii MDXXI. Pontificatus noſtri anno 8.

Ja. Sadoletus

LXVII.

LXVII. *CARDINALI EPISCOPO NOBILI*.

INtelleximus ex litteris dilectorum filiorum Marini Caraccioli & Hieronymi Aleandri Nuntiorum noſtrorum [1], qua virtute Nobilitas tua in cauſa non ſolum noſtra, Sediſque ſanctæ Apoſtolicæ, ſed univerſæ jam Fidei Chriſtianæ, adverſus eam violare conantes ſe geſſerit, & quemadmodum ſuam pietatem & prudentiam contra impios & ſeditioſos homines pro unitate Chriſtiani corporis conſervanda ſe oppoſuerit; quod profecto nobis auditu fuit gratiſſimum: & licèt huic tuo operi atque officio præmii locus in cælo & apud Deum omnipotentem dignior & major comparatus ſit; tamen nos quoque agimus tuæ Nobilitati magnas in Domino gratias, hancque actionem tuam digniſſimam tua virtute & in Deum ſummum vere Chriſtiana pietate, omni laude commendamus; quodque eſt reliquum, hortamur eamdem tuam Nobilitatem in

 Do-

1 Hos miſſos in Germaniam, *qui Pontificiæ Bullæ executionem urgerent* narrat Ulembergius *cap. 5. Vit. Luth.* Quid ab iis geſtum ſit tradit Johan. Cochlæus *de act. & ſcript. Luth. ad a.* 1520. *Venerat jam Carolus V. Imp. ex Hiſpaniis per Oceanum in Flandriam & Brabantiam terras ſuas hæreditarias, Imperialia comitia celebraturus* Wormaciæ. *Qui, ubi a nunciis Apoſtolicis Marino Caracciolo & Hieronymo Aleandro acceperet, Bullam Papæ Leonis X. contra Lutheri libros editam, memor titulorum ſuorum, cum diceretur & eſſet Rex Catholicus Hiſpaniarum ac Imp. RR. religioſæ ſuæ & pietatis & obedientiæ mox certiſſima exhibuit indicia, ſevere præcipiendo ut Lutheri libri a Sede Apoſtolica damnati publice comburerentur. Combuſti ſunt igitur per lictores & carnifices tum in Brabantiæ urbibus, tum in civitatibus Imperii, Coloniæ, Moguntiæ.* Acta ab Aleandro præſertim in Conventu Wormatienſi deſcribit idem Cochlæus ad a. 1521.

Domino, ut ſuſceptam ſemel Fidei ſanctæ Catholicæ, & ejus cui Deo dante præſidemus Sedis Apoſtolicæ propugnationem, pari virtute & conſtantia in poſterum tueare; ut ſi fieri poteſt, etiam iſti qui & Deum, & communem pacem unitatemque Chriſtianam diſcindere quærunt, ad ſalutarem pœnitentiam converſi, veniam admiſſi erroris promereantur, aut ſi maligno ſpiritu obcæcati in pravitate perſiſtent, ne contagione noceant, a bonis mentibus fidelium arceantur? Quod apud ſummum Deum tibi fructuoſum, apud omnes homines tibi futurum eſt glorioſum, nobis vero ſupra omnia gratiſſimum; ſicut latius cum Nobilitate tua dilecti filii Martinus Caracciolus & Hieronymus Aleander notarii & nuntii noſtri, vel alter eorum noſtro nomine aget, quibus plenam fidem habebis. Datum Romæ 25. Febr. 1521. anno octavo.

Cardinalibus
Nobilibus
Quatuor Prælatis
Quatuor aliis

LXVIII. *NOBILI VEL PRÆLATO.*

Dilecte Fili &c, Litteris Nunciorum noſtrorum, teſtimoniiſque multorum ad nos perlatum eſt, Nobilitatem tuam in hac adverſus Lutherum cauſa, in qua Catholicæ Fidei ſalus & veritas conſiſtebat,

bat, tantam præſtitiſſe virtutem, ac damnandis Martini erroribus, ipſoque pro hæretico, ut quidem eſt, reputando, ita religioſe & graviter ſe geſſiſſe, ut nos & Deo & tibi maximarum gratiarum debitores ſimus: Deo, quod is animum tuum ſui ſancti Spiritus igne ad defenſionem veritatis accenderit; tibi, qnod conſtantia & pietate tua dignum eidem Spiritui Sancto in tuo pectore domicilium præbuiſti; hocque maxime neceſſario tempore contra impium furorem novæ debacchantis hæreſeos & auctoritatem tuam omnem & prudentiam oppoſuiſti. Quod cùm virtute tua & nobilitate dignum, tùm iſto ipſo chariſſimo in Chriſto filio noſtro Cæſare fuit digniſſimum, cujus ut honor maximus, ſic pietatis laus in hoc opere ſanctiſſimo præcipua fuit. Ac nos quidem memoriam tanti tui officii perpetuam in animo retinebimus; ipſe autem Deus ſpectator idem & remunerator bonorum operum, cui hæc a te opera navata eſt, & cui multorum fidelium animæ per te ſunt vel ſervatæ vel redditæ, ea tibi præmia large conferet, quæ ſunt omnibus humanis cogitationibus majora. Nunc quod reliquum eſt &c. *ut in Brevi Electorum.*

LXIX.

LXIX. *MARCHIONI BRANDEBURGENSI*.[1]

DIlecte Fili &c. Agimus Nobilitati tuæ denuo gratias; quod officium ſæpe jam præſtitimus, & ut videtur ſumus præſtituri: cum, ſi tua eximia in hanc ſanctam Sedem & univerſam Fidem Catholicam quotidianaque merita expendantur, nulla videatur oratio præſtantiſſimæ tuæ virtuti ac pietati reperiri poſſe par. Et quidem in officio, quod ad communem Chriſtianæ Reip. pertinet ſalutem, ita ſe gerit tua Nobilitas, ut facile appareat, multum te in eo amori quoque noſtro tribuere & ei quam erga nos geris benevolentiæ. Sed etſi probris & contumeliis hominum, omnia uno incendio & fidem & pacem & communem concordiam diſſipare volentium, quotidie perſona noſtra impetitur; minus multo id ægre ferimus, quam quod venenatis eorum & ſermonibus & ſcriptis bonæ & piæ mentes in unitate ſanctæFidei perturbantur:ut ſi omnis eorum furor in odium noſtri erumperet, nec divinam cauſam violare pergeret; quam eis libenter ignoſceremus, quam lætaremur, occaſionem oblatam exercendæ noſtræ & benignitatis, & clementiæ?

1 Eſt hic Joachimus Marchio Brandeburgenſis, cujus in Remp. Chriſtianam *obſequium atq. cultum*, in ſe ipſum vero *veterem obſervantiam & ſtudium* Leo prædicat *ep.* 24. *lib.* 11. *Bemb.* Clemens VII. in litteris ap. Raynaldum *ad a.* 1530. *n.* 90. affirmat ſibi narraſſe Cardinalem Campegium, *non potuiſſe illum aut ſentire præclarius, aut loqui ardentius aut ſe gerere dignius in ea perſona pientiſſimi Electoris & Principis, quam ei Deus omnipotens ad ſuæ Religionis tutelam hoc tempore contulit*.

tiæ? Sed in Dei honore, in Fidei ſanctæ Catholicæ cauſa, ſi ſevere & acriter aut egimus aut ſumus acturi, non id hominum etiam inimiciſſimorum odio, quos & nos ipſi ſalvos eſſe cupimus, ſed noſtro urgente officio eſt faciendum; quamquam illis brevis ad ſalutem via parata eſt pœnitentia. Verum quod nobis ſcribentibus fuerat propoſitum, & gratias tuæ Nobilitati maximas agimus, & ut obnitaris tua iſta ſingulari auctoritate & prudentia, ad extinguendum, quoad licitum fuerit, incendium, tuam Nobilitatem plurimum in Domino hortamur; ſicut cum eadem dilecti filii Nuncii noſtri agent, quibus fidem omnem habebit. Datum Romæ 16. Martii 1521. Anno VIII..

Simile Moguntino Cardinali [1].

LXX. *OFFICIALI TREVIRENSI* [2].

Dilecte Fiii &c. Ex litteris noſtrorum, & præterea multorum iſthinc nunciis cognovimus, qua tua devotio virtute, qua conſtantia, Spiritus certe ſancti afflata ardore, impiam Martini Lutheri & mentem & ſententiam confutaverit, ipſumque & Patrum, Majorumque noſtrorum, & ſanctiſſimorum Occumenicorum conciliorum decretis, ſanctio-

1 Alberto nimirum Joachimi fratri, qui ſedit Moguntinus Archiepiſcopus ab a. 1514. ad 1545. creatus autem eſt Cardinalis a Leone a. 1518. V. Serarium *lib. v. rer. Mogunt. & Hiſtoriam duorum actuum a.* 1513. *Auguſtæ habitorum*; quorum unus ad Albertum hunc pertinet & diem quo rubrum galerum ſolemni pompa induit.

2 Joanni ab Eck.

ctionibus, inſtitutis impudenter ac temere derogantem, aptis & expeditis interrogationibus ita irretierit [1], ut jam omnibus apparere incipiat manifeſtò, eum innovare omnia voluiſſe, non ut corrigeret, ſed ut perturbaret populum ſanctum Dei, & tamquam miniſter Satanæ rectum dogma Catholicæ obſervantiæ ad perniciem animarum, & ſuam nimis gloriæ cupiditatem perverteret. Quæ res, utpote tanta virtute & pietate geſta, quantam horum temporum gravitas & commune Reip. periculum poſtulabat, etſi Deum omnipotentem & laudatorem ſimul & remuneratorem habitura eſt, nobis tamen ita grata accidit, tanta eam cum lætitia audivimus, ut poſſimus Devotioni tuæ affirmare, nihil nos nec jucundius hoc tempore, nec, ut etiam arbitramur, ad communem omnium fidelium ſalutem accomodatius accipere potuiſſe. Si enim huic ſanctæ Sedi Apoſtolicæ, cui divina providentia præſidemus, omnia debentur a nobis; gratiſſimam habeamus neceſſe eſt ejus per te ſuſceptam propugnationem: ſi vero pro Catholica veritate tuenda & pro grege noſtro a laqueis Satanæ liberando, & omnia perferre quamvis aſpera & gravia, & mori

etiam

1 Teſtatus eſt ipſe Lutherus in Actis Wormacienſibus a ſe deſcriptis: *Orator Imperii dixit, me non ad rem reſpondiſſe &c.* Cochlæus ad a. 1521. interrogationes ejus narrat: *Orator itaque Cæſaris Joannes ab Eck vir eloquens, & juris peritus, Officialis generalis Archiepiſcopi Treverenſis Principis Electoris Lutherum primò Latine, deinde Germane hunc in modum allocutus eſt. Cæſarea Majeſtas huc te, Martine Luthere, accivit his duabus de cauſſis. Principio, ut libros hactenus tuo nomine vulgatos agnoſcas hic coram ſi tuum ſunt. Deinde jam agnitos, an omnes potius haberi, an quicquam ex eis revocare velis. Ad hæc &c.*

etiam poſſumus; quo accipiemus gaudio talem per te publicæ ſaluti navatam operam, ex qua aditus factus ſit ad hanc immanem peſtem ex cordibus & mentibus Chriſtiani populi excindendam? Quod cum ita ſit, reſque Deo auſpice bene cœpta, per tuam virtutem & chariſſimi in Chriſto filii noſtri Cæſaris animi excellentiam, ceterorumque Procerum rectam voluntatem, ad ſuum ſperatum finem directa ſit; te non ſolum vehementer commendamus in Domino, ſed inſuper gratias agimus: quamquam te volumus in toto hoc negocio non nos ipſos gratiamve noſtram, ſed Deum & Dei Fidem & Reip. ſalutem intueri. Verum hæc quoque acceſſura ſunt; quæ ita nobis in animo ſunt infixa, ut donec tuam egregiam virtutem aliquo noſtræ liberalitatis inſigni teſtimonio non ornaverimus, non ſatis videamur eſſe quieturi; ſicut latius tecum Nuncii noſtri noſtro nomine loquentur, quibus fidem habebis. Datum in villa noſtra Malliana die prima Maji 1521.

LXXI. *CÆSARI*[1].

CHariſſime &c. Cum in hac Catholicæ Fidei cauſa te advocato hujus ſanctæ Sedis adverſus impias opiniones novorum hæreticorum, ac filium præ-

1 Carolum laudat, quod in Comitiis Wormatiæ ſententiam tulerit adverſus Lutherum, qua cavit, ne palam concionaretur, neve populo prava ſua dogmata inſtillare pergeret; ſtatuitque adverſus eum agere tamquam *notorium hæreticum*. Extat hæc ſententia latine reddita (lingua enim Burgundica ſcripta a Carolo fuerat) apud Cochlæum *de Act. Luth. ad h. a.*

præcipue iniquitatis Martinum defendenda, ea expectaremus de tuæ Majeſtatis animo atque judicio, quæ de maximo Principe & præſtantiſſimo Cæſare poterant expectari, fatebimur tamen verum; longe vicit virtus tua noſtram expectationem. Ita enim ad nos omnium conſtanti voce perlatum eſt, tantam in te gravitatem, tam admirabilem inſignemque ſapientiam, tantum in te extitiſſe ſervandæ & cuſtodiendæ ejus, quam a Deo & patribus noſtris accepimus, Religionis ſtudium, ut omnibus manifeſte apparuerit, Deum tibi comitem, & Dei ſpiritum tuis optimis conſiliis adfuiſſe. Res igitur acta per te omnibus ſæculis memorabilis, exemplum ſalutare. Ceteros enim cernimus, auctoritatem tuam in damnanda perfidi hominis contumacia facile ſecutos. Quid modus? aut quonam hæc a te ſtudio geſta ſunt? quæ magnitudo animi? quæ conſtantia? cujuſmodi erga Deum pietas, digna quidem Cæſare, ſed ſummo & optimo Cæſare? Domine ſalvum fac Regem hunc, & exaudi nos in die qua invocamus te. Quid quod tute decretum tuum conſcripſiſti, altis illis & magnificis verbis exorſus [1]; decere te, ex Ducibus, Archiducibus, Regibus, Imperatoribuſque oriundum ſimilia illis, in Dei omnipotentis honorem & fidei ſuæ ſanctæ ſalutem, agere, nec Majoribus tuis

1 Hoc eſt ejus ſententiæ apud Cochlæum initium: *Vobis conſtat genus me ducere a Chriſtianiſſimis Impp., a nobili natione Germanica, a Catholicis Hiſpaniæ Regibus, ab Archiducibus Auſtriæ, a Burgundiæ Ducibus, qui omnes Eccleſiæ Romanæ filii ad mortem uſque fideles perſtitere.*

tuis deeſſe. Scilicet hoc non eſt eſſe ſimilem, ſed longe virtute antecedere. Non enim jam te ex Majorum tuorum exemplo cohortabimur, ſed hæc erit animi tui & virtutis excelſitas, in univerſam poſteritatem omnibus Principibus exemplo. Nos quidem, qui novò quodam amoris affectu erga Majeſtatem tuam incitati ſumus, deprecantes tibi apud omnipotentem Deum omnia proſpera & glorioſa, gratias tibi agimus prò tuo officio tanto, non quas debemus; id enim eſt infinitum, ſed quantas animo capere aut verbis referre poſſumus maximas: quod & perpetuo acturi ſumus, id ſupra omnia deſiderantes, ut aliqua ſeſe nobis offerat occaſio, ut quid de tua ſingulari natura ſentiamus, quantumve tua cauſa cupiamus, poſſimus tibi memorabili aliquo facto declarare: quod tamen Deo auſpice futurum confidimus. Sed & de his omnibus, & quàm optemus, Majeſtatem tuam quæ bene cœpta ſunt ad ſalutarem finem deducere, ſcribimus Nuntiis noſtris, ut cum Majeſtate tua noſtro nomine communicent; quibus illa fidem habere dignabitur. Datum Mallianæ die 4. Maji 1521. anno nono.

Gratias tibi quas poſſumus habemus, Redemptorem noſtrum humiliter deprecantes, tibi concedat proſpera cuncta, impleat ſancta deſideria, tribuatque Majeſtati tuæ ſimilem ſemper animum, & parem virtutem.

Verba manu propria SS. D. N.

LXXII.

LXXII. *ELECTORI* [1].

EX litteris quoque Nunciorum, teſtimoniiſque multorum, tum ipſa in primis fama divulgante, quæ nullum clarius factum latere ſinit, ad nos perlatum eſt, Nobilitatem tuam in hac cauſſa, in qua Catholicæ fidei ſalus & veritas conſiſtebat, tantam præſtitiſſe virtutem, ac damnandis erroribus Martini Lutheri, ipſoque pro hæretico, ut quidem eſt, reputando, tantam adhibuiſſe & religionem ſimul & prudentiam, ut certe Deo gratias agere maximas debeamus, quod talis viri Prælatique animum ſui ſancti Spiritus igne afflaverit, ejuſque conſtantiam & pietatem maxime neceſſario tempore pro ſuæ ſanctæ Fidei candore conſervando contra impium furorem novæ debacchantis hæreſeos ſtare voluerit; quod quidem dignum tua præſtanti virtute, dignum hoc quem geris honore, *dignum genere & Majoribus tuis*; ſed in primis iſto ipſo chariſſimo in Chriſto filio noſtro optimo, religioſiſſimoque Cæſare digniſſimum, cujus ut honor maximus, ſic pietatis laus eximia fuit. Vincit profecto facultatem & vim noſtram, ut vix te pari laude celebrare, vix idoneas gratias agere poſſe videamur. Sed nos memoriam tanti tui beneficii perpetuam in animo retinebimus; ipſe autem Deus ſpe-

[1] Non uni, ſed pluribus miſſum eſt hoc litterarum exemplum, Trevirenſi, Saxoniæ &c.

ſpectator idem & remunerator bonorum operum, cui hæc a te opera navata eſt, & cui multorum fidelium animæ per te ſunt vel ſervatæ vel redditæ, is te profecto jam largis præmiis illuſtrabit; ut quotidie magis perſpecturus ſis, nulla re uberiores percipi fructus, quam vera pietate, & Dei legum mandatorumque obſervantia: quamquam nec nos, ubicumque locus nobis datus fuerit, Nobilitati tuæ deerimus. Nunc, quod reliquum eſt; quoniam falſis & peſtiferis opinionibus damnatis, hominis impii perverſitas & pertinacia frangenda eſt, ipſeque acrius inſequendus, ut nefario fomite errorum ſublato, qui abducti in pravum ſenſum, Satanæ perfidia ſunt, ad veritatis regulam & viam reducantur, hortamur Nobilitatem tuam in Domino, & per viſcera miſericordiæ Dei noſtri obſecramus, ut ſemel ſuſceptam hujus pernicioſæ labis a grege fidelium propulſandæ curam, provinciam, actionemque ad exitum perducas; inſteſque omni tua opera, auctoritate, diligentia, ut peſtilentis hominis, eorumque, qui cum eo ſenſerint pervicaciter, impietas nullum amplius locum inter fideles Dei inveniat, ſed vel exterminata ex omni Germania, vel pœna affecta ſuo exemplo doceat omnes, non eſſe a more Majorum divinitus inſtituto, nec a PP. & ſanctorum Doctorum ſanctionibus diſcedendum: [1] *quod etiam tibi aliquanto ſtudioſius elaborandum eſt,*

 quod

1 In cod. noſtro legitur hæc adnotatio; *verba quæ ſequuntur, & adnotantur, addita tantum ſunt in litteris ad Ducem Saxoniæ.*

quod in corde & viſceribus ſtatus , dominiorumque tuorum , te quidem ut cernimus invito , hoc ulcus enatum latius in perniciem Catholicæ fidei manavit , cui tu pro tua ſingulari ſapientia in primis debes providere . Qua in re Nobilitas tua , & in honorem ſummi Dei publicæ ſaluti Chriſtiani populi proſpexerit & ſe digniſſimum nobiſque gratiſſimum effecerit,ſicut cum ea latius Nuncii iidem noſtri noſtro nomine agent , quibus fidem adhibebit . Datum Mallianæ 4. Maii 1521. Anno nono .

LXXIII. *CONFESSORI.*

DIlecte Fili. Gratum eſt nobis, debere tibi quotidie novas gratias, ut etiam referre poſſimus : ſic enim tua virtus , fides , religioque meretur . Nam quod optimo animo , quod præſtantiſſima pietate , quod ſingulari in Catholicam fidem & ſanctam Sedem Apoſtolicam voluntate eſt Cæſar ; provenit id quidem a Deo potiſſimum , & ab illius optima religioſiſſimaque natura ; ſed & tuæ partes in cohortando non exiguæ fuerunt . Itaque tantum ille Chriſtianæ reip. damnanda Lutheri impietate præſtitit , tam magnifice atque præclare auctoritatem ſuam ceteris exemplo eſſe voluit , ut nihil majus ſit , quod a maximo Principe expectare poſſimus . Agimus igitur ſublatis manibus in Cœlum & Deo , & illi , & Devotioni tuæ ingentes gratias , quas referet tibi quidem Deus , ſed & nos tuo-

tuorum officiorum erga nos memoriam ſumus perpetuam in animo noſtro conſervaturi. Cernimus enim & cognoſcimus, quantum tu elaboraveris, qua cura, quo ſtudio, quanta diligentia fueris adnixus, ut ingens malum pernicioſæ hæreſis, quæ ſenſim Germaniam omnem, tamquam peſtilentia quædam inficiebat, ipſo auctore damnato, comprimeretur, Satanæque per hunc modum in. fidelium greges graſſanti, peſſimorum hominum miniſterium ſurriperetur.. Quæ quoniam a te, Deo auſpice, cœpta & magna ex parte confecta ſunt, de reliquo etſi non es hortandus; ſatis enim te eadem virtus tua religioque adhortatur; tamen Devotionem tuam hortamur in Domino, ut pergere eadem conſtantia, palmamque fractæ & penitus exterminatæ impietatis quærere tibi apud Deum & univerſum populum Dei non poſtponas: in quo quid tua virtus efficere poſſit, ſcimus; de optima voluntate non dubitamus. Certe id quod intelligere potes ipſe, erit hoc tuum tibi officium & apud Deum fructuoſum, & apud homines glorioſum; nobis vero ita gratum, ut quantum Devotioni tuæ pro eo debeamus, loco & tempore ſimus declaraturi: ſicut latius tecum Nuntii noſtri noſtro nomine agent, quibus fidem habebis. Datum Mallianæ die 4. Maii 1521. Anno nono.

LXXIV. *TVDENSI* [1].

VEnerabilis frater &c. Præter nomen virtutis & litterarum, quo fraternitati tuæ jampridem eramus affecti, cum intelligeremus te egregia quadam ingenii & doctrinarum laude florere, accedit duplex jam officium, ut de tua in ſummum Deum pietate, in nos, hancque ſanctam Sedem obſervantia judicare liquido poſſimus. Nam in hac labe peſtifera, quæ per impietatem & ſcelus Lutherianum, in gregis nobis crediti perniciem latius manabat, cum talium virorum, qualis es tu, præſidio in primis Chriſtiana egeret Reſp., ſuſcepiſti tu munus non ſolum agendi & pro Catholica Fide laborandi, quod tibi commune fuit cum multis, ſed etiam contra impios pro defendenda vetere religionis obſervantia, ſcribendi; in quo præcipuam certe laudem, & a nobis ipſis, & omnium eruditorum judicio es conſecutus. At nos cùm illam quidem præclaram orationem tuam libenter legimus, tùm hæc noviſſima lætiſſime accepimus, te, ut Martini hæretica pravitas & perfidia totius concilio Germaniæ damnaretur, iſque pro hæretico reputaretur, omni tua opera & conſilio, gratia, auctoritate contendiſſe: pro quo ſanctiſſimo opere & labore tuo

1 Tudenſem opinor Epiſcopum intelligit Ludovicum Marlianum natione Belgam, qui ſedit ab a. 1518. ad diem 2. Octobris 1521. ut Prudentius de Sandoval in Antiquitat. Tudenſibus Hiſpanice ſcriptis & Bragæ editis a. 1610. *pag.* 191.

tuo agimus fraternitati tuæ magnas gratias. Feciſti enim quod te dignum; quod virtuti tuæ & iſti quam obtines dignitati, conſentaneum; ſed idem Deo acceptiſſimum, nobis gratiſſimum, qui hoc nunquam ex animo & ex memoria noſtra amiſſuri ſumus. Itaque & noſtra tibi prompta voluntas & benignitas in omni occaſione futura eſt parata. Nunc quod ſupereſt, quoniam ut exareſcant rivi omnes errorum, fons ipſe impietatis penitus excindendus eſt, hortamur fraternitatem tuam in Domino, ut quam adhibuit virtutem a principio, eamdem deducat ad extremum; ut jam omnium confeſſione nefarii & contumacis hæretici Martini nec nomen nec veſtigium inter fideles populos in Germania conſiſtat: in quo optimum & conſtantiſſimum habemus Cæſarem; ſed & tua auctoritas non mediocri adjumento Chriſtianæ Reip. eſſe poteſt, ut quidem jam fuit. Quod ſupremum jam in cauſa hac officium tuis priſtinis multis & actionibus & officiis ſummi meriti cumulum adjecturum eſt; ſicut cum fraternitate tua copioſius Nuntii noſtri noſtro nomine agent, quibus fidem habebit. Datum Mallianæ 4. Maji 1521. Anno nono.

LXXV. *GEORGIO DUCI SAXONIÆ* [1].

DIlecte fili &c. Etſi non dubitamus Nobilitatem tuam qua cœpit virtute in cauſa, & Fidei Catholicæ, & S. R. E. adverſus impietatem eorum, qui & novas excitare hæreſes, & veteres ac damnatas revocare conantur, defendenda, eadem uſque ad extremum perſeveraturam; viſum tamen fuit nobis nunc cum tempus maxime opportunum adeſt, operam & auctoritatem tuam ut adhiberes ad refellendos impetus iſtorum, qui præ ſua & ambitione & iniqua iracundia pacem perturbare, zizania ſeminare omnia acerbo incendio permiſcere contendunt, has denuo ad Nobilitatem tuam ſcribere litteras, teque in Domino vehementer exhortari, ut cùm priſtinam tuam virtutem atque prudentiam, tùm veterem laudem Majorum tuorum, quorum in hanc ſanctam Sedem ſemper præclara extitit voluntas, in hoc maxime facto, hoc præcipue tempore, Concilio totius Germaniæ procerum coacto, expromere, & perſpicuam omnibus facere, ac cauſam S. R. E. conſtanter tueri adverſus malignitatem & iniqua conſilia novorum hæreticorum velles; ut præter cauſam Fidei, in cujus ſinceritate atque unitate ſalus omnium noſtrum conſiſtit, communis etiam pax atque concordia, te quoque au-

1 Extat ad eumdem Epiſtola IV. eſt autem hujus commune argumentum cum ſuperioribus, adhortatio ad fidem Catholicam tuendam & profligandos Lutheranos.

auctore & defenſore incolumis conſervetur: quod certe digniſſimum ea qua fulges & animi & generis nobilitate, Deoque acceptiſſimum futurum eſt; nobis vero, qui tuæ Nobilitati ex animo ſemper favimus, gratiſſimum; ſicut tecum latius dilecti filii Marinus Caracciolus & Hieronymus Aleander notarii & nuncii noſtri noſtro nomine agent, quibus ſummam fidem Nobilitas tua habebit. Datum Romæ die XVI. Maji 1521. Anno octavo.

Dilectis filiis Chieregato & Hieronymo de Medicis Canonicis Concordienſibus, vel eorum alteri [1].

LXXVI. *LEO PAPA*

Dilecte fili Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Contulimus nuper dilecto filio Franciſco Chieregato decretorum Doctori cubiculario noſtro Parochialem Eccleſiam S. Vitalis Villæ.... Concordienſis Diœceſis, per obitum bonæ memoriæ Joannis Epiſcopi Catanenſis, illius dum viveret ultimi commendatarii, extra Romanam Curiam defuncti, vacantem, noſtræque & Apoſtolicæ Sedis diſ-

1 Leonis nomine hanc ſcripſit Bembus; ſed hic eidem locum dedimus, quod de Franciſco Clericato ageret ad quem ſequentes epiſtolæ pertinent quas unum in locum conjicere voluimus. De Franciſco Clericato, ſive Cheregato (utroque enim modo latine vocatum invenies) Cochlæus ad an. 1523. & vitæ Hadriani VI. Scriptores: fuit enim Hadriano chariſſimus, ab eo ad conventum Norimbergenſem miſſus. Sed & Leo Clericato plurimum uſus eſt, ut ex his litteris patet. V. & Card. Pallavicinum *Hiſt. C. Tr. lib. 2. cap. 6. n. 9. &c.* Quis ille ſit Jo. Epiſcopus Catanenſis recens mortuus non pronum eſt affirmare.

poſitioni reſervatam, prout in aliis noſtris ſub plumbo conficiendis litteris plenius explicabitur. Cupientes autem ut hujuſmodi noſtræ proviſiones ſuum ut par eſt conſequantur effectum, ac providere volentes, ne dum litteræ ſub plumbo hujuſmodi expediuntur, poſſeſſio dictæ Eccleſiæ per quempiam occupetur indebite, illiuſque fructus diſtrahantur & diſſipentur, vobis per præſentes committimus & mandamus, ut ipſius Eccleſiæ poſſeſſionem fructuſque, redditus, ac proventus, auctoritate noſtra, nomine dicti Franciſci quam citius capiatis & conſervetis, neminique, præterquam eidem Franciſco, vel ejus legitimo Procuratori, cum primum litteras ſub plumbo, ut effertur, iſtuc miſerit expeditas, relaxetis & conſignetis, contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia juris remedia compeſcendo. Datum Romæ apud S. Petrum ſub anulo Piſcatoris die 26. Septembris 1513. Pontificatus noſtri anno primo.

Petrus Bembus.

LXXVII. *LEO PAPA* X.

UNiverſis & ſingulis ad quos hæ noſtræ pervenerint ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum in præſentia contingat, dilectum filium Franciſcum Chieregatum, civem Vicentinum, notarium & cubicularium noſtrum in patriam & ad nonnulla alia loca, ob quædam noſtra & ſua negotia proficiſci;

ciſci;

ciſci; cupientes illum privilegiis, gratiis & immunitatibus, quibus ceteri familiares noſtri potiuntur & gaudent, pariformiter potiri & gaudere; univerſitatem veſtram & veſtrum ſingulos hortamur, civitatum vero & locorum noſtrorum gubernatoribus, locatenentibus, caſtellanis, officialibus, armigeris, ſubditiſque noſtris tenore præſentium mandamus, ut ipſum Franciſcum cum duobus aut tribus famulis, equis, valiſiis, bulgiis, aut quibuſcumque aliis ſarcinulis, ac rebus ſuis, abſque alicujus datii, gabellæ, bulletiarum, aut cujuſvis oneris ſolutione, per quaſcumque civitates, terras, caſtra, loca, paſſus, pontes, & portus, tam ſuos quam noſtros, libere & ſine impedimento ire, morari, tranſire, & redire permittant, ac eumdem benigne tractent, eique ſi opus fuerit, & ipſe duxerit requirendum, de ſcorta & ſalvo conductu provideant: quod erit nobis gratum. Datum Romæ apud S. Petrum ſub anulo Piſcatoris die primo Maji 1514. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Ja. Sadoletus.

LXXVIII.

Cariſſimo in Chriſto filio noſtro Henrico Angliæ Regi illuſtri [1].

LXXVIII. *LEO PAPA* X.

CAriſſime in Chriſto fili noſter ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Dilectum filium Franciſcum de Clericatis cubicularium noſtrum & Apoſtolicæ Sedis notarium, ac juris utriuſque doctorem ad Majeſtatem tuam mittendum duximus, eamdem ex animo & enixe rogantes, ut pro tua in nos,& hanc ſanctam Sedem devotione ac reverentia dilectum filium Polidorum in collectoria iſtius incliti regni nuper officialem noſtrum, quem deliquiſſe non credimus, & ſi quid deliquit, quod certe nondum intelleximus,per alias noſtras id nobis petivimus condonari, libertati & gratiæ priſtinæ reddere, & Collectoriæ domum & reliqua exportata reſtitui mandare velit; ac in primis dilectum filium

1 Commedat Henrico Polidorum, cui commiſſum munus pecunias pro Romana Eccleſia colligendi & Cardinalem Hadrianum Caſtellenſem. Hadrianus hic Bathonienſis Epiſcopus & Cardinalis creatus ab Alexandro VI. Pontifice, Leoni primo cariſſimus,poſtea in ſuſpicionem initæ adverſus eum conſpirationis venit, ut narrat Jovius *lib. 4. Vit. Leonis*, qui addit, eumdem Leonis clementiæ diffidentem ab urbe meſſoris habitu profectum uſque ad vitæ exitum nullo perſequente latebras mutaſſe. Garimbertus ementito habitu Venetias Hadrianum veniſſe tradit, vocatumque a Leone nec parentem, Cardinalatu & Sacerdotiis ſpoliatum, & nihil unquam de illo amplius auditum. Idem fere Pierius Valerianus *de litterat. infel.* Politioribus litteris apprime imbutum teſtatur libellus ab eo editus *de Sermone latino & modis Latine loquendi*. Periculum vitæ aliud,quod adiit, hauſto veneno,narrat idem Jovius *lib. 2. V. magni Conſalvi*.

filium noſtrum Hadrianum tituli S. Chryſogoni Presbyterum Cardinalem Bathonienſem, qui nobis ob ſingulares ejus virtutes, doctrinam, & inſignia in nos & iſtam Sedem merita chariſſimus & acceptiſſimus eſt, & qua poteſt, opera, ſtudio, laudibus, ac ſedulitate, ut aliis noſtris ſcripſimus, de Majeſtate tua, ac toto ejus regno benemereri nunquam deſinit, omni benevolentia proſequi & confovere velit, quod certe erit Majeſtate tua dignum, ac nobis ita gratum, ut gratius profecto eſſe nihil poſſit. Exiſtimabimus enim, quicquid favoris, gratiæ, & beneficii eidem Cardinali conferetur, id omnino in noſtram propriam perſonam eſſe collatum; quemadmodum Majeſtas tua ab ipſo Franciſco coram latius intelliget. Datum Florentiæ ſub anulo Piſcatoris die 1. Decembr. 1515. Pontificatus noſtri anno tertio.

Ja. Sadoletus

LXXIX. *LEO PAPA* X.

UNiverſis & ſingulis ad quos præſentes pervenerint ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum dilectus filius Franciſcus de Chieregatis cubicularius noſter & Apoſtolicæ Sedis Protonotarius, & juris utriuſque doctor de commiſſione noſtra in Galliam & Angliam iturus ſit; nos, prout æquum & rationi conſonum eſt, dignum reputamus, ut præfatum Franciſcum ſingulari prærogativa proſequa-

quamur. Idcirco Devotionem veſtram & veſtrum ſingulos hortamur & requirimus; ſubditis vero noſtris, & gentium armorum capitaneis ac ductoribus, necnon officialibus quibuſcumque expreſſe præcipiendo mandamus, ut pro noſtra & Apoſtolicæ Sedis reverentia eumdem Franciſcum cum comitiva ſua uſque ad numerum quinque, per omnes civitates, terras, oppida, & loca, tam veſtra, quam noſtra, necnon paſſus, portus & pontes quoſlibet abſque ulla gabella datii, pedagii, portorii, fundinavis, aut cujuſvis alterius indicti vel indicendi oneris ſolutione, ire, tranſire, morari, redireque permittatis, non inferendo eis ullam in perſonis vel bonis directe vel indirecte, quovis quæſito colore vel cauſa, moleſtiam ſive impedimentum, & tales vos omnes & ſinguli cum præmiſſis vos geratis, ut apud nos & eamdem Sedem Apoſtolicam valeatis non immerito commendari. Datum Florentiæ ſub anulo Piſcatoris die 11. Decembris 1515. Pontificatus noſtri anno tertio.

Ja. Sadoletus.

LXXX. *LEO PAPA* X.[1]

Dilecto filio Franciſco Chieregato nuncio, notario, & cubiculario noſtro. Dilecte fili ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Intelleximus te certis de cauſis diſtuliſſe trajicere in Angliam, ſicuti

1 V. ep. 78.

cuti tibi pro certis noſtris, & dilecti filii noſtri Hadriani tituli S. Chryſogoni Presbyteri Cardinalis Bathonienſis negotiis peragendis, nuper mandavimus. Quare volumus, ut in illud regnum quam primum tranſeas, & quæ tibi commiſſa ſunt diligenter exequaris, nec inde recedas, donec aliud a nobis aut ab ipſo Cardinali habueris in mandatis. Datum Romæ apud S. Petrum ſub anulo Piſcatoris die 12. Martii 1516. Pontificatus noſtri anno tertio.

Ja. Sadoletus.

LXXXI. Dilecto filio Franciſeo Clericato Notario & Nuncio noſtro.

LEO PAPA X.

Dilecte fili ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Vidimus quæ ad dilectum filium noſtrum Hadrianum tituli S. Chryſogoni Cardinalem Bathonienſem nuper ſcripſiſti, placuitque admodum, intellexiſſe te tam benigne & humaniter a dilecto filio noſtro Thoma [1] tituli S. Cæciliæ Preſbytero Cardinali viſum & exceptum eſſe, ipſumque Cardinalem tam bene diſpoſitum eſſe erga res & negotia ipſius Cardinalis Hadriani: nec enim aliter de ejus Circ. quæ manuum noſtrarum factura eſt, & præclaris virtutibus pollet, exiſtimari poterat. Laudamus in omnibus diligentiam tuam, hortamurque,

ut

[1] Thoma Vulceo Cardinali Eboracenſi.

ut in eo perſeveres, & ad ipſum Cardinalem crebro de iis quæ ad ipſum pertinere viſa fuerint perſcribas, & negotia ipſius Cardinalis quæ tibi committentur, ſolita fide procurare ſtudeas; in quibus nobis quoque apprime ſatisfacies. Datum Romæ apud S Petrum ſub anulo Piſcatoris die X. Maii 1519. Pontificatus noſtri anno quarto.

Bembus.

Pro Franciſco Cheregato.

LXXXII. *LEO PAPA* X.

UNiverſis & ſingulis, ad quos hæc noſtra pervenerint, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Mittimus in Hiſpaniam dilectum filium Franciſcum Cheregatum, juris utriuſque Doctorem, Notarium, & familiarem noſtrum, hominem nobis ob probitatem aliaſque ejus virtutes admodum probatum & gratum, nonnulla negotia apud chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Carolum Hiſpaniarum Regem Catholicum noſtro nomine curaturum. Nos cupientes eidem Franciſco tutum & liberum iter ubique patere, Devotionem veſtram hortamur in Domino, ſubditis vero noſtris & gentium noſtrarum armigerarum Capitaneis, & ductoribus, militibuſque ad noſtra & S. R. E. ſtipendia militantibus diſtricte præcipiendo per præſentes mandamus, quatenus præfatum Franciſcum cum ſociis

ſociis ſive familiaribus ſuis uſque ad numerum quinque, tam equeſtribus, quam pedeſtribus, necnon cum bulgiis, valiſiis, ſarcinis, & eorum bonis quibuscumque per civitates, terras, oppida, & loca, foſſas, portas, & pontes, tam noſtra quam veſtra terra marique, abſque ulla datii, gabellæ, portorii, fundinavis, aut cujuſvis, quacumque de cauſſa indicti vel indicendi oneris ſolutione, ire, tranſire, manere, redire libere permittatis; eumdem demum, ejuſque ſocios, & familiares intuitu noſtro ita benigne, liberaliterque tractetis, ut apud nos, & ſanctam hanc Sedem merito in Domino commendari poſſitis. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris die ultimo Novembris 1519. Pontificatus noſtri anno ſexto.

Jacobus Sadoletus

LXXXIII. Dilecto filio Franciſco Chieregato Notario & Commiſſario noſtro.

LEO PAPA X.

DIlecte fili ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ex tuis ad nos litteris agnovimus, quo honore iſta Catholica Majeſtas, pro Sedis Apoſtolicæ reverentia, te receperit, quove affectu atque humanitate promiſerit, ſe eam cauſam ob quam te deſtinavimus ſuper Aoripaldi Marchionatu, pro dilectis filiis Roberto & Camillo de Urſinis, noſtris ſecun-

cundum carnem affinibus cito & favorabiliter expedituram, noſtroque tam pio quam juſto deſiderio ſatisfacturam; quod quamquam pro explorato habuiſſemus, ob ejuſdem Majeſtatis perpetuum erga juſtitiam cultum & erga nos obſervantiam; quia tamen ea res nobis, ut ſcis, valde cordi eſt, teque nos propterea quod tua opera aliis in rebus uti volumus, quanto citius regredi cupimus, tibi tenore præſentium enixe injungimus, ut apud eamdem Majeſtatem noſtro nomine denuo, atque ſæpius inſtare non ceſſes pro ejus negotii celeri & favorabili expeditione, eidemque Majeſtati planum facias, nos hanc rem ita enixe cupere ut præterquam Majeſtas ſuæ juſtitiæ & fidei avitæ ſatisfaciet, nobis etiam rem quam gratiſſimam ſit factura. Datum Pali Portuenſis Diœceſis ſub anulo Piſcatoris die 12. Februarii 1519. Pontificatus noſtri anno ſexto.

Ja. Sadoletus.

LXXXIV. Dilectis filiis Franciſco Clericato Notario & Octavio Urſino commiſſariis noſtris [1].

LEO PAPA X.

DIlecti filii ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cupientes eos tumultus, qui his ipſis diebus in terra noſtra Fabriani nequaquam publico, ut

1 Exortis Fabriani turbis, ad eas ſedandas Commiſſarios mittit.

ut audimus, conſilio, ſed aliquorum temeritate exorti ſunt mature coercere, & adhibita paterna cura ſedare; ac veſtræ virtuti, prudentiæ, integritati cum Domino plurimum fidentes, nec dubitantes,quin ea quæ vobis commiſerimus recte & cum laude exequamini; vos Commiſſarios noſtros tenore præſentium facimus, conſtituimus & deputamus, & in provinciam noſtram Marchiam ad dictos tumultus ſedandos proficiſci mandamus, dantes vobis harum tenore amplam & omnimodam facultatem ſimul & poteſtatem, omnibus tam Officialibus noſtris, quocumque illi munere & titulo cenſeantur, quam etiam Communitatis Domicellis, Baronibus, ſingulis denique hominibus dictæ provinciæ Marchiæ, necnon gentium armigerarum noſtris & S. R. E. capitaneis, ductoribus, militibus tam equeſtri quam pedeſtri militia ſtipendia a nobis accipientibus. mandandi, imperandi, & ſub pœnis tam privationis & exilii, quam etiam pecuniariis, prout vobis videbitur, præcipiendi, ut vobis in omnibus quæ facienda duxeritis præſto ſint omni ſubſidio, favore, opera; voſque eos convocare, cogere, armare, quòcumque vobis viſum fuerit vobiſcum ducere, aut quo fuerit opportunius mittere ac deſtinare, quæ per illos exequi volueritis eis injungere, necnon neceſſitate ingruente,pro pace provinciæ & Status Eccleſiaſtici, ſi improborum temeritatem retundi oportuerit, ab ipſis Communitatibus auxilia armorum atq; hominum petere,quos ali-

cubi ſuſpectos duxeritis in alias partes mittere, relegare; quos vobis & huic ſanctæ Sedi fideles cognoveritis, eos debitis honoribus honeſtare, eis qui peccaverint, quatenus publico bono fieri poſſit, veniam promittere ſi ad ſanitatem redierint, eaque ſub fide noſtra firmare; ſi quæ fuerint onera populis impoſita graviora æquo, de eis nos abſentes certiores facere, ut nos cum clementia & benignitate ſubditorum noſtrorum commodis conſulamus; denique omnia agere, exequi, ordinare, gerere quæ ad pacem & quietem dictæ provinciæ hujuſque ſanctæ Sedis honorem duxeritis opportuna, poſſitis & valeatis, earumdem præſentium tenore omnem vobis poteſtatem permittimus, omnia quæcumque aut noſtro nomine, aut veſtro conſilio in tali re feceritis, grata & rata habituri. Mandantes omnibus & ſingulis antedictis Prolegato, Gubernatoribus, Officialibus, Communitatibus, Domicellis, hominibus dictæ provinciæ, itemque gentium noſtrarum capitaneis, ductoribus, militibus tam equeſtribus quam pedeſtribus, ſub pœnis per vos præfigendis ac ſub gravis noſtræ indignationis ac privationis omnium honorum, bonorum, & privilegiorum pœna; ut vobis & mandatis veſtris, non ſecus quam noſtris facerent, ſi nos præſentes imperaremus, obediant & pareant, vobis omni diligentia, fide, ſtudio, auxilioque aſſiſtant, recepturi a nobis & ſancta Sede Apoſtolica, ſi de ea bene meriti fuerint, dignum præmium. Vos ergo dilecti filii, ita vos

in

in hac cura & adminiſtratione pro noſtro & hujus Sedis honore gerere ſtudeatis, ut veſtra virtus & diligentia apud Deum, noſque & ceteros omnes jure poſſit commendari. Datum Romæ apud S. Petrum ſub anulo Piſcatoris die 24. Decemb. 1519. Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

Ja. Sadoletus.

JACOBI SADOLETI

EPISTOLÆ

NOMINE CLEMENTIS VII. SCRIPTÆ

ANNO MDXXIV.

LXXXV. *REGI CHRISTIANISSIMO* [1].

DIlecte Fili. Non habemus hominem neque magis participem omnium curarum, & conſiliorum noſtrorum, neque cui magis fidamus Ven. Frat. Joanne Matthæo Giberto Veronenſi, Datario, & Prælato noſtro domeſtico, nec vero qui Serenitatis tuæ honori, nomini, amplitudini magis addictus ſit, ut ei non minus quam nos poſſit, & debeat Serenitas tua confidere. Is ergo apprime conſcius & laborum, & difficultatum noſtrarum, quarum ipſe omnium fuit particeps, delectus eſt a nobis, qui ad Serenitatem tuam accedens, animi noſtri arcana intima omnia tibi aperiat, deque rebus cunctis quæ geſtæ ſunt reddat rationem; quas nos omnes profecto, propoſita ſemper nobis non minus tua quam noſtra dignitate, & ſuſcepimus, & geſſimus. Poſtquam enim noſtrum amorem penitus ad

1 Franciſco I. Legatum mittit Matthæum Gibertum: de hac legatione in Vita Giberti, Operibus ejus præmiſſa *cap.* 3.

ad te convertimus, duximus omnia eſſe communia, eodemque, & curſu, & eventu tecum decrevimus eſſe conjuncti, nuncque in eadem ſententia ſumus. Sed neceſſitati vis humana cum impar ſit, illud vehementer deſideramus, ut Serenitas tua, adhibita animi æquitate, & illo ſingulari ingenio quo præcipue polles, audiat, & cognoſcat ex eodem Matthæo Giberto principia progreſſus, fineſque rerum omnium: non enim dubitamus quin tu erga nos pari ſis voluntate. Quæ reſtant a nobis cogitata, & pro communi dignitate etiam decreta, ſi ea tibi & commoda, & honorifica fore exiſtimaveris; cum primum nobis propoſitum ſit ſemper ſatisfacere & voluntati, & amplitudini tuæ; in iis nec labori, nec periculo ulli parſuri ſumus, dum & tibi noſtram ſummam benevolentiam, & ceteris omnibus propenſam erga bonum publicum voluntatem oſtendamus. Quæ quoniam ab ipſo Johanne Matthæo uberius & copioſius tibi explicanda ſunt, remittimus te ad ejus orationem, cui non ſecus, quam ſi nos ipſi te alloqueremur, cupimus fidem abs te haberi. Nos omni eventu rerum, & temporum, declaraturi ſumus, noſtrum amoris ſtudium erga Serenitatem tuam ſuſceptum, neque caſu ullo neque tempore imminui, aut commutari. Datum Romæ.

LXXXVI. *DVCI GENVÆ* [1].

DIlecte Fili. Nullum tempus antehac tam neceſſarium fuiſſe judicantes, in quo de generali ſalute nominis Chriſtiani agendum, & conſulendum eſſet; & ſi præſens occaſio omittatur, omnia intuentes damna, & pericula nobis, & gregi Chriſtiano imminere; ad ponenda arma primi aditum fecimus, jactiſque pacis, & concordiæ fundamentis, tam pro nobis, quam pro eis, qui amici, & confœderati nobiſcum ſunt, pro communi commodo, & dignitate, omnia nobis tentanda, & experienda decernentes, elegimus Ven. Frat. Matthæum Gibertum Epiſcopum Veronenſem, Datarium, & Prælatum noſtrum domeſticum, cujus fides, labor, prudentia, ſingulari cum ſtudio noſtris cogitationibus omnibus ſemper adjuncta fuit, quem arcana noſtri, cordis omnia tenentem ad Reges omnes, & Principes, & in omnem partem Chriſtiani Orbis, quacumque opus eſſet, mitteremus, noſtra conſilia explicaturum, ceteros ad conſenſionem cùm boni publici tùm privati cujuſcumque eorum, noſtris verbis, & precibus hortaturum. Cui cum mandaverimus, ut cum Nobilitate tua omnia communicet, tibique, & benevolentiam in te noſtram, & fidem, quam in tua virtute eximiam habe-

1 Huic quoque Legatus mittitur Gibertus, atque ut videtur, eodem tempore; etſi hujus legationis in Vita Giberti nullam vidi commemorationem fieri, cum ceteroquin reliquas ejuſdem res diligentiſſime p[illegible]quatur.

bemus, diligenter exponat; hortamur te, ut illi non ſecus, ac nobis certiſſimam fidem habendo, quæ ille abs te nomine noſtro popoſcerit, & quæ abs te cupimus fieri, tu in eis illum tuo conſilio, opera, authoritate adjuves; quod erit Deo, ac nobis maxime acceptum, laudi, & nomini tuo in primis honorificum. Datum Romæ.

LXXXVII. *EBORACENSI* [1].

DIlecte Fili. Commendamus denuo Circ. tuæ Ordinem, & Fratres Sancti Franciſci de Obſervantia, qui cum Eccleſiæ Dei eum fructum afferant, qui ſit cœtui Fidelium, & ſecundus, & utilis, digni ſunt, quorum tu quoque & quietis & pacis rationem ducas. Atque in hac tua Ordinis in Anglia viſitatione, cujus tibi faciendæ a nobis facultas conceſſa eſt, ipſi quoque libenter parati ſunt, ſi quos eorum, regni illius turbatores aut ſpeculatores ratione improba compereris, ut punias eadem qua noſmetipſi faceremus animadverſione; in Lutherana quoque perfidia lapſos corrigas, & perſequare; reliqua vero quæ Officiorum, Magiſtratuum, locorumque diſtributionem continent, cupiunt ſibi eſſe ſalva, neque ſe in ſuis inſtitutis, & privilegiis

1 Commendatitia FF. S. Franciſci de Obſervantia Thomæ Vulceo. Tempus quo data eſt incertum. Vulceus Cardinalis a Leone creatus menſe Sept. a. 1515. ex Aula pulſus a. 1529. Hic eam collocavimus quod ſuperiorem in cod. noſtro ſequeretur. Quantum apud Henricum VIII. olim valeret Vulceus & vulgo notum, & Guicciardinus tradit *lib. xv. ad a.* 1524.

impediri. Nos quidem arbitramur, magis timere eos in hac re, quam expertos eſſe poteſtatem tuam; ſed tamen proprium eſt virtutis tuæ, & ejus, quæ nobis bene nota eſt, prudentiæ, nullam præbere cauſam cuiquam conquerendi: quod nos ad Circ. tuam ſcribere voluimus, illam adhortantes, ut iſtorum animos vel dubitantes, vel timidos ſua benignitate, & temperantia confirmet; quod nobis non mediocriter futurum eſt gratum. Datum Romæ.

LXXXVIII. *EBORACENSI* [1]

Dilecte Fili noſter. Ex aliquot ſuis litteris Circ. tua noſtra erga ſe officia commemorat; id jam a noſtra conjunctione eſſe alienum debet: ſumus enim, erga te ſicuti ſemper fuimus, & voluntate quadam eximia propenſi, & benevolentia. Et vero ejuſdem tuæ Circ. opera, dil. filius Laurentius [2] ad Sariſburienſem Eccleſiam ab iſto Sereniſſ. Rege nobis fuit commendatus. Id & nobis magnopere gratum, & tibi profecto fuit honorificum. Dignum enim, & præſtantem, & omni virtute præditum Cardinalem, tuo ſingulari beneficio tibi in perpetuum devinctum reddidiſti: qui ſemper de te meritus eſt & amore, & obſervantia, ut talem animum

1 Reſpondet Eboracenſis epiſtolæ qua ille ſua erga Clementem officia ſignificaverat. Videtur hoc Vulceus feciſſe, cum Legatos Pontifex miſiſſet ad pacem ſive inducias ſaltem obtinendas inter Carolum V. & Galliæ atque Angliæ Reges; his vero non aſſentiretur Vulceus ut Guicciardinus *lib.* xv. *ad h. a. &c.*

2 Laurentius Campegius is eſſe videtur, qui Sariſburienſi præfuit Eccleſiæ, miſſus a Clemente VII. ex Jo. Cochlæo *de Act. Luth. ad a.* 1524.

mum erga eum ſuſciperes; qui cum nunc in Germania adeſt, maximis Sedis Apoſtolicæ vel Chriſtianæ potius negotiis occupatus, nos tibi, & noſtro nomine, illius debitas gratias agimus. Cetera, quæ nunc agantur & gerantur, utque acerrimum in Italia bellum recruduerit ad dil. fil. Melchiorem Langum Nuntium iſtic noſtrum, plenius ſcribi mandavimus cum Circ. tua communicanda, illam hortantes in Domino, & omni ſtudio requirentes, ut quantum auctoritate, quantum prudentia poteſt; potes autem maxime; tantum conferret ad ſtudia conficienda pacis, ſine qua res Chriſtianæ prope ad interitum redactæ ſunt. Datum Romæ XXIX. Nov. 1524.

Sadol.

ANNO MDXXV.

LXXXIX. *CARDINALI EBORACENSI*.[1]

DIl. fili noſter &c. In omni eventu rerum credimus, nos & Deo, & debito noſtro ſatisfacere, ſi ab optima Patris communis voluntate, & a conſervandæ Reip. Chriſtianæ cupiditate non diſcedimus. Ac poſſumus fortaſſis falli. Sed tamen pro certo habemus, & pene manifeſtò cernimus, tantos Chriſtianitati afflictæ metus, tanta pericula impendere, ut niſi Dominus Deus ſua ineffabili miſericor-

[1] Ut det operam, quò Rex Angliæ conventionem & fœdus concordiæ a Carolo V. factum approbet. *V. ep. ſuper.*

ricordia opem ferat, inſignem aliquam ruinam rebus Chriſtianis proxima æſtate paratam eſſe intelligamus. Quod nos quidem non deſtitimus prædicare, & monere, hæc penitus arma horrentes, quæ in perniciem Chriſtianitatis aſſumpta, nec pertinaciæ finem, nec damni & calamitatis faciunt modum. Sed tamen, cum in officio boni Paſtoris conſtantiſſime perſtitiſſemus, & ex Dei, ac veri Pontificis debito, & inopia etiam hujus ſanctæ Sedis nos in eadem ſententia confirmante; egimus huc uſque precibus conſiliiſque, ut pacis aliquando ineundæ, & concordiæ conciliandæ ratio haberetur; ſine qua pace Chriſtianitas ad extremum interitum eſſet jam perducta: nec ullæ tamen aures, aut ullorum animi eorum, qui in armis ſunt, vocibus adhuc primis veris & ſalutaribus patuerunt. Igitur omnibus tentatis viis, cum nihil per nos fuerit profectum, pluſque aliquorum obſtinatio, quam noſtra conſilia valuerint, ſuperioribus vero diebus Francorum Rex, viribus copiiſque præpollens manum militum ad regnum Neapolitanum tentandum mittere inſtituiſſet; egimus tunc quidem multis allatis ... rationibus ut ab eo conſilio deſiſteret. Sed nunc cetera ſibi cernens difficilia, ad eamdem deliberationem reverſus, ſive impotentiam noſtram agnoſcens, ſive conſilium noſtrum ab armis omnino abſtinendi intelligens, mittit Ducem Albaniæ ad idem regnum oppugnandum; qui cum iter faciens, per urbes, & ditionem noſtram, ſanctæque Romanæ Ec-

Eccleſiæ, ac fidei noſtræ commiſſam tranſeat, non neceſſarium ſolum, verum etiam juſtum eſſe cenſebamus, cum ab exercitu atque armis eſſemus nudi, pactis & conventionibus cum ipſo Rege initis noſmetipſos, Statumque noſtrum & noſtrorum, tutum ab periculo, & ſuſpitione periculi conſervare. In qua conſultatione & cogitatione cum eſſemus, ecce litteræ Ven. Fratris noſtri Archiepiſcopi Capuani Nuncii noſtri ad nos allatæ ſunt, quibus ſignificat; Serenitatem Cæſaris, habito tamen ad nos & noſtram voluntatem reſpectu, ſine quibus nihil eſſet acturus, ad conſilia & ſtudia pacis propenſam eſſe: qua etiam ſpe & fiducia, quod neceſſario facere cogebamur, liberius fecimus, eaque conventionum capitula firmavimus quæ facile aperteque demonſtrant, quo nos animo & qua in omnem partem modeſtia nil quæſiverimus aliud, niſi fidem, & ſecuritatem; tamen ſeorſum quoque Circumſpectioni tuæ & iſti clariſſimo Regi affirmamus, omnes curas, cogitatus, actioneſque noſtras nullum alium ad finem, quam ad commune bonum intentas eſſe. Cupimus quidem ſalvi ipſi quoque & incolumes eſſe; ſed ſi quid præterea incremento honoris & fortunarum noſtrarum a Deo opt. max. dandum eſſet, totum id libenter ad Reip. bonum reijcimus; carereque eo nos, dum res Chriſtiana publica potiatur, animum inducimus: cujus etiam pro ſalute & fidei Chriſtianæ commodo, caſus omnes & pericula æquo animo eſſemus ſubituri. Hanc igitur conventionem & fœdus

dus concordiæ noſtræ, ut & neceſſarium & honeſtum, ut approbare & grate accipere Serenitas iſta, velit; Circumſpectionem tuam magnopere in Domino hortamur, cum de noſtro erga eam animo, ac ſingulari & eximia erga te voluntate, non ſolum in eis ipſis conventionum capitulis aperte teſtemur, ſed ſimus ſummæ amicitiæ & conjunctionis noſtræ fidem perpetuam præſtituri. Vere enim & novimus & confitemur, Serenitatis ejus ſtudium ac benevolentiam, erga nos, in hanc ſanctam Sedem obſervantiam, maxime nobis, & gaudio ſemper, & commodo eſſe, nec ullam tam aſperam accidere tempeſtatem poſſe, quin tua atque illius ſumma prudentia, auctoritas, virtus, firmiſſimæ anchoræ nobis vicem, ad omnes fluctus ſuſtinendos præbitura ſit. Quem animum veſtrum erga nos, omni in re & tempore jam nobis cognitum, ut omnibus noſtris ſtudiis, & officiis, & ſingularis benevolentiæ indiciis, & demereamur, & retineamus, ut ſemper antehac fecimus, nihil ſumus omiſſuri. Tua Circumſpectio,ut ad procurandam & conficiendam pacem univerſalem nobis aſſiſtere, eſſeque auxilio ſua præſtanti auctoritate, & ſapientia velit, illam in Domino plurimum obteſtamur: ſuper quibus omnibus miſimus dilectum filium Joannem Caſalium Notarium, & Nuncium noſtrum, fidum nobis, & probatum, qui te, quando quibuſdam de cauſis cogebamur Ven. fratrem noſtrum Archiepiſcopum Capuanum ad nos revocare,largius alloqueretur,& de omni-

nibus noſtris conſiliis actiſque edoceret; cui Serenitas tua fidem ſummam habebit. Datum Romæ ſub anulo Piſcatoris die 5. Januarii 1525. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

XC. *CARDINALI MOGUNTINO* [1].

DIl. fili noſter &c. Superioribus diebus, cum de tumultu civit. Magdeburgen. ac de impiorum Lutheranam peſtem in eo populo ſpargentium factione, ad nos eſſet allatum, non mediocrem in animo noſtro concepimus dolorem. Nam & procuratione, atque cuſtodia noſtri dilecti gregis, quem a truculenta luporum rabie incolumem ſervare non poteramus, admodum mœſti ſolicitique fuimus, & tuæ quoque dignitati ac tuo honori, illo modo de-

1 Alberto de quo *ad epiſt.* LXIX. Fuit autem non Moguntinus ſolum Archiepiſcopus, ſed Archiepiſcopus etiam Magdeburgenſis, Joannis Marchionis Electoris filius & Joachimi frater; de cujus ſtudio in Catholica religione tuenda Trithemius *in Hiſt. S. Maximini. Dominus Albertus ex Marchionibus Brandeburgi, Princeps nobiliſſimus, Moguntina & Magdeburgenſis in Saxonia Eccleſiarum inſignium Archiepiſcopus, atque Primas Germaniæ reverendiſſimus, Chriſti devotiſſimus Archi-Præſul, cum cultor, & amator, & venerator Sanctorum Dei maximus eſſet, Reliquias & ſacra buſta eorum ſumma cum veneratione ſemper, ubi licuit, inquiſivit, de pulvere cum honore levans, auro & argento veſtivit; honorem quoque debitum ſingulis exhibuit, & omnem memoriam feſtive celebravit. Mox enim, ut ſummi Pontificatus duplicem apud Germanos, domino providente, apicem ſuſcepit, totum ſe Chriſtianæ religioni mancipavit &c.* De eo plura Serarius in Vita, & ex Serario Raynaldus *ad h. a. n.* 54. narrantque a Catholica Fide avocare eum conatum Lutherum; cum nihil profeciſſet dixiſſe iratum; *Recte inſtitutus eſt Romæ Albertus, ideoque Lutheranam doctrinam noſtram flocci facit.* De hoc tumultu Magdeburgenſi hoc anno, aut ſuperiori nihil Cochlæus, aut Surius, Raynaldus &c. qui tamen teſtantur univerſim, Germaniæ urbes tumultuatas eſſe.

detrahi, pro noſtra in te paterna benivolentia ægre tulimus. Videbamus etiam exemplum in ea re toti Germaniæ ac Principibus, nobilibuſque præſertim, perniciosum proferri, ſi imperitæ plebes illa ratione ſubducere ſe a ſuperiorum obedientia; & ordinem omnem diſciplinamque vitæ turbare & confundere conarentur: quæ cùm omnia gravia nobis & dura videbantur, tùm nihil durius, quam quod cum tanto animarum fidelium detrimento iſta nobis chariſſima & dilectiſſima natio invictæ Germaniæ tantis incommodis & calamitatibus erat vexata. Itaque tunc paterno affectu ſtudioque moti mandavimus dil. filio noſtro Laurentio Tituli S. Anaſtaſiæ S. R. E. Presbytero Cardinali, noſtro & Sedis Apoſtolicæ de latere Legato, ut nihil curæ laboriſque omitteret, pro reducendis ad verum Dei cultum ſanctamque & ſinceram fidem Chriſti iis qui aberraſſent, ac Circumſpectioni quoque tuæ omnem & meæ auctoritatis, & auxilii conſiliique ſui opem offerret atque præſtaret: quod & illum feciſſe omni cum diligentia, ſcimus. Cum autem nunc ab eodem Cardinali Legato noſtro intellexerimus, Circumſpectionem tuam, ut bonum & religioſum Sacerdotem ac magnanimum & ſeverum Principem decet, quorumdam amicorum & neceſſariorum Principum auxilio ſpeque ſuffultam, inſtituiſſe experiri, ut illa, pravo paucorum conſilio a fide, & Deo, & Epiſcopo ſuo debita, averſa, ad ſaniorem mentem reducatur civitas; ac ſi paternæ hortationes non valuerint, ho-

honeſtam illi vim etiam & juſtam adhibere ; lætati non parum hoc nuncio ſumus, tuamque in eo plurimum & virtutem collaudamus & prudentiam,Circumſpectionem tuam in Domino enixe hortantes,ut capere & exequi hujuſmodi conſilia digna tuo genere, & illa qua es præditus dignitate non poſtponas, operamque omnem dare, ut quæ tibi commiſſæ animæ,in interitum abeunt errore ſuo ſempiternum;tua vigilantia & ſeveritate ad lucem vitamque revocentur . Nollemus vim , ſi aliter fieri poſſet . Sed ſi non poteſt, omnis vis quæ ſalutem affert iis quibus adhibita eſt,eſt indulgentia & remiſſione ſanctior.Quamobrem nos quidem , ut magno animo ad id opus ingrediare,tibi auctores ſumus,ac ut omnes vias experiare quæ prodeſſe poſſint, humanitatis quidem primum & manſuetudinis ; ac ſi illæ non profecerint , etiam ſeveritatis;quando utrumque omnino eſt charitas.Ac nos quidem ad diverſosPrincipesGermaniæ amicos tuos, & neceſſarios ſcribimus , hortantes eos & commonentes , ut tibi adeſſe firmo auxilio, communemque cauſam tueri tecum velint ; ſuamque virtutem & opem omnipotenti Deo , & ſaluti patriæ ſuæ,in illa excindenda Lutherana peſte,ferre ac præſtare : quod facturos certo credimus . Agitur enim nobilitatis , & poteſtatis , & ſalutis omnium Principum cauſa communis , quæ etiam cum honore , & cauſa ſummi Dei conjuncta eſt ; quos etiam cuperemus ad ſimile fœdus omnes , ac in Ratisbonen. conventu inter illos clariſſimos proceres factum

fuit ,

ſuit, cum Circumſpectione tua convenire; ut eſſet omnium incolumitas communi tutela, & defenſione tutior. Nos, ſi Circumſpectio tua rem bene cogitatam, & cœptam inſiſtere atque exequi perſeveraverit, non ſumus illi, neque auctoritatis noſtræ brachio, neque omnibus auxiliis, quæ præſtare a nobis potuerint, defuturi: idque tibi pollicemur, ac etiam ut perſeveres & pergas, injungimus; qua etiam de re, ad noſtros in Hiſpania Nuncios ſcripſimus, ut apud Sereniſſimum Cæſarem omnem operam, quò ipſius tibi quoque auxilio adſit Serenitas, adhibeant, & interponant: ſicut de his tecum ſupradictus Cardinalis Legatus noſter latius aget, cujus litteris fidem habebis. Datum Romæ die 7. Febr. 1525. anno ſecundo.

XCI. *MATRI REGIS CHRISTIANISSIMI*[1].

Dilecta in Chriſto Filia ſalutem, & Apoſt. Benedict. Quantum dolorem acceperimus, & quantum animo fuerimus perturbati ex hoc caſu acerbo, & inopinato, qui filio tuo Regi præſtantiſſimo, & nobis omni amore chariſſimo accidit, tuæ prudentiæ eſt exiſtimare. Sive enim illius ſtudium erga nos, & ſanctam Sedem Apoſtolicam, ſive virtutem atque animum dignum illo honore quem ge-

[1] Conſolatoria ob filium Franciſcum I. a Carolo V. captum; edita eſt *Hiſtor. Genealog. Sabaudiæ Guichenon t. 3. pag.* 456. nos eam alicubi ex Archivo Vaticano reſtituimus: erat tamen & in codice illo noſtro cum inſcriptione *Ludovicæ Engoliſmenſi*.

gerebat, ſive rerum humanarum imbecillitatem varioſque, & incertos caſus cum animo noſtro cogitamus, omnia ſunt ejuſmodi, ut magnum in eo detrimentum videatur feciſſe hæc Apoſtolica Sedes, & univerſa Chriſtiana Reſpublica. Nos quidem adhuc propemodum ſtupemus, nec ſatis mentis ſumus compotes, cum defigimus cogitationem noſtram in conſiliis ſummi Dei, qui hæc rara, & mirabilia quandoque evenire vult, ut ab omnibus intelligatur, unam eſſe in rebus ſtabilem, & firmam, quæ ipſi tribuitur fidem, ac pietatem; cetera omnia incerta, caduca, fragilia, quibus confidere nemo ſapiens poſſit. Cujus rei documentum, ſi unquam aliàs, nunc profecto maximum, & apertiſſimum a Domino Deo datum eſt. Sed tamen, etſi res luctuoſa, & acerbus eſt dolor, quem te matrem indulgentiſſimam pro tali filio accipere neceſſe eſt, cujus nos etiam calamitatem patrio mœrore proſequimur; attamen tibi prudentiſſimæ & religioſiſſimæ feminæ omnis tanti doloris levatio ab eodem ipſo Deo petenda eſt. Ille enim diſponit res noſtras ſecundum altitudinem divitiarum conſilii ſui, per quam quæ nobis ſæpe aſpera & intolerabilia videntur, eadem proficua & ſalutaria ſunt. Siquidem multa ſenſibus noſtris gravia incidunt, & moleſta, quæ eadem animabus afferunt ſalutem. Omni enim honore & dignitate hujus mundi, ſalus animæ multo eſt præſtantior, quam maxime affert, & comparat patientia, cujus omnis actio, atque exerci-

tatio in rebus adverſis cernitur. Atque, hæc nos non ideo ſcribimus, quin maximam ſpem habeamus, & filium aliquando tibi, & regno Galliæ Regem ſuum, & nobis, ac Sedi Apoſtolicæ nobiliſſimum Principem reſtitutum iri; quam ſpem in nobis, & Dei bonitas, ac providentia, & Cæſaris benignitas valde confirmat; ſed ut Nobilitas tua patienter ſuum caſum ferendo, atque ipſi Deo ultro gratias agendo, omnemque ſuam fidem in eo collocando, celerius divinam opem, ac clementiam impetrare mereatur. In quo nos quoque, nec tibi, nec filio tuo deerimus. Quantum, & noſtræ apud Deum preces, & apud optimum Cæſarem valebit auctoritas, inſtabimus, & nitemur, ut ſit filii tui ſalus, ac libertas in priſtinum locum reſtituta: quod majore cura, & ſtudio efficiemus, quam audeamus nunc polliceri. Tu ſi quid eſſe in nobis arbitrare, quod opportunum eſſe poſſit ad tuum dolorem conſolandum, atque levandum, ita volumus confidas, id totum tibi paratum eſſe, ut nihil ſimus gratius habituri, quam ea omnia tibi præſtare officia, quæ certiſſima eſſe teſtimonia poſſunt noſtræ ſingularis, & propenſæ in tuum, & filii tui amorem voluntatis. Datum Romæ die 4. Martii 1525. anno ſecundo.

XCII.

XCII. *MATRI REGIS CHRISTIANISSIMI* [1].

DIlecta in Chriſto filia. Quod intelleximus te aliquantum ægre tuliſſe, quod nos, qui prius dilectum filium noſtrum Joannem Cardinalem de Salviatis Legatum ad Carolum, Regeſque alios, & Principes, communis pacis & concordiæ cauſa deſtinatum iter per Galliam habere inſtitueramus, deinde commutato conſilio, ut maritimo curſu uteretur injunximus; id nobis non parum moleſtum fuit: noſtras enim actiones optimo animo ſuſceptas in ſuſpicionem adduci, non poſſumus ſatis æquo animo ferre, præſertim apud te; quæ de noſtra in te, ac chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Regem Chriſtianiſſimum, natum tuum amantiſſima voluntate, ſi adhuc parum certa es, & etiam nunc dubitas, profecto rem alienam a tua prudentia, & de noſtra fide, ac natura injuſte detrahis; ſi vero non dubitas, planeque eſſe conſcia potes, nos animo amiciſſimo nihil aliud, niſi de pace univerſali, & de filii tui ſalute, ac liberatione cogitare, indignum eſt, te vel ſuſpicari aliquid ſiniſtrum de nobis, vel ſi nihil ſuſpicaris, dare tamen indicia, & ſermonis argumenta, per quæ ceteri, te ſuſpicionibus adverſus nos offenſam exiſtimare poſſint. At nos, quod ad rem ipſam pertinet, qua cura fuerimus, qua ſoli-

 citu-

1 Satisfacit querenti, quod Jo. Salviatum Legatum ad Carolum V. miſſum maritimum iter ſuſcipere juſſiſſet; & de aſſerendo filio in libertatem.

citudine, ut ne bellum immite & aſperum, quod imminere in Galliam, atque erupturum eſſe videbatur, recrudeſceret, totaque Chriſtianitas diuturnis armis afflicta & debilitata, hoc etiam vulnere concideret ad ejus perniciem prope ſupremo, teſtis Dominus Deus,& teſtes toties a nobis, & tanta cum cura ſcriptæ miſſæque litteræ, teſtes nuncii, quos jam multos ob unam hanc cauſam quoquoverſum deſtinavimus. Sed hæc teſtimonia ita volumus apud te fidem obtinere, ſi tu ipſa quoque optima teſtis es: ſunt enim hæc omnia a nobis, tua Nobilitate conſcia, acta, & tranſacta; & nunc, cum Legatum noſtrum juſſimus ad Cæſarem ire, atque in Hiſpaniam de pace, & filii tui liberatione, & hujus ſanctæ Sedis dignitate acturum; prima noſtra cogitatio fuit, ut ad te ille primum contenderet, conferretque, & communicaret tecum noſtra conſilia, quæ maxima ex parte ad tuum commodum pertinebant. Sed cum repente, & præter expectationem non ſolum noſtram, verum etiam inſciis illis, qui Cæſaris victoriæ in primis adjutores, & in agendis rebus fideles miniſtri electi erant, qui ejus conſilii participes fierent, dil. fil. nobilis vir Vicerex Neapolitanus Sereniſſimum filium tuum in Hiſpaniam tranſportaſſet, nos hac inexpectata re commoti, ac dubitantes, ſi Legatus noſter deliberanti Cæſari non adeſſet in tempore, ne quid fieret conſiliis noſtris & pacis, & dignitatis conſervandæ contrarium; Legatum approperare juſſimus, & omiſſo itinere

itinere terreſtri, quod longum, & tardum fore videbatur, claſſe navigare. Dabat autem nobis cauſam non Cæſaris ipſius mens, aut parum propenſa ad omnem clementiam, & humanitatem voluntas, ſed quia ſciebamus, quam multi eſſent, qui quò aut actiones ſuas clariores facerent, aut fidem, & induſtriam ſuam magis jactarent, ceteros, & facile, & libenter calumniarentur: quorum iniquitati, in ipſo articulo capiendæ deliberationis fuit occurrendum, ut ipſius Cæſaris, quanquam firma, & recta per ſeſe mens, noſtris tamen etiam conſiliis, & monitionibus adjuvaretur. Conſilia autem noſtra quæ ſint, quanquam tuæ Nobilitati notiſſima eſſe debent, tamen hic aperte, & ingenue profitebimur, cupere nos & ſuadere, ut belli cauſæ omnes amoveantur, ut ſalus, & dignitas filio tuo reddatur, ut noſter, & Sedis Apoſtolicæ honor conſervetur: huc curæ omnes noſtræ, huc cogitationes tendunt, in quibus non minus Cæſari ipſi conſulimus, quam aut tibi & filio tuo, aut nobis. Cum enim dignitatem utriuſque noſtrum illius voluntate confirmari quærimus; maximam illi profecto attribuimus dignitatem, qui quod victor tanti belli extitit, potuit etiam caſu evenire: ſin autem bellum, & victoriam pace, & prudentia compoſuerit, erit iſta laus jam propria, & perennis ipſius Cæſaris. Hæc ſunt, quæ a Legato noſtro ad Cæſarem deferuntur, quæ quia celerius deferenda erant, idcirco eum juſſimus maritimis curſibus approperare;

& tamen mandavimus, ut cum primum appuliſſet Maſſiliam, homines certos ad te mitteret, qui te rerum harum omnium redderent certiorem, tuaque mandata expoſcerent, & illa ipſi Legato referrent; quod ab illo fuiſſe factum non dubitamus. Illud pro noſtræ conjunctionis amore Nobilitatem tuam paterno affectu monitam volumus, ut minas, & verba atrocia, quæ iſthic in nos & Legatum noſtrum jactata feruntur, compreſſa eſſe velis; quæ etſi incredibilia ſunt, tamen cum ſermonibus hominum circumferuntur, omnes in eam opinionem adducunt, tanquam parva apud vos habeatur Sedis Apoſtolicæ ratio: quod cùm noſtræ & ejuſdem Sedis dignitati contrarium eſt, tùm vero rebus veſtris etiam inutile. Nihil enim in exiſtimatione, ut nobis videtur, neque in opinione acquiritis, cum honori Sedis Apoſtolicæ, & noſtro detrahere judicamini. Sed hæc, ut falſa ſunt, ſic etiam ut falſa eſſe appareant, a vobis eſt, tuæ potiſſimum Nobilitatis prudentia operante, contendendum. Nos quidem, quantum nobis datum deſuper fuerit, neque de amore noſtro erga te, & filium tuum, neque de cura conſervandæ communis omnium dignitatis quidquam remittemus, omniaque experiemur, ut intelligant omnes, officio boni Pontificis, diligentiam noſtram non defuiſſe; ſicut Deo freti, & in bonitate Cæſaris fiduciam habentes, piis noſtris conſiliis divinam clementiam opem confidimus allaturam. Datum Romæ. Sadol.

XCIII. *CÆ-*

XCIII. *CÆSARI*[1].

CHariſſime &c. Etſi diebus ſuperioribus,cum bellum in Italia maxime arderet , nos miſerantes duram hujus nobiliſſimæ regionis conditionem ac gregi noſtro dilecto, paſtorali cura affecti, alia quadam via ad communem pacem tendebamus , ſublatiſque inter Serenitatem tuam,& Regem Francorum diſſidiorum cauſis, concordiam ſuadebamus : tamen poſtquam Deo Omnipotenti aliud viſum eſt , atque ejus nutu ac numine , arma non per compoſitionem dimiſſa ſunt , ſed per victoriam detracta ; id quod evenit , eveniſſe nos quidem lætamur , ut ad arbitrium & providentiam tuam, cum magna tua gloria bello feliciter confecto , ipſo Franciſco Gallorum Rege capto , & in tuorum ducum poteſtatem redacto,ſalutis & quietis omnium ſpes ac ratio delata fuerit : in qua conſtituenda hòc tibi magis elaborandum eſt , quò ſunt in te divina beneficia majora . Nam cum tua Serenitas aſſecuta fuerit victoriam , cui ſimilem , nec priſca unquam ſæcula viderunt , non in eo tua magnitudo ampla eſt , quod viceris ; poteſt enim hoc ſæpe etiam indignis fortuitò & caſu evenire ; ſed in eo tua virtus præclara & glorioſa futura eſt , ſi hac victoria , juſte , temperate , prudenter uſus fueris . Quanquam nos hoc magis ex abundantia cordis & amoris erga te noſtri ſcribimus ,

1 De victoria gratulatur , quam de Franciſco I. retulerat

mus, quam quod judicemus, te hujuſmodi monitionibus indigere, quem ſemper novimus tùm Deo deferentem tantum, quantum ab optimo Principe æquum eſt deferri, tùm in ampliſſimis donis ac beneficiis, quæ tibi ab eodem tributa ſunt, gratiam illi & pietatem ſemper referentem. Sed eſt hujus temporis occaſio ejuſmodi, ut nunc maxime per te providendum ſit, ut omnes intelligant, victoriam & felicitatem tuam omnibus ſaluti & commodo eſſe, quo maxime modo illa ſtabilis & diuturna futura eſt; in qua tamen voluntate ac deliberatione & manere te, & eſſe manſurum, tùm tua proba mens & juſtiſſima natura, tùm etiam duces & actores tui hic ſua virtute & temperantia oſtendunt: in eorum enim modeſtis actionibus jam apparere omnibus incipit lumen integritatis & ſapientiæ tuæ. Nos quidem pro noſtro perpetuo de tuis præſtantiſſimis virtutibus animi judicio, proque ea benivolentia qua Serenitatem tuam ſemper mirifice proſecuti fuimus, tibi de omni tuo honore, & gloria, & amplitudine gratulamur, maximamque ad nos ex iis rebus lætitiam perveniſſe confirmamus. Ac, quod cum voluntate ſummi Dei, & Italiæ tranquillitate, omniumque ſalute fiat, tibi ad tuam victoriam & felicitatem ſtabiliendam, augendam, confirmandam, omnem noſtram opem, amorem, ſtudium, auctoritatem, diligentiam, deferimus & pollicemur. De quibus omnibus & aliis etiam, quæ arctius & melius meam optimam voluntatem in res tuas oſten-

oſtendant, dedimus mandata per litteras dilecto filio Baldaſſari Caſtiglioneo Notario & Nuncio noſtro, aut eo abſente Jo: Corſio Oratori Florentino, ut cum tua Serenitate uberius & plenius agant, quibus illa fidem omnem habebit. Datum Romæ IX. Kal. Mart. MDXXV. Anno ſecundo.

XCIV. *DOMINÆ MARGARITÆ* [1].

Dilecta in Chriſto filia. Ex regione Hollandiæ, & circumadiacentibus locis, in quibus tuæ Nobilitatis poteſtas & auctoritas ſumma eſt, quotidie ad nos deferuntur querelæ adverſus complures, qui ejus quæ nunc debacchatur hæreſeos perfidia inquinati, vetuſta Eccleſiæ Sacramenta, & fidem ſinceri cultus Chriſti, non modo transgredi, ſed palam etiam reprehendere & oppugnare audent; quorum impietas etiam aliis poteſt eſſe nocumento; cumque nos de Nobilitatis tuæ religione & prudentia ita ſentiamus, ut de Catholica & in primis excel-

1 Auſtriacæ, Maximiliani Imp. filiæ, quæ mortuo Philiberto II. Duce Sabaudiæ a. 1504. cui nupſerat a. 1501. poſt Johannis Hiſpani Infantis mortem, in Germaniam apud patrem ſe receperat. Eidem Provinciarum Belgicarum curam pater commiſit a. 1508. ut Miræus *in Chron. Belg.* eaſque rexit magna prudentiæ fama, & Catholicæ Religionis tuendæ ſtudio. De ſuis ipſa infortuniis & vita ſcripſit, præter alios multos, de quibus Guichenon *in Hiſt. Gen. Sab. pag.* 615. *Elle fut Gouvernante des Pays-Bas & acquit tant de reputation par ſa prudence & merveilleuſe conduite, que tous les Hiſtoriens Flamans l' on tout hautemet loüe, & particulierement des ſoins qu' elle prit d'arreſter le progrez que faiſoit en ces Provinces la nouvelle hereſie de Luther.* Mechliniæ mortua extremo anno 1530. Huic ergo de coercendis Lutheranis Hæreticis ſcribit Clemens.

excellente muliere ſentiendum eſt, quam ipſi ſcimus, quo ingenio & quanta polleat virtute, tecum communicare eam curam voluimus, quæ nos pro noſtro paſtorali officio vehementer premit. Habemus enim ante oculos noſtros propoſitum, quid a nobis poſtulet & requirat ipſe Deus, cui ſoli regnum animarum ſubjectum eſt, quibus nulla eſt precioſior, nec majoris æſtimanda poſſeſſio. Hujus regni tutandi & defendendi laborem nobis hujus, quem gerimus, honoris pondus infert, quo vices Chriſti gerentes, de ſalute animarum ſoliciti eſſe debemus. Nec deſumus officio, quà noſtræ pertinent facultates; nam & conſilio & hortatione, & cura & monitis, errantibus ſubvenimus. Si qui vero ſunt pertinaciores, aut ſi quorum furor ſalutarem medicinam paſtoris ſui non recipit, nobis eſt ad Principatus & Poteſtates confugiendum, & eorum providentia ad auxilium invocanda; ut eorum auctoritate & metu, qui alias negligunt, ad ſanitatem reducantur. Hoc nos conſilio requirimus Nobilitatem tuam paterne atque amanter, ut adeſſe nobis ad juvandam rem Dei, & ad fidem Chriſti immaculatam conſervandam ferre opem velit, in eis locis præſertim, in quibus tu & jubendi & vetandi obtines poteſtatem. Ac novimus quidem hæc mala ipſa, tibi diſplicere: ſed in tanta virtute & tanta poteſtate tua, non ſolum ægre ferenda ſunt, quæ adverſus veterem morem ſanctæ Eccleſiæ tentantur & proferuntur, verum etiam juſta ſeverita-

te

te vindicanda. Idcirco enim Nobilitas tua præfecta a Deo eſt illis populis, ut in obedientia eos retineat & Dei, & Majorum. Neque vero tu poſt illum diem, qui extremus paratus eſt omnibus, quicquam ferre poteris ex tantis opibus, quibus prædita nunc es ante tribunal ſummi Dei, quod magis tibi patrocinio & adjumento eſſe poſſit ad immortalem beatam vitam conſequendam, quam curam & diligentiam adhibitam inter tuos, ut animarum ſalus, quarum maxime Deo cura eſt, inviolata cuſtodiretur. Hoc eſt proprium virtutis tuæ, hoc pietatis & religionis, quam ſemper erga Deum integram præſtitiſti, ut & vetus tuæ laudis opinio apud omnes homines confirmetur, & ſpes beatæ immortalitatis tibi apud Deum ſit exploratior. Nos hac eadem de re ad dilectum filium noſtrum Erhardum tituli ſancti Chriſogoni Presbyterum Cardinalem Leodien. [1] ſcribimus injungentes, ut diligentiam & ſolicitudinem circa iſta adhibeat; cui tua Nobilitas omni ope & auxilio ut velit ſuffragari, illam in Domino valde adhortamur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum die XXI. Aprilis M. DXXV. Anno ſecundo.

XCV.

1 Erhardus Marchianus; Comitiis Leodii celebratis a. 1523., edictiſque contra Lutheranos latis, ſummo ſtudio ac diligentia anniſus eſt, ut in Hæreticos animadverteretur, tolleretur que hæreſis, ut narrat Chapeavil, *in Chron. Leodien.* V. Ciaccon. *t. 3. col.* 420.

XCV. *CAROLO ROMANORVM IMP.*[1]

CHariſſime in Chriſto fili noſter &c. Cum a primis temporibus Pontificatus noſtri, intelligentes in quam curam & laborem, & in quæ tempora Chriſtianæ Reip. nos ad tantæ onus ſolicitudinis Deus omnipotens vocaviſſet, inſtitiſſemus procurare & ſuadere pacem, ſine qua Chriſtianitatem tot & externis & domeſticis malis, damnis, incommodiſque attritam, proximam eſſe exitio videbamus: recordamur, nos ex officii potius noſtri debito, quam quod ſpe ulla teneremur, ad eam actionem tunc adductos fuiſſe. Etſi enim Deum ſciebamus omnipotentem mutare ſæpe repente conſilia hominum in melius, & quæ difficillima videantur, ea cum omni facilitate conficere, tamen in tantis armorum contentionibus & diverſis Principum Chriſtianorum ſententiis non cernebatur paci locus; quam cum ſuadebamus, & ad eam hortabamur, proponebamusque ea quæ nobis videbantur ad pacem propiora eſſe, ſtudio magis & deſiderio conſcientiæ noſtræ ſatisfaciebamus, quam ſpe proficiendi aliquá ſuſtentabamur. At vero nunc, poſtquam ejuſdem Dei omnia gubernantis judicio, quod tunc commune tibi cum aliisPrincipibus fuit, id totum videtur eſſe ad tuæ Serenitatis arbitrium, pote-

1 Diligentiſſime de pace ſcribit; & quod a Turcis periculum immineat, & quod turbis Hæreticorum ferveat Germania.

poteſtatemque delatum, ut penes te unum jus belli paciſque ſit; eadem quidem ſumus cupiditate & ſententia, ut conficiatur pax, ſed ſpe & fide ducimur multo majore. Satis enim aſpirare cœptis optatiſque noſtris Deum cernimus, cum quod ab eo ſupplices precabamur, ejus nobis concedendi.... ad optimum & Maximum Pontificem digniſſimumque Cæſarem videmus delatam eſſe poteſtatem. Nos vero, qui tanto ſtudio curabamus pacem, tunc cum pacis pene omnis ratio deſperata erat; nunc in tanta ſpe noſtra, tanta expectatione juſtiſſimæ & clementiſſimæ tuæ mentis ac voluntatis, ſi ab illa pacis actione deſiſteremus, faceremus injuriam profecto & ipſi Deo & honori noſtro, neque tunc pacem voluiſſe, ſed aliud quiddam ſpectaſſe videremur. Sed ſi quippiam habemus vel habuimus unquam deſideriis noſtris magis propoſitum, quam pacem, digni ſumus quos non exaudiat Deus. Si vero noſtra conſilia ipſius Dei honorem, communem Chriſtianitatis ſalutem, & bonum optatæ pacis ſpectaverunt, eumdem Deum oramus, ut Serenitatem tuam, in cujus manu pacem eſſe voluit, pacis jubeat eſſe effectricem; hoc eſt, ut quod ſanctiſſimam mentem tuam deſiderare cernimus (nihil enim clarius eſt, quam te velle pacem & appetere) ejus conficiendi & tranſigendi, remotis impedimentis omnibus, tibi a ſummo Deo tribuatur facilitas. Sed cur pax maxime neceſſaria ſit, aliqua dicenda ſunt, non tam illa quidem nova genere, quam gravia diuturni-

turnitate. Quibus niſi citum remedium adhibeatur, ut in effœto mortali corpore, longior morbus exitium & mortem affert, ſic in Chriſtianitate jam defatigata & attrita proximus eſt interitus expectandus. Urgent enim & opprimunt duo graviſſima mala atque incommoda Chriſtianitatem, quorum alterum eſt a Turcis, qui continuis ſucceſſibus elati, & noſtra ignavia ac negligentia in ſpem maximam erecti, Chriſtianæ Reip. penitus opprimendæ ineunt rationem. An tu trecentarum navium paratam jam claſſem & terreſtres exercitus in armis adeſſe juſſos, alio conſilio, aliaque mente coactos eſſe putas, niſi ut Septentrionales Chriſtianorum provinciæ ab ipſo littore Illyrici uſque ad Poloniam impiis illis armis & ſignis obruantur? An nos hæc ſoli intelligimus, tuaque Serenitas harum rerum ignara eſt? Deferuntur quidem ad nos primum ex omni parte querelæ, nec quicquam jam crebrius aures noſtræ percipiunt quam oppidorum Chriſtianorum direptiones, hominum prædas, excidia agrorum, cum quotidie fere miſerorum ſanguinem effundi, viros & virgines in teterrimam ſervitutem abſtrahi, urbes, & oppida capi audiamus. Sed in his malis illud longe graviſſimum malum eſt, quod qui periculo proximi ſunt, quorum eſt periculum cum noſtro conjunctum, ii tamquam læthali ſomno oppreſſi, nullam videntur ducere ſui propinqui exitii rationem. Atque hoc malum externum eſt. Quid illud inteſtinum ac domeſticum, quo nullum

nullum majus neque pernicioſius ulla unquam aſpexit ætas? quod tua Germania tantis jam cladibus & ſeditionibus involuta eſt, ut nemo in ea jam ſit, qui habeat exploratam rationem non ſolum dignitatis, ſed etiam ſalutis ſuæ. Increbuit enim in animis imperitarum plebium furor immiſſus illis a Dei hoſte,& ejus hoſtis miniſtris,impiarum hæreſum auctoribus, per quem, conjurationibus nefariis popularium, omnis nobilitas & omnis Ordo Eccleſiaſticus in exitium vocatur, qui furor quorſum irrupturus ſit, graviter pertimeſcendum eſt. Non enim cernimus finem neque modum. Sed per Deum immortalem, ſi tantis calamitatibus afflictæ & perditæ Chriſtianæ Reip. celeri pacis remedio non ſubveniatur, quid tandem ſpei aut ſalutis reliquum omnibus eſſe poteſt? Quis vero alius pacis & auxilii præter te idoneus futurus eſt auctor, qui ejuſdem Dei omnipotentis beneficio, tantis e cælo muneribus es illuſtratus, ut facile appareat, quæſiviſſe ſibi Deum ſecundum cor ſuum Regem unum,tanquam alterum Davidem, qui Dei hoſtes conterat, populis fidelibus parcat; cujus tu Dei & propter virtutem ac religionem, ampliſſima beneficia meruiſti, & ejus beneficentiæ propter pietatem gratus eſſe vis, ad paciſque conſilia aſpiras. Ac pro tua ſingulari ſapientia optime cernis,remedia, & auxilia tot pernicioſis Chriſtianitatis cladibus quam primum eſſe neceſſaria. Sed ut voluntati tuæ locus ſit; ut quod religioſiſſime, & chriſtianiſſime deſignaſti, opere &

facto

facto compleas; idcirco hæc eſt a nobis tecum ſuſcepta adhortatio. Confidimus maxime bonitati tuæ, deferimus virtuti, prudentiam quoque & magnitudinem animi cognoſcimus. Sed ſi honori & gloriæ tuæ ſatisfactum a Deo eſt, ſi quæ priſtini belli & controverſiæ cauſa fuit, ea eſt & tua inſigni victoria, & ipſorum confeſſione hoſtium terminata: ſi nihil eſt majus aut amplius, quod moderatis & prudentibus animis poſci ab immortali Deo poſſit, quam quantum tibi cæleſti illius beneficio eſt tributum; oramus precamurque Serenitatem tuam, ut in conditionibus pacis tractandis de te ad eam partem ...ut magis propter deſiderium pacis,faciles & benignas conditiones tuliſſe, quam propter difficultatem conditionum, paci locum non reliquiſſe videare. Hoc petimus, hoc hortamur, neque dubii ſumus, te ad omnia liberalia & humana promptum eſſe. Sed ut tua præclara mens, in ſua bonitate & ſententia permaneat, deprecamur. Nemo unquam princeps fuit, qui majora ſenſerit erga ſe Dei omnipotentis promerita, quam experta eſt Serenitas tua. Sed nemo etiam extitit unquam, qui illuſtriorem occaſionem habuerit referendæ illi gratiæ. Scimus nos & teſtamur, & vades & ſponſores inter te & Deum eſſe volumus; si tua auctoritate & clementia, his luctuoſis temporibus conſtituetur pax, nullum unquam Principem & Regem nullum, aut majus obſequium Deo præſtitiſſe, aut ullo tempore eſſe præſtiturum. Carpimur paulatim, concludimur,

dimur, in anguſtias redigimur, atque ex orbe terrarum univerſo, qui fere totus aliquando Regi Regum Chriſto Jeſu Salvatori noſtro paruit, in tres vel quatuor Chriſtianitatis provincias repulſi & coarctati ſumus, quæ ſolæ reſtant integræ: aliæ, aut penitus Deo rebellarunt, aut impiis ſectis & hæreſibus ad rebellandum ſunt propinquæ, aut in tanto periculo conſtitutæ ſunt, ut quaſi pro deſperatis & perditis habeantur. Quænam quæſumus tanta nos agit præcipites Dei ira, ut peſtem & interitum noſtrum ipſimet approperemus? Convertamur ad ipſum Dominum, & cum illi iras & injurias noſtras condonaverimus, ſperemus ab eo conſequi miſericordiam; quæ certe non deerit, ſi pie & humiliter fuerit petita. Et hæc tamen omnia in manu tua potiſſimum, fili cariſſime, ſunt, quæ ſi te, ut confidimus, ad conſtans pacis conſilium converteris, erunt tuo ductu & imperio non ſalvæ ſolum Chriſtianitatis res, verùm etiam florentes. Non minor eſt gloria parcere hoſtibus devictis, quam eos vincere; pietas autem, & virtus, & ſapientia, multo major, pro cœleſti imperio ferre ſigna in Dei hoſtes, quam pro terrenis rebus depugnare. Nos certe ardentes benivolentia erga te, & ſtudio laudis tuæ, ea conſulimus tibi, quæ arbitramur utilitati, dignitati, amplitudini tuæ accommodata: quid Dominus Deus appetat, perſpicuum eſt, nullum quidem illi eſt pace gratius & placabilius ſacrificium: tua mens jam plurima & clariſſima

ſigna dedit virtutis & religionis in ſummum Deum maximæ; nemo eſt qui non ita exiſtimet, & perſonæ & dignitatis tuæ ipſum eſſe patronum & protectorem Deum: quantum illi debeas, cogitare tuum eſt; noſtrum admonere, quid nobis videatur, tantæ conſervandæ Dei gratiæ eſſe expediens. Illud quidem extremum, quod noſtri erga te amoris eſt adjungimus, cupere nos quicquid egeris & conſulueris, id Deum ipſum immortalem & omnipotentem, bene & feliciter tuæ Serenitati evenire jubere: quemadmodum de his, & ſiqua reliqua ſunt, mandavimus dilecto filio Baldaſſari Caſtilioneo Notario & Nuncio noſtro, ut cum Serenitate tua ageret; cui illa fidem ſummam præbebit. Datum Romæ ſub anulo Piſcatoris die 7. Maji 1525. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

XCVI. *DUCI BORBONIO*[1].

DIlecte fili. Litteræ tuæ die 11., & 12. hujus datæ, gratæ nobis majorem in modum, & jucundæ fuerunt: declaraverunt enim candorem, & virtutem animi tui, de nobis ac rebus noſtris amantiſſime cogitantis; quod & te ſemper feciſſe ſcimus, & in

1 Nuncianti ea quæ acciderant officioſe reſpondet. Epiſtola in die adſcribendo certe mendoſa: nec enim convenire ſimul poſſunt annus 1527. & Clementis annus 2. Falſum eſſe primum annum liquet ex die quo Borbonius obiit 6. Maji 1527. Præterea vel ex privatis Sadoleti litteris conſtat, eo anno v. Maji jam eum Carpentoracti fuiſſe. Ad hunc ergo annum 1525. Clementis, a die XIII. Kal. Decembris ſecundum pertinet epiſtola.

& in poſterum facturum non dubitamus. Dum enim curas, ut nota nobis ſint, & ea quæ accidunt, & conſilia cum illis tua, ſatis plane oſtendis quam erga nos geris benivolentiam, ab optima eam & ſincera procedere voluntate, pro qua, ut debemus, pari certe tibi amore, & ſtudio reſpondemus; quod utinam accidat, ut re poſſimus declarare. Nos & de iis quæ ſcribis ad nos ſentimus idem, quod tu, & ut nos de ſingulis rebus quæ in dies eveniunt facias certiores te valde hortamur .... quem profectum, curæ, & adminiſtrationi rerum Cæſaris in illis locis admodum gratulamur. Sapiente enim & probo rectore, omnia ſperandum eſt recte, & moderate eſſe agenda, quod tuæ mentis bonitas, conſiliique prudentia & pollicetur, & præſtitura eſt. Datum Romæ die 20. Junii 1527. anno. ſecundo.

XCVII. *HERCULI GONZAGÆ*[1].

DIl. Fili. Gravem noſtrum dolorem quem ex bon. mem. Sigiſmundi Cardinalis Gonzagæ patrui

1 Conſolatoria de morte Cardinalis Sigiſmundi Gonzagæ. *Mortem ſubiit* (ait Oldoinus *t. 3. col. 261.*) *ex monumentis Vaticanis die 4. ſeu 5., ex Ciaconio vero 9. Octobris*. Ciaconium erraſſe vel hæc epiſtola demonſtrat. Herculem mire laudant hujus temporis hiſtorici, præterea Bembus, Hoſius, Sadoletus. Natus annos xv. creatus eſt Epiſcopus Mantuanus, cedente eo munere Sigiſmundo patruo. Annorum xxii. Cardinalium collegio ann. 1527. a Clemente adſcitus: Concilio Tridentino Legatus præfuit; cui muneri immortuus menſe Martio 1563. Extant ad eum Sadoleti privatæ epiſtolæ, atque inter eas *lib.* xv. 1. qua conſolatur eum de fratris morte, atque inter cetera; *utinam alter mihi facile veniret in mentem, qui tecum videretur eſſe comparandus, qui in tanta nobilitate tantam manſuetudinem &c.*

patrui tui morte accepimus, cum alia quidem multa ſunt quæ poſſunt conſolari: nam & ipſius, quoad vixit, virtus, ac pietas erga Deum, propter quam certa prope ſpe & credulitate noſtra, ejus ipſius Dei eſt miſericordiam conſecutus; & honoris ſplendor ac dignitas, qua nobiliſſimam domum & familiam veſtram exornabat, magnum afferunt nobis ægritudinis levamentum: ſed nulla res in nobis conſolandis eſt præſtantior, quam quod in te, fili perdilecte, & in præclaris tuis virtutibus conquieſcimus. Ut enim tranſlatæ plantæ, ſæpe lætiores uberioreſque conſurgunt; ſic in te & accepta a Majoribus nobilitas, & dotes patris, patrui, avorumque tuorum effloreſcunt etiam magis, accedente doctrina, cui tu ita deditus es, ut optimæ artes in te cum optima mente & natura, quaſi ad te certatim ornandum, contendere videantur. Quamobrem nos te, ut ſi filius eſſes ex nobis natus, humana etiam benivolentia proſequentes, ut vero talem & tantæ ſpei in Chriſto filium paterna charitate complexi, Devotionem veſtram primum in Domino hortamur, ut ferre æquo animo caſum hunc doloris tui, & divinæ voluntati acquieſcere non poſtponas. Quod vero & noſtri in te amoris proprium eſt, & tua eximia virtute probitateque digniſſimum, tibi in verbo veri ſummi Pontificis pollicemur; nos quicquid honoris & ornamentorum in patruo tuo veſtræ familiæ amiſſum eſt, id totum in te ipſo reſtituturos; teque in proxima Cardinalium creatione, cujus tempus non longe

longe abeſt, ad honorem ſummi Ordinis, & ad amplitudinem eximiæ illius & præſtantis in Eccleſiam Dei dignitatis libenter & ſtudioſe eſſe ſublaturos: in quo quidem honore ac judicio, & noſtræ erga te voluntati ſatisfacimus, & hujus S. Sedis commoditati; cujus etiam intereſt, tales & tali ſpe præditos, tantiſque virtutibus ornatos habere penes ſe ſuorum honorum & maximorum præmiorum participes: quorum & dignitate, ipſa quoque reſplendeat, & conſiliis adjuvetur. Datum Romæ ſub anulo Piſcatoris 8. Oct. 1525. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

XCVIII. *MARCHIONI MANTUÆ* [1].

DIl. fili. Gravi nuncio turbati ſumus ex obitu bon. mem. Sigiſmundi Cardinalis Gonzagæ patrui tui [2]; neque ideo, quòd aliquid illi mali accidiſſe exiſtimemus, qui cum virtute & bonitate eximia parem erga Deum pietatem habuit conjunctam, & fratre tuo, fratris ſui filiis clariſſimis, ornatiſſimiſque viris [3], aliis quoque muneribus & auctoritatis & opum a Domino Deo ita inſignitus, ut omni ratione beate vixiſſe in hoc ſæculo exiſtimandus ſit; ſed quia nos hominem chariſſimum, ſancta

1 Idem argumentum hujus ac ſuperioris.

2 Erat enim Sigiſmundus Franciſci II. frater, ex quo natus hic Fridericus II. primò Mantuæ Marchio, deinde a. 1530. a Carolo V. apud quem Mantuæ hoſpitatus fuerat, Ducis titulo ornatus; denique a. 1533. & Montisferrati Marchionatu auctus.

3 Hercule & Ferdinando, quorum poſtremus Marchionum Guaſtallæ caput.

Sedes Apoſtolica Cardinalem digniſſimum hoc maxime alieno tempore amiſimus. Quod ſi nullus proprius hujus damni nobis ineſſet dolor, poſſemus ei vel de præterita vita gratulari, vel de præſenti, & æterna quam aſſecutus eſt gaudere. Siquidem confidimus ſummi Dei miſericordia, illius optimæ voluntati aſſiſtente, ad immortalitatem illum beatæ & cœleſtis vitæ fuiſſe ſublatum. Sed, ut hac ille felicitate jam fruatur, nos tamen ejus morte, ob ſingularem noſtram qua illi affecti fuimus benivolentiam, non poſſumus non dolere; cum præſertim tuo quoque dolore non mediocriter moveamur: paterno enim affectu tuam Nobilitatem proſequentes, omnia tua & læta & triſtia, aliqua ex parte ad nos putamus pertinere. Quoniam vero hujus acerbi caſus unicum levamentum patientia eſt, & divinæ voluntatis in bonam partem acceptio; nos quidem moleſtiam noſtram, ipſius defuncti memoria, & recordatione illius præſtantium virtutum conſolabimur; tuam vero Nobilitatem ita ad æquitatem animi revocare contendemus, ut ſi quid in patruo tuo tibi & familiæ tuæ amiſſum honoris atque ornamentorum eſt, id ſimus tibi, Deo concedente, propediem relaturi, tuumque mœrorem, quoad nobis licitum fuerit, in non minorem lætitiam converſuri. Datum Romæ ſub anulo Piſcatoris die 8. Octobris 1525. Pont. noſt. anno ſecundo.

XCIX. *BA-*

Anno mdxxvi.

XCIX. *BARONI*[1].

Dilecte Fili. Cum in hoc gravi, & turbulento motu, quo Turcarum tyrannus ad bellum inferendum Hungariæ ſe apparat, eas partes curarum, & ſolicitudinis capiamus, quas onus prægrave Pontificatus nobis imponit, videamuſque & auxilio noſtro opus eſſe & conſilio; auxilium quidem illud mittimus quod poſſumus: ſummam enim aliquantæ pecuniæ ex maximis rerum noſtrarum, & Sedis Apoſtolicæ anguſtiis comparatam ad te tranſmittimus; quam, & omnes illas pecunias, quæ reliquæ apud te, aut dilectos filios Faſcaros depoſitæ ſunt, volumus per te in hoc omne opus defenſionis iſtius regni diſpenſari, ſive te ipſo expendente, ſive per alios, quos judicaveris idoneos, diligenti tamen ratione omni per te retinenda, quando, & quomodo impendatur. Conſilio autem in eam rem potiſſimum inſtamus, ut cariſſimus Ludovicus Rex in caſtra ſe conferat, & in ſuo exercitu animandis, atque adhortandis ducibus, militibuſque ſuis verſetur: niſi enim id faciat, & offenſionem belli ac

1 Contra Solimanum ad ſuſtinendum bellum in Hungaria, pecuniarium ſubſidium mittit. Iampridem Leo, vix factus Pontifex, inſtante Thoma Card. Strigonienſi bellum juverat ut refert Iſthuanus *lib.* 5. Idem multo magis fecit, cum Ludovicus Hungariæ Rex Stephanum Verbeicum ad ſe legaſſet ut periclitanti regno ſuccurreret. Clementem VII. 50. aureorum nummum millia eidem Ludovico Regi miſiſſe narrat Raynaldus *ad a.* 1526. *n.* 59. Res tamen infeliciter ceſſit, ut idem Iſthuanus tradit *lib.* VIII. Buda expugnata a Solimano, & poſt miſerabilem Mohacianam cladem pereunte Rege in Caraſſi paludibus.

periculi certiorem, & ipſius Regis, ac nominis Hungarici ignominiam cernimus. Quare volumus, ut tu noſtro nomine, toto animo, toto ſtudio contendas ab eo, ut in hoc nobis omnino obtemperet; neque monitiones noſtras poſthabeat ullo pacto, aut negligat; quod ut ardentius, & magis aſſidue exequare, etiam tibi injungimus, ut ipſius Regis perſonam comitere, non tamen armis, & tumultui bellico te immiſceas: non enim eſt noſtræ, nec Apoſtolicæ Sedis dignitatis, ut Nuncii ejus, armis, & vi, ſed, ut conſilio, & prudentia rem gerant, quorum in te utrumque abunde eſt; quatenus quidem tuto, & ſine periculo licitum erit, ut cum Rege conjunctus ſis, noſtraſque illi monitiones, ut ingeras. Hoc eſt, quod tibi mandamus; illud etiam ſtatuentes, ut quæ tibi ad iter. & moram cum perſona regia extra Budam civitatem trahendam neceſſaria ſunt, tum in equis, quam in cetera ſupellectile, & noſtris & Sedis Apoſtolicæ pecuniis honeſte compares; in quibus omnibus tuam ſolitam fidem, prudentiamque adhibebis. Datum Romæ.

Sadoletus.

C. *ELECTORI*[1].

VEnerabilis Frater. Quot & quantis, pro debito officii & ſolicitudinis noſtræ, urgeamur an-

1 De iiſdem Hungariæ periculis, cum Spiræ conventus habendus eſſet, de quo Cochlæus ad h. a. *Eo anno juſſu Cæſaris vocati ſunt Spiram Principes & Sta-*

anguſtiis hoc tempore, Chriſtianæ Reipublicæ ancipiti, & periculoſo, Fraternitas tua poteſt ipſa per ſeſe, etiam ſine litteris noſtris exiſtimare. Nam, & Chriſtianitatis nondum ſedatæ, & compoſitæ graves motus veremur, & ab immani hoſte, Turcarum tyranno non jam metus neque terror; id quod antea fuit; ſed præſens, & ultimum, & terra, & mari Chriſtianis rebus imminet exitium, & iſtius inclytæ Germanicæ nationis domeſticæ incommoditates nos permovent. Ac nos quidem, quantum homini fas eſt, quantum a Domino conceditur, & cura, & ſtudio, & iis auxiliis, quibus poſſumus laborantibus ſubvenimus, diſcordeſque animos placando, bonos hortando, in periculo poſitis opem ferendo, ſicut modo regno Hungariæ, & illi afflictæ nationi pecuniarium ſubſidium extractum ex maximis Sedis Apoſtolicæ difficultatibus miſimus, nihil prætermittentes, quoad nobis datum eſt, quod ad Patris, & Paſtoris officium pertineat, & quà vires deſunt, amore, & dolore gregi noſtro compatientes. Sed inter ceteras curas, illa nobis quoque inſidet non mediocris, quod in hoc propinquo Germanorum Principum conventu, qui Spiræ indictus eſt, cogimur extimeſcere, ne pravarum hæreſum ſemina aliquid veneni mali pariant, per quod Fidei Catholicæ, & Eccleſiaſtico nomini de-

Status Imperii ad celebranda Comitia, atque ad conſultandum in commune, tum de pace & Religionis negotio, tum de ſubſidio Hungaris contra Turcas ferendo.

detrahatur. Quamquam magna eſt nobis ſpes in ipſis Germaniæ Principibus poſita, qui & propter prudentiam cavebunt, & propter religionem obviam ibunt, ne impiis Miniſtris peſſimarum poteſtatum tantum audaciæ, & facultatis tribuatur. Ac inter ceteros, cum nota ſit nobis Fraternitatis tuæ virtus, & in ſuſcepta fide conſtantia, etſi non dubitamus quin illa, etiam ſine hortatu noſtro, pro gradu, & honore ſibi a Deo collato, arcem defenſorem veritatis, & rectæ Religionis ſe præbitura ſit; eam tamen ex amore potius, quam ob neceſſitatem hortandam duximus, ut ad id quod ſua ſponte factura eſt addat etiam aliquid, voluntatis, & operæ noſtræ cauſa, qui plurimum virtuti ipſius fidimus, atque in frænandis, & coercendis temerariis pernicioſiſque hæreſibus, ſiquæ ipſi ſerere zizania volent, conſulat, & Fidei Catholicæ, & dignitati authoritatique Eccleſiaſticæ; qua ſublata, omnis jam reverentia, omnis erga Superiores obedientia perierit: quod ita eſſe, utinam incommodo exemplo non eſſemus edocti; ſtudiumque ſuum præterea & omnem conatum adhibeat, ut regno periclitanti Hungariæ aliquod firmum auxilium ab iſta fortiſſima natione præbeatur, ad quod non ſolum cura, ſed celeritate eſt opus; ita regni illius res, ut te noſſe credimus, ingruentis hoſtis Turcæ rapinæ & direptioni expoſitæ ſunt, quibus tu certe conſiliis, & actionibus, & maximam tibi apud Deum mercedem, & apud homines gloriam

es

es comparaturus ; nos vero ita obligaturus, ut omnis tibi officii, & benivolentiæ futuri ſimus debitores: ſicut latius tecum dil. fil. noſter Nuncius, noſtro nomine aget, cui Fraternitas tua fidem adhibebit 1526.

Clemens VII. Sadoletus

CI. *CAROLO V. ROMANORUM IMP. Semper Auguſto*.

CHariſſime in Chriſto fili noſter ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Non opus eſſe credimus [1], apud Serenitatem tuam multis verbis uti, ad demoſtrandum, quo jam per tres annos ſtudio, quibus nos curis & actionibus, a noſtri videlicet Pontificatus initio, tùm pacem communem totius Chriſtiani nominis, tùm privatim tuam amicitiam & conjunctionem nobiſcum procuraverimus atque appetierimus; ſunt enim omnia acta cogitataque tibi propemodum æque nota ac nobis: ſumus nos quidem conſcii, nihil prætermiſiſſe, quod vel ad boni Paſtoris officium erga univerſum gregem, vel ad fidelis amici animum in tuam Serenitatem ſpeciatim pertineret. Quorum tamen bonorum operum, atque amoris erga te noſtri, eum ſumus exitum conſecuti, ut repulſi jam toties a benevolentia & conjunctione tua, cum nullam æquitatem conditionum, nullum indicium veri amoris apud

1 In edit. *arbitramur*.

apud te invenerimus; ſive eorum artibus & dolis, qui nos cum Serenitate tua nunquam conjunctos eſſe voluerunt; ſive tua mente, oppreſſionem Italiæ & imminutionem noſtræ dignitatis meditante, ad ea conſilia a quibus & natura & voluntate ſemper abhorruimus neceſſario ſumus compulſi, ſerius quidem multo quam aut plurimarum rerum indignitas, aut honoris noſtri, & publici Italiæ boni ratio poſtulabat. Sed cum ad extremum ventum eſſet, cumque patientiæ noſtræ diuturnæ atque magnæ jam nomen & opinio ad negligentiam rerum publicarum, converteretur; coacti ſumus tandem ea capere arma, quæ & juſtitiæ, & Italiæ libertati, & nobis ipſis poſſent eſſe præſidio, non offendendi cujuſquam cauſa, ſed tuendi & conſervandi honoris atque officii noſtri. Etenim ut commemoremus breviter cauſas, quibus adacti ſumus ita facere; meminiſſe potuit Serenitas tua, nos cum in Cardinalatu eſſemus, tibi ſumme addictos atque conjunctos, & vivo f. r. Leone X. fratre noſtro patruele, & deinde etiam mortuo, quò rerum tuarum is exitus eſſet, & ea gloria, quam tumet optabas, non laboribus, non periculis noſtræ perſonæ propriæ, non impenſis peperciſſe. Cumque deinde Divinâ providentiâ ad Pontificatus honorem vocati fuiſſemus, tuique tunc hoſtes in Italia magnas copias haberent, etſi pro Paſtoralis officii debito ab illis armis nobis abſtinendum erat, tamen ne rationes tuas impeditas relinqueremus, non ſolum Florentinorum, ſed

ſan-

ſanctæ etiam Romanæ Eccleſiæ copias in tuis ſubſidiis & caſtris verſari permiſimus; nec vero pecunias ſuppeditare ceſſavimus, nec ante quam depulſum illud periculum fuit, deſtitimus tuis ducibus favere & juvare. Poſtea vero, cum hic Pontificatus honor etiam in nobis patris perſonam expoſceret, decreviſſemuſque abeſſe ab armis & bellis, exercituſque & milites noſtros, tuis jam bene conſtitutis rebus, & non modo non inferioribus, ſed ſuperioribus etiam quam hoſtium tuorum, revocaviſſemus; tamen armis a nobis depoſitis, neque fideli conſilio Ducibus tuis in Galliam tranſeuntibus, neque inde pedem referentibus pecuniarum auxilio, pro rerum noſtrarum tenuitate, defuimus [1]. Succeſſit ex illo intempeſtivo in Galliam tranſalpinam tuorum tranſitu, celerior & gravior in Italiam Gallorum irruptio, Rege maximi nominis exercitum ducente, ac urbis opulentiſſimæ Mediolani ab illis receptio. Quo tempore, cum duces tui de defenſione illarum regionum ſpem totam poſuiſſent, ac de earum inſuper, quæ tuæ erant propriæ, periculo commoverentur, nos etiam in magno noſtrarum rerum metu eſſemus; eis conventionibus occurrere coacti fuimus imminenti periculo, quas tu optime noſtri. Ex quibus vidiſti tu profecto & cognoviſti, quæ nobis eſſet cura, quæ cautio rerum harum [2], ut nihilo minus tibi rebuſque tuis, quam & nobis & noſtris caveremus. Hæc tu ſi noſti, quæ ad te certe pervenerunt, nihil

opus

1 In ed. *adfuimus* male.

2 In edit. *cum*.

opus eſt illius temporis actiones noſtras comprobare apud te, ſingulareque quoddam ſtudium noſtrum ſtatus honoriſque tui oſtendere; facile enim hoct ibi res ipſa declaravit: ſin autem vel non cognoviſti, vel oblitus es, erit tempus commodius, quo iſta exponemus, qui & Gallorum tranſitum in tui regni fines multis rebus remorati fuimus; & cum ſi ſocietatem illorum voluiſſemus ſequi, maxima nobis præmia, non ſolum proponerentnr, ſed etiam eſſent parata, ab inſtituto noſtro non diſceſſimus: pluſque apud nos amicitiæ tuæ memoria quam præmium ullum valuit. Secuta eſt victoria tuorum adverſus Gallos, qua adepta, cum omnis nobis ſublata contentio videretur, cumque jam ſine cupiditate & partium ſuſpicione tibi videremur fœderis vinculo hærere poſſe, magnumque in eo beneficium Italiæ & Chriſtianitatis totius poſitum arbitraremur, non fœdus ſolum fecimus, ſed quò tui duces egentes pecuniæ alere, & ſuſtinere exercitum poſſent, eumque a noſtris finibus abducerent, centum illis dedimus ducatorum millia, conditione appoſita, ut ſi de fœdere aliqua dubitatio tibi oriretur, illæ nobis pecuniæ reſtituerentur. Eo fœdere plane a te non accepto, nec probato; cum propter æmulationes quorundam ex ducibus tuis, & ingrata ceteris conſilia, bon. mem. [1] Piſcariæ Marchio nonnulla jactare tractareque, cœpiſſet, quæ in detrimentum tui ſtatus intendi videbantur, noſque etiam illa conſilia audiviſ-

1 In ed. *Varma*.

viſſemus, neque, fœdere abs te rejecto,eſſemus penitus aſpernati; quærentes ſcilicet, ſi tu nobis deeſſes, ſicut jam deeras, ubi poſſemus niti atque confidere; tamen neque a verbis ad facta aditum ullum tentavimus, & vincente tuam in nos duritiam amore erga te noſtro, recordamur te admoneri mandaſſe, ut duces tuos in Italia, quorum in manu res tuæ eſſent,curares de te eſſe contentos: quo certe officio probare debuimus, eſſe nobis vehementer curæ quietem & ſtabilitatem rerum tuarum. Deinde vero, maximo cum gemitu & dolore noſtro atque Italiæ totius, cum iidem duces tui ſtatum Mediolani occupaviſſent, atque arcem, in qua Franciſcus Maria reſidebat circumvallare inſtituiſſent, tamen, poſtulante a nobis curam & ſecuritatem adverſus indignitatem tantam Italiæ periculo, omnibus notis atque ignotis flagitantibus, paratis qui arma & auxilia conferrent, cunctis prope Chriſtianitatis Regibus nos animantibus; cum non videremur poſſe reſiſtere monitis,querelis, precibuſque illorum; cum nos officii noſtri debitum, Italiæ calamitas & periculum commune commoneret; tamen adveniente per eos dies dil. fil. Commendatore Herrera, a te ad nos tractandi cauſa (ut ipſe ferebat) miſſo, relapſi in priſtinam ſpem & cupiditatem benivolentiæ tuæ nobis quoquomodo conciliandæ, dimiſſis conſiliis, conſpirationibus, oblationibuſque cunctorum, gravi omnium indignatione & querela,qui ſe a nobis deſertos conquerebantur,ad te denuo

denuo confugiendum putavimus, quærenteſque tibi comparare gloriam pacandæ Chriſtianitatis, & moderationis tuæ omnibus declarandæ, meminimus, ea conventionum capitula, quæ prædictus Herrera attulerat, paucis in locis leviter immutata remiſiſſe ad te comprobanda, ſcripſiſſeque manu noſtra litteras, quibus te per Dei miſericordiam obſecrantes, ut depellere velles hanc ſuſpicionem, quæ de tua nimia cupiditate omnibus adhærebat; & perpetuitatem ac fructum amicitiæ noſtræ tibi pollicebamur, & conſilium fidele dabamus, & quæ petenda erant omni cum humanitate & benivolentia abs te petebamus; ſecuritatem videlicet Italiæ; Duci Mediolani, ſi quo pacto erraſſet, clementiam; nobis ipſis amorem: quæ tot noſtra opera atque officia erga Serenitatem tuam, necnon alia quamplurima, quæ tibi quotidie a nobis poſtulanti prompte ſemper concedebamus, ex quibus tibi commodum atque honor quotidie accreſcebat, quemadmodum a te accepta & recompenſata ſint, in promptu eſt cognoſcere. Primùm, omnium tuorum in Italia agentium iniquitati & contuberniis [1] ita fuimus expoſiti, ut cum non omnia ſtatim ex illorum præſcripto & cupiditate egiſſemus, de noſtra fide & voluntate obloquerentur, noſque apud te ſuſpicionibus ſiniſtris onerare non deſinerent; nec reputantes quid officium noſtrum honoſque depoſceret, vellent nos ſecum in omne conſilium, quod illis placeret, ruere præcipites; atque ubi primum moderatius & circumſpectius nos contineremus, omnium præteritorum

[1] in ed. *contumeliis*.

rum officiorum periret gratia: quibus tu profecto fidei multo pluſquam conveniebat habebas. Deinde in Senenſi civitate omnes nobis amicos & benivolos tanta tuorum acerbitas & iniquitas inſectata eſt, ut exterminata omni pene nobilitate, cædibuſque multis factis, nihil fieret apertius; quam eas contumelias & opprobria nobis ipſis impingi; cum nos patientia & diſſimulatione, atque ut omnes modeſtiæ partes erga te ſervaremus, nullum aliud remedium tot innocentium calamitatibus niſi a te ipſo quæſiſſemus; quod tantum abſuit ut præſtaretur, ut quotidie pejus atque acerbius illi in clades benivolorum noſtrorum, & noſtrum dedecus graſſarentur. Fœderis autem ipſius tua rejectio, quod nos cum tuis Oratoribus & agendi facultatem habentibus ictum, & a dilecto filio nobili viro Carolo De la Noy Vicerege Neapolitano comprobatum & ratificatum pro firmiſſimo habebamus, cum ejus non tam ratificatio abs te, quam executio ſola expectaretur, quid tandem tibi erga nos animi eſſe oſtendit? cum ſi quid in illo pro te eſſet, id libenter adſciſceres; in quo vero aut dignitati noſtræ aut commodo inſerviretur, id infectum irritumque dimitteres: ſicut in iis quæ ſeparatim ſtipulata fuerant, ſpolii videlicet terrarum & locorum Sedis Apoſtolicæ, & aliorum quorumdam repudiatio tua declaravit. Quo etiam eventu non ſolum pecunias noſtras ex pacto

convento non recuperavimus, verum etiam contra promiſſum, & fidem datam, exercitus tui bona pars in S. R. E. locis & terris prope aſſidue verſata eſt, tantis & tam gravibus injuriis & detrimentis ſubditorum noſtrorum, & crudelitatis, avaritiæ & innumerabilium ſcelerum atque inaudita immanitatis fama, ut horribilis ſit & auribus humanis intoleranda commemoratio. Acceſſit in eis conditionibus, quæ inter Serenitatem tuam & chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Franciſcum Regem Chriſtianiſſimum apud te exiſtentem tractabantur; ut de illis noſtri Legati & Nuncii aut penitus celarentur, aut vix atque ægre, cum ipſi ſtudioſe inquirerent, de leviſſimis docerentur, & neque ea quæ auditu ex conjectura aſſequebantur, illis ad nos ſcribere permitteretur. Quo quidem tempore maximum dabatur ſignum tuæ & a nobis alienæ, & fidei noſtræ derogantis voluntatis. Mittimus innumerabilia alia, in quibus nulla unquam habita eſt ratio nec honoris, nec voluntatis noſtræ.. Ad illas ipſas litteras, quas ad te tam humane & liberaliter ſcripſimus, ita reſponſum a te eſt, ut ubi clementiam Duci Mediolani petebamus, tu rigorem juſtitiæ offerres; ita tamen, ut nequaquam ex ordine juſtitiæ, judicium atque ſententiam pœna antecederet: ubi eorum quæ tunc adverſus rationes tuas a tuis ducibus jactata & ad nos delata etiam fuerant, culpam in quibuſdam eſſe dicebamus

bamus; tu [1] nos quodammodo criminarere, illos immunes criminis faterere: quæ tibi benigne & large pollicebamur; ea tu tamquam tibi debita & obligata flagitares. In quo vero perſpicuum indicium conſtitit, nos abs te illudi & pro nihilo haberi, fuerunt ipſa illa capitula Herreræ remiſſa ad te, ut comprobarentur. Cum illi facultas primo conceſſa uberior eſſet, quod jam confectam concordiam cum Rege Chriſtianiſſimo habebas, tu reſtrictiora multo quam prius & jejuniora tranſmiſiſti, apertiſſime indicans nos poſtremos eſſe, & contemni abs te, ubi tibi cum aliis amicitia conveniſſet. Quibus tot animi tui erga nos non bene diſpoſiti ſignificationibus animadverſis; cum ſive ea tua eſſet propria voluntas; tuæ in nos voluntati vehementer diffidere cœpiſſemus: ſive quorumdam ex tuis, quod magis credimus, perverſitas & maligna ſuaſio; tantum tamen illos apud te poſſe, vehementer periculoſum intelligeremus nobis, totique Italiæ: perſtitimus tamen in ſtudio & amore pacis; perſtitiſſemuſque perpetuo, ſolitaque arma noſtra patientiæ induentes, permiſiſſemus Deo omnes actiones cogitationeſque noſtras; ſi non tuorum pertinacia in obſidenda arce Mediolani, illiuſque ultimum prope diſcrimen, nos ad ſuſtentandam libertatem Italiæ, diſcernendumque facta a verbis prope ſupremo tempore excitaviſſet: præſertim cum quò minus de tua voluntate dubitare poſſimus, tua in Hiſpania ad deprimendam auctoritatem ſanctæ Sedis Apoſtolicæ,

[1] *Quo* in ed.

cæ ; & Summi Pontificis dignitatem infringendam propoſita pragmatica fuere edicta, Eccleſiaſticæ facultati & libertati derogantia ; quibus in regno Neapolitano, Eccleſiæ Romanæ feudo, ſimilia alia conſecuta ſunt : ſupradicti quoque Viceregis Neapolitani, qui ad nos ut veniret electus fuerat, apud Chriſtianiſſimum Regem remanſio, & cum eo novarum tecum conventionum occulta & a noſtris ibidem agentibus abſcondita tractatio, fixum in te illud conſilium noſtræ auctoritatis deprimendæ, & amicitiæ omnino repudiandæ, perſeverantemque in ea opinione ſententiam indicaret. Quod confirmavit etiam nobis magis, dilecti filii Hugonis de Moncada, ad nos firmandæ amicitiæ cauſa cum amplis mandatis, ut ferebatur, miſſi, in regno Franciæ mora, tamquam eventum ſpeculantis ; ut ſi illæ res tibi ex ſententia confectæ eſſent, nos tunc penitus poſthaberemur ; ac deinde eodem animo cum Duce Mediolani potius paciſci contendentis : cum quidem interea tui in Italia agentes ; ut omnino [1] & extra & intra appareret, contra nos quoque & S.R.E. ſtatum iniri conſilia ; Parmam urbem noſtram proditione occulta eripere nobis tentaviſſent. Quibus tot & tantis injuriis & cauſis, inviti quidem & gementes de te deſperare & diffidere coacti ſumus, noſtramque amicitiam & benivolentiam, quam tu toties repudiaſti, multis & magnis Regibus adjungere ; quorum optimum in Chriſtianam

1 *omnia* in ed.

nam rem & Sedem Apoſtolicam animum ſi aſpernati eſſemus, non jam Paſtoris & communis Patris laudem, ſed ſuperbi & inſolentis nomen acquiſiviſſemus. Quod cum eſſet a nobis jam factum, & fide invicem data, fœdereque conſtricti cum eis Regibus eſſemus, acceſſit tum demum itineribus lente & tarde confectis dictus Hugo, nobis tecum conjunctionem & conditiones eas afferens, quas nos cupidi tuæ amicitiæ, & ut nobis quidem videbatur, cum communi Italiæ & Chriſtianitatis commodo, tui etiam & commodi & honoris privatim appetentes, tam ſæpe abs te tamque vehementer cum requiſiſſemus, fuimus toties repudiati ac repulſi: quarum nunc accipiendarum occaſio & tempus præteriere. Atque ut impendens Italiæ grave ſervitutis periculum, ac turbationem univerſæ Chriſtianitatis, quantum in nobis eſt, propulſaremus armis & exercitu Sedem Apoſtolicam munire ſumus compulſi; abhorrentes quidem ab ipſa armorum tractatione, ſed tamen nullam aliam viam defendendæ juſtitiæ & pacis inter omnes æquis conditionibus ſperandæ, minime cernentes. Habes rationem noſtrorum actorum & conſiliorum, quæ idcirco ſummatim a nobis tibi explicata eſt, ut juſtificemus non ſolum coram Deo (is enim inſpector cordium eſt) ſed etiam coram omnibus hominibus actiones noſtras. Et nunc eo animo ſumus, atque ita coram eodem Deo ac te teſtamur; ſi Serenitas tua ad æquitatem & humanitatem referre ſe

voluerit, noſtra arma non ſolum non adverſa tibi, verum etiam ad res vere glorioſas propicia futura: ſin autem in occupanda quotidie magis Italia, & aliis partibus Chriſtianitatis perturbandis, tu non tam naturæ tuæ (quam nos probam ſemper exiſtimavimus) quam cupiditati & conſiliis tuorum obſequi perſeveraveris, nos neque juſtitiæ, neque libertati Italiæ, in qua hujus quoque ſanctæ Sedis tutela continetur, defuturos, ſed juſta & ſancta arma moturos, non tam ad offenſionem tuam (tibi enim omnia ſemper honeſta & proſpera optamus), quam ad defenſionem noſtrorum & patriæ ſalutem, communiſque dignitatis. Quod, ut ne nobis, nimium ægre & invite hæc ipſa tractantibus facere neceſſe ſit, obſecramus te, fili cariſſime, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, & per eam ſpem quæ de tua virtute, tamquam futura Chriſtiano nomini ſalutari, omnium mentes occuparat, ut providere velis, quo immoderatis cupiditatibus repulſis, & aliquid potius publico Chriſtianitatis bono condonando, quam omnia [1] ad te trahere conando, hæc Italiæ & Chriſtianitatis incommoda & pericula tua moderatione ſedentur. Eſt enim tibi profecto hujus curæ onus commune nobiſcum, & ambo a Deo in hanc ſolicitudinem pro commiſſis nobis honoribus ſumus vocati: in quo nos officio & debito noſtro neque defuimus, neque quantum juſtitiæ patrocinium permiſerit defuturi ſumus. Tu vero, ſi quæ de tua in pacem generalem vo-

[1] *nimium* edit.

voluntate paſſim ferebantur, veras prudentiæ & pietatis radices habebant, habes occaſionem declarandi, quæ ſentiebas, omnia vere & ex animo ſenſiſſe, atque operibus verba comprobando, ſingularem optimi Principis laudem tibi acquirendi: qui ſi tam nobis vere amorem tuum cupientibus, in liberanda Italia, quam fœderatis noſtris, in ſuis juſtis & plenis humanitatis æquitatiſque petitionibus, ſatisfacere inſtitueris, erit id Serenitatis tuæ famæ & ſapientiæ melius multo accomodatum, & paci univerſali, ſecuritatique, tam rerum tuarum, quam totius Chriſtianitatis magis conſentaneum. Datum Romæ apud S.Petrum ſub anulo Piſcatoris die 23. Junii 1526. Pontificatus noſtri anno tertio.

Clemens VII. Sadol.

CII. *CÆSARI.*

CHariſſime in Chriſto fili noſter ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Aliqua ſunt, quæ nobis præter naturam noſtram, præterque voluntatem, cum ſumma quadam neceſſitate incumbunt; quæ ſi prætermittantur, nec boni Pontificis officio, nec juſtitiæ faventis, & patrocinantis Principis debito ſatisfacere poſſe videamur; quibus coacti ſumus inire ea conſilia, per quæ libertati Italiæ, & periclitanti ſanctæ Sedi Apoſtolicæ præſidio ſimus; in quibus tua diu tam a nobis expectata, & ab omnibus ſperata animi virtus

& moderatio, ſi eam medicinam adhibere voluerit, quæ & felicitatem a parte tua habet, & ut nos quidem recte judicamus, etiam gloriam, & utilitatem; magnis erit terroribus, & periculis Chriſtianitas liberata: de quibus omnibus ſcribimus largiter ad dilectum filium Baldaſarem Cardinalem [1], ut cum Serenitate tua conferat, ac communicet. Obteſtamur per Dominum Jeſum, patrem omnis miſericordiæ, Serenitatem tuam, ut animum, & curam adhibere ad dictum Nuncium auſcultandum, & providere publicæ ſaluti, pace æquis conditionibus amplectenda, & continendis ſuorum cupiditatibus ac injuriis intra legum, & æquitatis fines velit, ut reliquis de vita, & de fortunis ſuis vivere ſecuris liceat: quod erit non famæ ſolum, & ſapientiæ tuæ melius multo accomodatum, ſed tranquillitati etiam tam rerum tuarum, quam Chriſtianitatis totius magis conſentaneum. Datum Romæ die 25. Junii 1526. an. III.

Clemens VII. Sadol.

CIII. *REGI PORTUGALLIÆ* [2].

CHariſſime in Chriſto fili noſter ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Credimus non ignorare

1 Sic in apogr. noſtro: ſed legendum *Balthaſarem Caſtilionem*: erat enim hic Pontificis Nuncius ap. Cæſarem, cujus litteræ dum eo munere fungebatur leguntur inter *epiſt. Princip. lib.* 1.

2 De calamitatibus a Turcarum Rege Chriſtianis importatis, ſtrictim; uberius vero de Romana calamitate quæ hoc anno contigit, & de qua Hiſtorici omnes; hæ vero litteræ ejuſdem exactam narrationem habent.

rare Serenitatem tuam, quo in ſtatu nunc ſint Chriſtianitatis res, ancipiti videlicet & periculoſo. Nam & bellis inter nos impliciti, & a Turcarum Rege occupata prorſus Hungaria, Italiæ tam imminente, quid nobis bonæ ſpei ad præſidia noſtræ reliquæ ſalutis oſtendatur, plane nil videmus. Quanquam nos illi regno miſero atque infelici quibus potuimus auxiliis opitulati ſumus; atque, ut conſtat,& tibi conſtabit teſtimoniis eorum qui illas res bene noverunt, noſtra præſidia, noſtræ copiæ, noſtri milites, aut impedimentum Turcis non mediocre fuerunt, aut illorum certe impetus ſua clade & ſanguine ſunt remorati. Sed ſive ob hoſtium inenarrabilem potentiam, ſive quod Deus (id quod potius timemus) noſtris peccatis adverſus eſt, victis & confractis repagulis omnibus, illud eſt regnum in hoſtium infidelium poteſtatem redactum. Accidit illud nobis, illa regna ſervare & defendere cupientibus incommodum; quod bello eramus in Italia implicati, non tam quidem contra Cæſaris Serenitatem; nihil enim ab ipſo certi mali aut perniciei Italiæ parari putabamus; quam adverſus & illius exercitum & Duces, qui ſtatu Mediolani occupato, omnibus ceteris ſimilem terrorem ſuæ nimiæ cupiditatis injiciebant. Cujus belli per nos ſuſcepti ſi tibi reddenda eſſet a nobis ratio, aut ſi tu clades, rapinas, direptiones, detrimenta miſeræ Italiæ perſpicere potuiſſes; non dubitamus quin juſtiſſimam vel potius neceſſariam cauſam no-

noſtram judicaturus fueris. Exercitum quidem Cæſaris ſine ſtipendio tandiu retentum, omnium bonis & fortunis illi in prædam oblatis, qua licentia, quotque injuriis in imbecilles populos uſum fuiſſe putandum ſit, poteſt per ſe tua Serenitas cogitare. Nos igitur ad liberationem afflictæ Italiæ arma ſumpſimus, ut ſumus arbitrati, pia & juſta; nec quicquam nos aliud ſpectaſſe, quam ſalutem noſtræ & communis omnium gentium patriæ Italiæ, teſtimonio eſt, quod nihil in victoria ad nos emolumenti pervenire pacti ſumus, ſed tantum paſtoris & defenſoris juſtitiæ officio fungi voluimus. Contra autem ipſum Cæſarem, ejuſque res legitimas atque proprias ita nihil unquam ſumus damni machinati, ut cum ſuperioribus diebus Columnenſibus ſubditis noſtris quidem, ſed nobis parum fidis, arma in manibus ad portas Urbis noſtræ tenentibus, nos quoque firmam manum militum comparaviſſemus, qua illis facile ſuperiores in Neapolitanum Regnum intrare, & omnia turbare, ac labefactare potuiſſemus, ſimulatque fides eſt nobis per Columnenſes data, eos arma eſſe depoſituros, nihilque contra nos & ſtatum noſtrum tentaturos, ſtatim omnia armata præſidia dimiſimus, quaque in parte, ſi inimico animo fuiſſemus in Cæſarem, bellum flagrare & vigere oportebat, ea ex parte ſummam pacem fecimus. Ergo in hoc ſtatu res noſtræ erant, cum eſt ad nos de Regis Hungariæ morte, & ejus exercitu cæſo, ac de Turcarum victoria allatum.

latum. Quo nuncio perculſi cum cerneremus niſi apta remedia quærentur, omnia in unam ruinam procubitura, ſtatim cœpimus conſilium, inſpirante Domino, quacunque ratione arma noſtra deponendi, ac juſſo accerſiri Ugonem de Moncada Cæſaris Capitaneo, induciarum tempus conſtituendi; quò interea noſmetipſi ad chariſſimos in Chriſto filios noſtros Cæſarem & Chriſtianiſſimum Regem accedere & efflagitare inter illos pacem, auxilium labanti Chriſtianæ Reipublicæ petere atque obſecrare, iram Dei denunciare, omnia denique tentare & agere quæ ad profectum pacis neceſſaria eſſent, valeremus, non noſtro incommodo, non populorum noſtrorum, non periculis ullis, aut maris, aut terræ, noſtram piam voluntatem deterrentibus. Hac re ſic deliberata, poſtero die mane advocato Venerabilium Fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Conſiſtorio, ſignificavimus illis hujus ſuſcipiendi itineris mentem noſtram, quæ cum ab omnibus fuiſſet approbata, ſilentium tunc illis indiximus. Veſpere autem ejuſdem diei, vocatis Oratoribus omnium Principum qui apud nos erant, eamdem voluntatem noſtram illis aperuimus, inter quos dilectus filius Martinus de Portugallia Serenitatis tuæ nepos, cujus virtus, induſtria, prudentia, nobiſcum ſæpe aliàs, tum maxime in hoc omni periculoſiſſimo tempore ſatisfecit, optimus poteſt tibi eſſe teſtis; qui in conſiliis periculiſque noſtris omnibus, labore, diligen-

ligentia, conſilio aſſiduus intervenit, & hactenus quæ . . . . Cum ecce poſtridie ſummo mane tumultuoſiſſimus nuncius ad nos venit. Columnenſes oblitos fidei quam nobis dederant, iniquiſſima mente & voluntate, Duce jam dicto Ugo de Moncada Cæſaris Capitaneo cum magna manu eſſe ad Urbis portas, jamque ingreſſos mœnia ad perſonam noſtram vel necandam, vel captivandam præproperos advolare. Quo metu ſubacti, continuò ad arcem ſancti Angeli nos recepimus, atque illi noctu, longiſſimo . . . . confecto cum in palatium veniſſent, atque ibi perſonam noſtram non inveniſſent, ad cædes direptioneſque converſi ſunt. Quo in ſpectaculo acerbo & lugubri, quid eſt quod pro calamitate tanti mali ſcribere apte poſſumus? cum oculis noſtris videremus rapi, trahi, ferri omnia tam ſacra quam profana (quamquam in ejuſmodi loco quid potuit eſſe profanum?) cum templum illud ſanctum & venerabile Beati Petri, quod caput, quod domicilium, quod fundamentum Chriſtianæ Religionis ſemper habitum eſt, Hiſpanorum & aliorum, qui cum illis erant, manibus cruentis videremus diripi, aras ſanguine fœdari, omnia ſacrorum miniſteria diſtrahi & dilaniari, necnon antiquum Sacrarium in palatio, in quo rem divinam perpetuò Romani Pontifices celebrare ſoliti erant, ita cultu & apparatibus ornatum, ut tamen in eo plus reverentiæ & ſanctitatis quam divitiarum eſſet,

ſet, omnibus ornamentis, nullo ſacramento Religionis cupiditatem retardante, vidimus ſpoliatum; quibuſque templis & ſacris rebus, neque Gothorum quondam nimis feræ mentes, neque Vandalorum Chriſto non parentium infidelitas, cum in hæc eadem loca barbaræ illæ gentes per vim invaſiſſent, ullam injuriam, ullum detrimentum propter reverentiam ſanctitatis attulerunt; noſtri, Chriſti nomen & characterem præferentes, nullam in partem pepercere, eis ducentibus, atque hortantibus, quos maxime ægre ferre tam atrox delictum & facinus oportebat. Nec hic illorum immanitas conſtitit, ſed diſcurſionibus factis, cum plurimæ domus prædæ fuiſſent datæ, cumque alias plures idem incommodi ſenſuras cerneremus, ita dolore victi & afflictæ Urbis miſericordia affecti fuimus, ut potius ad conditiones devenire, quam tam acerbum ſpectaculum diutius intueri ſuſtineremus: magna quidem noſtra & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ indignitate; ſed de duobus maximis malis quod minus malum fuit duximus eligendum. Itaque ad pactiones deſcendimus, ut utrinque arma in Italia ſuſpenderentur, quod nos quidem jam velle facere fueramus profeſſi; ſed magnus tamen in eo dolor, quod voluntate faciebamus, id per vim facere videri, ut eis .... omnibus qui in eo inſultu contra nos & ſedem Apoſtolicam ignoſceremus; quod etiam conceſſimus, conditione appoſita, quam tamen conditionem nec illi ſervaverunt,

verunt, neque, ut apparet, ſunt ſervaturi. His pactis conditionibus illa procella ſummi periculi tum a nobis depulſa eſt; ſed tam ſubito & inſperato incommodo conſilium noſtræ profectionis ſublatum videbatur; diſſuadentibus fere omnibus, ut ab itinere deſiſteremus, quod jam nullam habiturum eſſet dignitatem, nec optati exitus pacis conciliandæ gratiam. Stetimus igitur ancipites & vehementer dubii, quid nobis eſſet agendum. Hæc linquere uti erant ſic turbata, parum cautum; ad conficiendam pacem non accedere, parum pium videbatur. Cum, re denuo cum Venerabilibus Fratribus noſtris communicata, hoc Conſilium captum eſt, ut mitteremus ad omnes Reges novos Nuncios; qui & calamitatem regni Hungariæ, & neceſſitatem pacis, & noſtrum quoque recentem caſum ſignificarent: ac ſi, coeuntibus eorum ad pacem & ſtudium concordiæ voluntatibus, aliquis eligeretur locus, in quo fieri commune Regum colloquium inter ipſos poſſet, noſmet denuntiarent ad illud colloquium eſſe venturos Ac alii ad alios deſtinati ſunt; ad te vero, fili chariſſime, non habuimus dexteriorem prudentiorem Nuncium quem mitteremus, quam tuum ipſius Oratorem, cujus omni hoc tempore ſumma erga nos & hanc ſanctam Sedem officia extiterunt. Ille enim, nullo labore recuſato, ſæpe inter nos & Ugonem, jamdiu cum nec gladiorum, nec licentiæ militaris periculum, quod illi ab cupidis prædæ & ſanguinis militibus imminebat, illius pie-

pietatem & operam retardaret, omni ſolicitudine, omni ſtudio & opera conatus eſt, ut & illorum crudelem vim mitigaret, & nos ad compoſitionem cum illis adduceret; cui quantum debeamus vix poſſumus explicare: certe niſi ejus induſtria & auctoritas interceſſiſſet, aliquod majus malum illo die fuiſſet patratum. Cum igitur & teſtis fidelis, & prudens explicator, & optima mente atque animo in Chriſti rem prædictus a nobis eſſet judicatus, eum in ſecreto Conſiſtorio juſſimus introduci, ac illum obteſtati ſumus, ut iter hoc neceſſarium ad te pro Chriſtiana Republica & Dei optimi maximi fide, ac pro noſtra dignitate ſuſciperet: quam petitionem noſtram omnium Venerabilium Fratrum noſtrorum preces ſunt ſubſecutæ. Atque ipſe, ut eſt in omni pio labore promptiſſimus, etſi durius aliquantum ducebat, ſine tuo juſſu a ſua legatione diſcedere; tamen tanto conſenſu noſtro & Senatus Apoſtolici victus, ac optime exiſtimans, Serenitati tuæ, pro tuo eximio animo in rem Chriſti & publicam, id non ſolum probatum, ſed gratum etiam futurum, conceſſit noſtræ voluntati; atque hunc quoque, poſt alios multos laborem ad te proficiſcendi, & ad Sereniſſimum quoque Cæſarem ſuſcepit, ad quem, quamquam & per alios curavimus perferri noſtra deſideria; tamen in ipſo tuo Oratore maximum momentum illius movendi, & ſuadendi poſuimus. Quæ autem a tua Serenitate requirimus, ea hæc ſunt; primum, ut quod ad pacem

pacem communem, & remedium adverſus crudeliſſimum hoſtem parandum pertinet, in eo velis omnem vim adhibere & virtutis & potentiæ tuæ: deinde, ſi alia ratio negotii conficiendi expeditior non occurrat, diem & locum & modum velis conſtituendum curare, ſuadendo hoc Cæſari, & ſi etiam tibi videatur, Chriſtianiſſimo Regi, ut colloquium ſanctum & ſalutare fieri poſſit; ſicut nos quoque ambos eoſdem Reges non ſolum hortamur per Nuncios noſtros, verum etiam obſecramus. Nos enim Serenitati tuæ pollicemur, ſi hujus optati colloquii data erit facultas, nos promptiſſimo & libentiſſimo animo illuc acceſſuros, perſonamque noſtram omnibus periculis pro Dei, & Fidei Chriſti utilitate & cauſa objecturos. Quod ita maxime fieri cupimus, ut etiam interveniat, ſi poſſit fieri, Serenitas tua, vel hortatrix concordiæ, vel conditionum confirmatrix; quod tua maxime auctoritate poterit effici. Nec tamen arbitramur, factum ullum præclarius aut glorioſus poſſe, a te hoc tempore ſuſcipi, dignum tua & parentis tui gloria: qui quidem tuus pater, cum omnem ætatem ſuam in re Chriſti, & Religionis Chriſtianæ propagatione conſumpſerit, tantæque laudis hæreditatem tibi reliquerit; advenit nunc tempus, non optabile illud quidem, ſed tamen tibi quidem accommodum, quo brevi ſpatio, uno maxime & opportuniſſimo pacis opere, & conſilio, illius perpetuam & eximiam laudem, ex multis pietatis operibus acquiſitam

tam poſſis adæquare. Debes autem hoc Deo, & eis divinis muneribus ac beneficiis, quæ tibi ab illo collata multa & magna ſunt: in quem ſi parum gratus reperirere, timenda illius ira indignatioque eſſet. Porro res Chriſtianæ in eum locum adductæ ſunt, ut aut celeri remedio maximis urgentiſſimis non jam periculis ſed cladibus occurrendum ſit, aut nullum poſthac futurum ſit remedium: cujus remedii inveniendi nos ſummam quandam ſpem & opinionem in tua Serenitate ponimus, quæ ne nos fallat, etiam atque etiam te per viſcera miſericordiæ Dei noſtri obteſtamur. Sed de his copioſiora mandata ipſi tuo Oratori ad te perferenda dedimus, cui Serenitas tua circa hæc referenti fidem ſummam habebit. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris die XVIII. Octobris MDXXVI. Pontificatus noſtri anno tertio. Jacob. Sadoletus.

CIV. *HELVETIIS*[1].

Dilecti Filii. Non ignari eximiæ illius virtutis ſtudiique perpetui, quo natio iſta invictiſſima Apoſtolicam Sedem, ſanctamque Romanam Eccleſiam eſt proſecuta, ut primùm ad ſummum

hunc

1 Epiſcopum Verulanum Ennium Filonardum Nuncium ſuum ad eos mittit. Functus fuerat eadem legatione Filonardus ſub Julio II. & ſub Leone X. atque ad eum extat *ep.* 38. *lib.* VII. *Bemb.* In qua Leo laudat fidem ejus, operam, diligentiamque in rebus cum Helvetiis adminiſtrandis. Viciſſim illum Helvetiis commendat *ep.* 35. *lib.* VIII. Vide *epiſt. hic* XXVIII. Ceterum epiſtolæ huic adſcriptus a. 1532. vitioſus eſt vel ex Sadoleti vitæ rationibus: aberat enim eo anno & conſequentibus ad a. 1536. Carpentoratenſi Eccleſiæ ſuæ reſtitutus. Subſtituendus ergo vel a. 1524. quo fidem Catholicam reti-

hunc Pontificatus gradum fuimus aſſumpti, aliquem iſthuc mittere cogitavimus, qui nimirum, & ſanctæ hujus Sedis Nuncium apud vos ageret, noſtramque erga vos paternam benevolentiam omnibus declararet officiis, quæ optari a vobis, & a nobis præſtari poſſe cognoſceret. Sed enim, ut vos non latuit, ea paulo poſt conſecuta ſunt tempora, quæ omnes cogitationes noſtras conſiliaque interruperint, noſterque, & rerum omnium ſtatus noſtrarum eo aliquando fuerit redactus, ut ejuſmodi amoris, ac pietatis ſigna potius accipere ab aliis neceſſe haberemus, quam Devotionibus veſtris, aut cuiquam ex aliis vere nobis dilectis dare poſſemus: nunquam plane in eo neque nobis, nec vobis ſatisfecimus. Quamquam, quod ad nos pertinet, uti veſtræ ſemper gloriæ & amplitudinis fuimus ſtudioſi, ita veſtrarum Devotionum perturbationibus, & incommodis, quæ ſane non mediocria viſa nobis ſunt, ut decuit parentem veſtrum amantiſſimum, vehementer affecti ſumus; nihilque prætermiſimus, quo, quantum cum Deo fieri a nobis poſſet, vobis, & veſtris rebus conſuleremus. Nunc autem, etſi novæ nos in dies premunt anguſtiæ, aliæque ex aliis difficultates aſſidue impediunt, perpetuo tamen commodi, & honoris veſtri

retidendam decreverunt; quare a Clemente eodem laudantur litteris quæ exſtant ap. Raynaldum *ad h.a. n.* 52. excitanturque, ut in eo qui proxime futurus erat conventu pergant religionem tueri: vel ad aliquem ex proxime conſequentibus, quibus hæc Filonardi Legatio commemoratur a Pallavicino *Hiſt. C. Trid. lib.* 2, *cap.* 12, *num.* 5.

ſtri impulſi deſiderio, diutius differre nequivimus, quin aliquem ad vos Nuncium mitteremus, qui cùm omnes inter vos pacem atque concordiam, tùm quidquid ad veſtram amplitudinem, nominis gloriam, rerumque acceſſionem ſpectare videret, noſtro, & hujus ſanctæ Sedis nomine procuraret. Cum vero eum eſſe hominem optaremus, qui non nobis modo ipſis, ſed vobis quoque, & gratus, & probatus foret, ven. Fr. Epiſcopum Verulanum potiſſimum delegimus, cui etſi mandavimus, ut ad hoc noſtrum,pacis veſtræ, commodi, & dignitatis explendum deſiderium, amoremque erga vos quacunque in re opus fuerit declarandum omni opera, ſtudio, aſſiduitate incumbat; idem tamen ſuâ ipſius ſponte, quadamque erga vos animi propenſione eum eſſe facturum non dubitamus. Hortamur igitur vos, ut eo illum nomine excipere, atque animo velitis, quo a nobis eſt miſſus, & per ſe ipſe eſt profectus; in eiſque rebus omnibus, quas vobiſcum aget fidem omnem præſtare. Nam, quod ad cetera attinet, ſive veſtra ipſorum, ſeu noſtra, & ſanctæ Sedis agenda ſit res, nihil unquam a vobis expectavimus, niſi quod ab obſervantiſſimis, & optimis S. R. E. filiis expectari debet, quodque iis dignum ſit titulis, & honoribus, quos veſtra ſingulari fide præſtantique virtute a ſummis Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris, a nobiſque meruiſtis; ſicuti de his, & aliis idem Epiſcopus pluribus eſt vobiſcum acturus. Datum Romæ Die 22. Auguſti 1532. Clemens VII.

IACOBI SADOLETI

EPISTOLÆ

NOMINE PAULI III. SCRIPTÆ

ANNO MDXXXVI.

CV. *CÆSARI*[1].

CAriſſime in Chriſto Fili noſter &c. Etſi certi ſumus, famam ipſam, quæ malarum præcipue rerum velox & feſtina eſt, gravem tibi nuncium de periculis Hungariæ, ad paucos dies allaturam; tamen exiſtimavimus noſtrarum partium eſſe, quæ ex Nuncio ibidem noſtro Joanne Antonio Pulleone Barone Burgii, homine prudentiſſimo, & vigilantiſſimo accepimus, ea quam primum Serenitati tuæ ſignificare; futura illa tibi quidem moleſta, veruntamen cognitu neceſſaria: in his enim vul-

1 Cæſari, ex iis quæ ſibi a Jo: Antonio Puileoneo Nuncio ſcripta fuerant de Hungariæ periculis, narrat, commemoratiſque quæ ipſe fecerat, Carolum ad æmulationem quamdam miſericordiæ virtutiſque excitare conatur. Suſpicor tamen anni deſignationem non recte ſe habere; in menſe faltem nominando erratum eſt. Nam hoc ipſo anno Carpentoracte ſcribit Gryphio *ep.* 16. *l.* v. 11I. Kal. Jul. Sadoletus, ut diximus; nec niſi Autumno Romam venit, unde poſtea ad hunc ipſum, ut videtur, Antonium Pulleonem ſcribit Idib. Novemb *ep.* 16. *lib.* 1x. Hungaria ſæpius a Turcis miſere vexata eſt. *De regno Hungariæ ab hoſtibus Turcis oppreſſo & capto* extat Homilia *to.* 3. *oper. Sad. nov. edit. pag.* .. *& inter Conſilia Bellica edita in Officina Groſiana a.* 1603. *vol.* 2. *pag* 240. habita, ut opinor a. 1514. quo Chriſtianum exercitum Solimanus vicit, ut Iſthuanus *lib.* 14. & ex Jovio, & Bellajo Raynaldus *n.* 46. Anno ergo ſequenti, poſtquam Romam redierat Sadoletus, hanc epiſtolam Pauli III. nomine ſcriptam ſuſpicor.

vulneribus. quæ afflictæ jam dudum, & labanti Chriſtianitati quotidie afferuntur, ad eum potiſſimum Auctorem confugiendum, unde ſalutaris medicina poteſt expectari. Ac de rebus quidem illius regni, in quo ſtatu ſint, quamve miſere & infirme ſe habeant, deque conſiliis hoſtium, quibus jam, & ſpe ipſorum, capta atque confecta, & noſtra prope deſperatione complorata Hungaria eſt, juſſimus capita ipſa litterarum deſcribi, & ad Serenitatem tuam mitti; ex quibus ſeriem totius negotii cognoſceres. Quid vero ad hæc tanta, & tam acerba mala ferri opis, aut conſilii inveniri poſſit, ut tantiſper ſaltem imminens excidium differatur, quoad conſtitutis deſiderata pace Chriſtianitatis rebus, aliquis aliquando Reipublicæ & veræ pietatis amor in Principum mentibus, & cordibus recaleſcat; teſtamur Deum, & Dominum noſtrum, nos nihil adhuc quod placeat, ſtatuere potuiſſe. Sive enim viribus, & opibus ſit opus, omnia hic infirma, & extenuata ſunt; ſive etiam illa adeſſent, vix videtur brevitas temporis illius jam remedii capere vim poſſe. In qua nos cura, & cogitatione ancipites, ut primum litteræ illæ nobis redditæ fuerunt, advocavimus e veſtigio Venerabiles Fratres noſtros, atque eorum Conſilio & Cœtui, Regum & Principum Chriſtianorum Oratores, qui in Urbe aderant, etiam adjunximus; ut & nobiſcum, & cum illis una, cùm teſtes eſſent miſeriarum, tùm adiutores, ſi fieri poſſet invenien-

niendæ ſalutis, quorum cunctorum deliberatione, & conſilio, quæ ſunt explicata, in alia ſcheda ſeorſum conſcripta ſunt. Illud quidem præ ceteris præſentius, & promptius remedium, & nobis, & illis viſum eſt; quoniam armis, & apparatu bellico occurrere in tempore ad illam nobilem, ac maxime opportunamProvinciam retinendam non poſſumus, ut unuſquiſque Principum per ſuum fidelem aliquem,ſubſidium pecuniæ in Hungariam mittat; per quod ex finitimis nationibus Bohemiſque præſertim, pedites conducti ſuſtinere impetum ingruentium hoſtium tantiſper poſſint, & regni illius ſpiritum, atque vitam ad aliquod commodius medicinæ tempus reſervare. Hoc unum conſilium reliquum videtur factum, in quo ſpes etiam nunc aliqua exiguæ ſalutis reſideat. Quod ſi neglectum, ac repudiatum fuerit, non veremur jam nos quidem, ſed pro certo ducimus, nos ad alterum annum Hungariam non habituros; fruſtraque deinde, & nobile membrum Chriſtianitatis. & propugnaculum nationis fortiſsimæ adverſusTurcarum intolerabilem potentiam deſideraturos. Quæ res cum ſic ſe habeat,ſcribimus ad cunctos quidemPrincipes, & eorum auxilium rebus Hungaricis imploramus; ſed in te unum præcipue, fili chariſſime, oculi, & ſpes noſtra converſa eſt. Scimus etenim Dei cauſa quid poſſis; novimus quid velis; quantum autem velle debeas, omnes ignoti, notique intelligunt: ad tantam autem naturæ bonitatem,
tan-

tanto neceſſitudinis, & erga Deum gratiæ officio adjuncto, quid eſt vel tam arduum, quod pro Republica, vel tam laborioſum, quod pro honore Dei aut non ſuſcipere, aut nos de te non ſperare debeamus? Cernimus ipſi in quæ tempora vocati ad hoc pergrave jam, nequaquam autem jucundum Pontificatus adminiſtrandi onus fuerimus, infauſta videlicet, & turbulenta; quibus quidquid ſanandum, confirmandumque apprehendas, ut in ruinoſis parietibus putres ſtructuræ ſolent, ita tibi apprehenſum in manibus conteritur, ad nihilumque redigitur. Tenuimus tamen, Deo adjuvante, Hungariæ ſalutem uſque in hodiernum diem. Nos enim ſummam pecuniæ, quæ illuc a felicis recordationis Adriano Prædeceſſore noſtro miſſa fuerat, auximus. Nos jam aliquoties hordei, tritici, pulveris non mediocrem numerum ad ſuſtinendas arces Croatiæ miſimus. Nos Urbem Elizem [1] bis a Turcis obſeſſam, & pene captam, noſtro item bis ſumptu, noſtra cura liberavimus; ut quiſque in his regionibus opis indigus eſt, ita ad nos opem petitum advenit, quos nos non ſinimus vacuos ſpei, opiſque diſcedere: & hæc facimus omni ipſi ope, omnibus prope vectigalibus deſtituti. Vincit tamen voluntas impotentiam, & fidei ac charitatis ſtudio difficultates omnes ſuperantur; quæ cum a nobis fiant ſumma egeſtate oppreſſis, quid a te expectandum eſt, fili chariſſime, in quem omnis Dei beneficientia tam large, & abundanter

 effuſa

1 Vereor ut ne hic aliquod ſit librarii peccatum.

effuſa eſt ? Neque nos te monemus officii & debiti, in iis regionibus celeri, & opportuno pecuniæ ſubſidio adjuvandis, quò jam ſuſcepto oneri, & impendio noſmetipſos ſubducamus, parteſque etiam noſtras in te transferamus; ſed ut tu nobiſcum unà ad ferendam opem illi regno te accingas, in honorem, & ſalutem Chriſtianitatis, cujus tibi incolumitas prope æqua ex parte ac nobis commendata eſt. Quæ ſi, illa inclyta natione amiſſa, manca, & mutila facta fuerit, deformatoque corpore, hanc etiam notam tuæ ætatis ſæculo inuſſerit, ut, te uſque adeo florente & præpollente, immaniſſimis tamen hoſtibus prodita, & & objecta fuiſſe videatur; quid te quæſumus opes tuæ, quid imperium, quid victoriæ inſignes adjuvabunt ad diluendam maculam nominis tui ? Quam ad Deum omnipotentem cauſam dicturus es ? apud quem certe dicenda eſt; quando cætera omnia caduca, & interitura ſunt; opus Religionis & pietatis ſolum eſt æternum. Sed hæc aget idem ille Omnipotens Deus, ut longe ſint a te, atque ab ætate noſtra, tuque potius, quæ inviƈtiſſimo Rege, & Chriſtianiſſimo Cæſare digna ſunt, agenda, paranda, navandaque, ſuſcipias. Atque utinam, pace inter te Regemque Francorum conciliata; de qua rumores venerunt ſatis conſtantes, ita opportuno tempore, ut junctis ſimul tanti boni mlique nunciis (ſi modo pax ipſa vera eſt) & ſeveritatem ſimul, & miſericordiam Dei immortalis

omnes

omnes admiraremur. Verum quæ huic periculo, propinquæ calamitati propulſandæ neceſſaria ſunt, ut Serenitas tua accurate, mature, pieque cogitet atque efficiat, illam in Domino adhortantes, omni animi ſtudio obteſtamur; de qua etiam cum ea dilecti filii noſtri Legatus, & Nuncius noſtris verbis agent; quibus illa fidem habebit. Datum Romæ die 19. Februarii 1536. Anno tertio.

Paulus III. Sadol.

ANNO MDXLVI.

CVI. *ARCHIEPISCOPO TREVIRENSI* [1].

VEnerabilis Frater. Omnibus tentatis jam conſumptiſque remediis, quibus impiorum hominum mentes Germanicæ nationis ſanari poſſe ſperabamus, & pro noſtro erga illam nobilem nationem paterno affectu vehementer optabamus; cum nec lenia remedia, quæ primò adhibuimus quidquam profecerint, nec Generalis Concilii [2] ratio, tot jam menſes in ipſis Germaniæ finibus aperti, atque habiti ullam prorſus apud eos auctoritatem, ac vim habeat; quippe quod apertiſſime con-

1 Joanni Ludovico ab Hagen (electo v. Id. Aug. 1540. mortuo a 1547. d. 23. Martii ex Browero *lib.* 21. *Annal. Trevir.*) ſcribit ut Carolum V. in bello Hæreticis inferendo adjuvet. Atque hoc nimirum anno bellum Smalcaldicum cœptum eſt, quo Elector Saxoniæ vivus captus: *finemque accepit*, ait Spondanus *ad a. ſeq. n.*xi., *bellum Germanicum magno animo a Carolo Cæſare, hortationibus & auxiliis Pauli Pontificis ſuſceptum*.

2 habitæ hoc anno *ſeſſ.* 6. 7. 8. 9. 10. nec Paulo Pontifice præterea ullam

cauſam ut conferant, arctiore quodam obligationis, & officii vinculo ſunt adſtricti. Sed cùm alios ſperamus, hac in re muneri, & officio ſuo minime defuturos, tùm id nobis de te præcipue pollicemur, vel quod virtus, & conſtans erga Deum pietas tua nobis optime nota eſt, vel quod ſacri es Romani Imperii Elector; quorum alterum, ut Religionem pro tuis opibus, & facultatibus tueare contra impietatis auctores, alterum, ut Imperatorem invictiſſimum, in tam præclaro conficiendo opere prompte ſequaris atque adjuves, te debet impellere. Iſthuc accedit, id quod præclare pro tua prudentia intelligis, ut niſi illorum hominum furor armis reprimatur, quando alia ulla jam ratione fieri id nequit, omnium Eccleſiaſticorum Principum in illis regionibus, non fortunæ ſolum, & dominia, ſed ipſa etiam ſalus, & incolumitas in ſummo diſcrimine periculoque verſetur. Quamobrem, ut hoc bellum quantis poteris facultatibus juves, te etiam, atque etiam in Domino cohortamur; quemadmodum te facturum eſſe minime dubitamus. Nihil eſt profecto, quod aut tu Chriſtiano nomini ſalutarius, aut tuis fortunis, tuæque ſaluti defendendæ magis neceſſarium facere poſſis: neque dubium eſſe debet quin Deus omnipotens, cujus hoc bello religioſo, & Fides Catholica, eo ipſo auctore, defenditur, cauſæ tuæ fautor propitiuſque futurus ſit, & Religionis ſuæ propugnatoribus ea & in cælo, & in terris præ-

mia

mia tributurus, quæ ſunt omnium maxima atque ampliſsima. 1546.

CVII. *AD CONCILIVM*

VEnerabiles Fratres. Significaverunt nobis noſtri de latere Legati, qui ſanctæ iſti Synodo nomine noſtro præſident, vel in quorum perſonis potius nos, cura & affectu conſervandæ puræ immaculatæque Chriſti fidei, & Religionis præſidemus; vos velut pios proboſque vineæ Domini cultores, non ſolum ea cogitare quæ præſentem fructum noſtro ſæculo afferant; ſed etiam longe in poſteritatem providere, ut ea ſemper agantur, curenturque, quæ & ad ſtabilimentum Catholicæ fidei, & ad impiarum hæreſum tanquam malarum plantarum prohibitionem, extirpationemque apta ſint, atque opportuna: quam nos veſtram prudentiam, diligentiam, plenamque ſummæ pietatis voluntatem vehementer in Domino commendamus. Cum autem videatur Fraternitatibus veſtris in primis id ad hanc rem pertinere, ut cæleſte illud ſacrarum litterarum donum, quo Dei omnipotentis liberalitas tota in nos effuſa eſt, rite atque ſancte celebretur, exerceatur, in manibus omnium, quoad fieri poteſt, & in ſummo apud omnes honore habeatur; in eorumdem Legatorum litteris cognovimus, ſtatuere vos cogitare nonnulla, quæ ad augendum ipſarum ſacrarum litt-

tera-

terarum ſtudium; animoſque hominum, & ad docendum illas, & ad diſcendum magis commovendos pertinere poſsint; ut, de Præbendis primo vacaturis ad Magiſtros ſacrarum lectionum deferendis, de Regularibus, aliiſque Prædicatoribus, nec non Eccleſiarum Parochialium Sacerdotibus, item de exemptis, & ſi quæ ſunt alia hoc genere conjuncta, de quibus in veſtris conſultationibus ſit diſputatum: hæc enim omnia ſcripſerunt ad nos, in veſtris nunc conſiliis congregationibuſque tractari. Sed quoniam aliqua ex his fortaſſe, quæ ad medendum perturbationi temporum Spiritus Sanctus a vobis ſtatui oportere demonſtrat, aut juri communi, & aliorum Conciliorum ordinationibus, aut etiam privilegiis ab Apoſtolica Sede conceſſis aliqua in parte videntur repugnatura, veſtras Fraternitates deſiderare ſignificaverunt, ut nos iis quæ a vobis ſunt in hoc genere decernenda, noſtrum conſenſum, & auctoritatem Apoſtolicæ approbationis adjiceremus; ut jure ſemper, atque honore Beatiſſimi Petri conſervato, quæ per ſacrum iſtud Concilium gerenda ſunt, firmitatem ſemper inviolabilis Decreti obtineant. Nos itaque illi fundamento innixi, ſuper quod Deus univerſam ædificavit Eccleſiam, veſtra juſtiſſima vota atque conſilia non ſolum commendatione, & laude, ſed etiam paterna in vos, & unumquemque veſtrum benevolentia proſequentes, volumus, atque decernimus, ut quidquid ſuper

his

his a prædictis Legatis noſtris, vobiſcum unà, hoc eſt, cum ſacri iſtius Concilii communicatione, & aſſenſu fuerit ſtatutum, id plenam, & perpetuam habeat roboris firmitatem; præmiſſis, ac aliis in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque. Nunc quoniam ab his principiis, quæ a vobis poſita jam ſunt, expectanda ſunt, in Chriſtianæ charitatis fundamentum, reliqua plena ejuſdem, & pietatis, & prudentiæ, hortamur vos in Domino, ut divinum de vobis judicium agnoſcentes, qui culturam chariſſimæ ſuæ vineæ, ejuſque a pravis vepribus, & ſpinis purgationem, veſtris potiſſimum conſiliis, veſtræ diligentiæ, & fidei commiſſa credidit, velitis tempus hoc opportuniſſimum a Domino vobis datum, in eas curas actioneſque impendere, per quas priſtinus Catholicæ Eccleſiæ nitor, & dignitas Sacerdotalis in omni parte terrarum, in qua colitur Chriſtus, reſtaurata refulgeant: in quo opere ſancto, plurimumque laudabili nos ſemper auctores, & approbatores habituri eſtis. 1546.

JA-

JACOBI SADOLETI

S. R. E. CARDINALIS

ET EPISCOPI CARPENCTORACTENSIS

EPISTOLÆ FAMILIARES XXXVIII.

ANNO MDXVII.

I. *NICOLAO TEUPULO S. P. D.*[1]

FRANCISCUS Valerius noſter, cum ſuperioribus diebus Venetiis rediiſſet Romam, meque inter primos forte obvium habuiſſet, complexus eſt ille me quidem, ut noſtra coniunctio ferebat amiciſſime, ſed & multis ſermonibus ultro citroque habitis ſalutem quoque mihi a te plurimam nunciavit; deque tuo, & fratrum tuorum ſtatu atque incolumitate ea quæ maxime optabam, eum cum percontarer, expoſuit. Quem ego ipſum cùm libentiſſime vidiſſem, tùm vero hoc adjuncto nuncio ſalutis tuæ & conſtantis erga me voluntatis, ſumma lætitia me affectum ſenſi; cum, & te in omnes

1 Suum erga illum amorem benevolentiamque ſignificat, & ſimul de ſtudiis, quibus operam navet, interrogat. Laudat Nicolaum Sadoletus in epiſt. ad Longolium XI. *lib.* XVII. *edit. Veron.* atque inter amicos ſuos numerat *lib.* V. *ep.* 9. Teupulum; Teupulos tamen duos ſalvere jubet *lib.* I. *ep.* 3. ut anceps ſit, an Nicolaum illa epiſtola appellet.

omnes partes valere intelligerem, & mihi eam benivolentiam præſtare, quam ego tibi tuis ſingularibus virtutibus adductus perpetuam præſtitiſſem. Quæ recordatio vel ſignificatio potius tui priſtini erga me ſenſus hòc mihi, etiam gratior, & jucundior accidit, quod cum antea addubitare cœpiſſem ne te mei forſitan cœpiſſet oblivio, propter eam occupationem ambitionis civilis, cui te more Majorum deſervire neceſſe eſſet; mihi vero ipſe conſcius eſſem, animum meum arga te eum ſemper fuiſſe quem hominis amiciſſimi eſſe oporteret, facile cognovi hoc benivolentiæ conſervatæ nuncio, te mei abſentis memoriam retinere, nullamque rem eſſe quæ ex natura ingenua, & animo optimis artibus exculto fidem veræ amicitiæ poſſet evellere; quam ego mihi tecum inſtitutam eſſe duco jam ab illo tempore, quo tu in Urbem veniens, tui præſtantis ingenii ſingulariſque doctrinæ tam præclara documenta publica præbuiſti. Laudis tum primum tuæ me utique commovit admiratio, ut te mihi diligendum proponerem; poſtea vero conſuetudine aliquot dierum, quibus una jucundiſſime fuimus humanitate tua, moribuſque perſpectis, amori meo in te cumulum adjeci; quem ſi ullo tempore apud meum animum obliterari paſſus fuiſſem, ipſe me non ſatis hominem eſſe exiſtimarem: nihil enim bono viro magis alienum eſt, quam ſemel vero judicio ſuſceptam benivolentiam, aut oblivioni tradere, aut temporum ſpatiis, & locorum imminui debi-

debilitarique ſinere. Sed accidit neſcio quo pacto, ut quamquam mea ſumma cupiditas exiſteret his etiam exterioribus rebus, atque officiis, quibus commercia communis vitæ continentur, meam voluntatem tibi declarandi, nihil tamen a me in te profectum fuerit, quod aut tibi commodo fuerit, aut ornamento: credo, quod res nulla incidit, in qua meam tibi operam neceſſariam putaris. Quod ſi ita fuit, gratulor medius fidius, vel virtuti, vel felicitati tuæ: virtuti, ſi fortunæ nihil omnino detuliſti, omniaque in te tibi poſita duxiſti; felicitati, ſi ita abundaſti eis rebus omnibus, quæ ad lautiorem vitam pertinent, ut ex hac Urbe, atque ab hoc Orbis terrarum optimo clementiſſimoque Principe nullam rem expetieris, in qua amicorum tibi operam, ac diligentiam adhibendam exiſtimaris. Sed ſive res ita ſe habuit, ſive ad Collegam meum [1] hominem omni virtute, & dignitate ornatiſſimum poſtulata tua potius retuliſti, magiſque jure cenſuiſti petendum tibi ab eo eſſe, ſi quid opus fore putares; hoc tamen ſcire te volui; quanquam multæ inter vos cauſæ intercedant & vetuſtatis, & civitatis, & propinquitatis, tamen unam apud me virtutem tuam pro omnibus cauſis neceſſitudinum ad ſummum meum amorem erga te valuiſſe; nihilque me præterea requirendum putaſſe, cum tu tantis ornamentis præditus omni benivolentia dignus exiſteres. Etſi idem omnino fecit, te Bembo

1 P. Bembum.

bo tuo, Collegæ meo, nonnihil aliquando oneris, ideſt ut ego interpretor, beneficii, aliquid petendo ab eo, detuliſſe: magnum enim ego me capere beneficium arbitror, cum talibus viris gratum aliquid faciendi facultas mihi data eſt. Sed in illo perinde eſt, ac ſi egomet tibi hanc gratiam deberem. Tanta enim eſt conjunctio, atque ita noſtra inter nos voluntas conglutinata amore quodam incredibili, ac unanimi conſpiratione, & conſenſu rerum omnium; ut non modo opiniones, ſed ne animas quidem videamur habere ſejunctas; quod forte in vulgus difficile habeatur in tanta communicatione honoris, dignitatis, rerumque omnium, ac raritate exemplorum hujuſmodi. Quamquam ego illum me ipſo dignitate ſuperiorem ſemper duxi. Sed nos, qui innocentiam, & probitatem præcipua ornamenta veræ vitæ ſemper duximus, vulgi admirationem ſcilicet irridemus; in fide autem perfectæ, & conſtantis amicitiæ, nihil non unum, atque idem incidere poſſe, recte arbitramur. Ergo ſi nihil tibi opus fuit ab hoc magiſtratu quem gerimus, nec ab eo Principe, cui propter ipſius virtutem, & ſapientiam, & humanitatem, & libentiſſime ſimul, & liberaliſſime inſervimus; potius gratulandi quam quicquam tibi pollicendi cauſa eſt: ſin autem contingat aliquid, in quo mea benivolentia tibi eſſe queat opportuna, te exiſtimare volo in meis jucundiſſimis, optatiſſimiſque rebus mihi futurum, ſi cognoro, te eam de me obtinere opinionem

nem, tamquam neque mea res ulla tanti ſit, quam ego non tuis rebus omnibus poſtpoſiturus ſim; neque tua, in qua non tuum ipſius deſiderium ac ſtudium ſim mea cura, aſſiduitate, diligentia ſuperaturus. Sed hæc re tibi potius quam præſtabo litteris. De ſtudiis autem utriuſque noſtrum; etſi de te id exiſtimo, quod de homine ſummo ingenio, ſingulari diligentia prædito neceſſario exiſtimandum eſt, te cum aliquot ab hinc annis optime cognoveris, quam ſit neceſſarium ad egregiam doctrinam aſſequendam excolere Philoſophiam his artibus, quæ ſemper habitæ fuerunt honeſtiſſimæ, & illi tanquam colorem ac ſuccum, ſic bonarum litterarum vigorem infundere; cumque poſt hoc judicium factum omnem tuam operam ſtudium, laborem, induſtriam ad liberaliores ſcientias contuleris; perfectum hominem jam evaſiſſe, tùm in pulcherrimis, & maximis rebus ſcientia comprehendendis, tùm in eiſdem ornate, ac copioſe litteris explicandis; tamen vere tibi hoc confirmo, cupere me majorem in modum noſſe de te ipſo, quantum profeceris in ſtudiis eloquentiæ, & quam ſpem habeas in manibus, equidem arbitror non mediocrem. Neque enim eſt hujus tui ingenii, & animi, habere propoſitum quicquam potius, quam virtutem, ac immortalitatem ipſam; quarum altera vel legendo dumtaxat has cultiores literas, altera vero ſua etiam cogitata poſteris prodendo, facillime comparatur. Verùm erit amoris tui erga me, huic meo

deſiderio ſatisfacere per litteras, quas ego avide expecto; modo illæ te, & Venantium Fratrem tuum, quem ego mehercule facio plurimi, nobis ſalvum nuntient. Nam de me tibi quod ſcribam tantum habeo; me, cum quatuor annorum aſſiduis occupationibus ab ocio, & a litteris vehementer abductus fuerim, nihil cupere ardentius, quam me totum referre ad ea ſtudia, ſine quibus nec vitam ipſam eſſe expetendam duco; quod ut ex ſententia eveniat, magnæ felicitatis futurum eſt: ſed habeo optimi Pontificis ſummam voluntatem, in qua valde acquieſco. Ego F. Valerio non parvam habeo gratiam, quod mihi occaſionem attulit, has ad te litteras ſcribendi: a te peto, ut in priſtina ſententia diligendi me permaneas; teque a me amari vehementer tibi perſuadeas. Quod ſi acciderit, ut re tibi demonſtrare poſſim; efficiam profecto, ut intelligas, me in omnibus officiis benivolentiæ tibi eſſe amiciſsimum. Vale. Ab Urbe v. Kal. Junias MDXVII.

II. *FRANCISCO VICTORIO* [1]

Accepi tuas, quas Hieronymus Mutius, cum ipſe propter urbanæ peſtilentiæ ſuſpicionem Florentiæ ſubſtitiſſet, ex itinere ad me præmiſit; ex quibus ani-

1 Alius hic eſt a Franciſco Victorio, qui Petri τοῦ φιλολόγου nepos, Franciſco magno Etruriæ Duci Petri Victorii avi epiſtolas & orationes nuncupavit, ſcri-

animum tuum probavi quod ad convertenda Galeni volumina dedere te inſtituiſſes: conſilium vero non probavi; quod ob eam cauſam publicum docendi munus omittere decreviſſes, atque incipere te a multorum detrimento quod omnium ſalutis cauſa abs te ſuſceptum eſſet, ut ſi qui te audire ſoliti ſunt, tua doctiſſima lectione fruſtrarentur, tuque tibi fortaſſe ires non bene conſultum. Ut enim ad te antea ſcripſi, Maximi Pontificis ſumma omnino benignitas eſt; ſed incredibiles rerum anguſtiæ: nam neque in vectigalibus habet, nec in arca quippiam: præterea ipſe alieni abſtinentiſſimus; ut quod ipſe maxime vult atque optat, ſuppeditare & benigne facere doctis viris, quo pacto facere prolixe poſſit, non perſpiciam. Quamobrem rectius ages, & temperantius, ſi quæ habes certa non dimiſeris: nam & ſubciſivis, ut ajunt, horis poteris proficere in ejuſmodi translatione multum; & tua ætas, atque ingenium ejuſmodi eſt, ut cuique labori par eſſe poſſe videatur. Si vero advenerint compoſitiora tempora, quod non diffidimus fore, hujus optimi Principis ſapientia freti; tunc ego unà cum aliis amicis tuis cauſam tuam agemus; & interea tamen aliquid curabimus, quo Pontificis liberalita-

ſcribens Florentia xvi. kal. Maj 1586. Bergomenſis hic erat Rinaldi ludi magiſtri filius, ob ingentem memoriæ vim, *Memoria* cognomen ſortitus. Philoſophiam & Medicinam in multis Italiæ Gymnaſiis profeſſus eſt, & extremùm in Patavino, ubi mortuum a 1523. tradit Papadopoli *Hiſt. Gymn. Pat. lib.* 3. *Sect.* 2. *cap.* 7. Laudat eum Manutius *in pref. ad Comment. Alex. Aphrod. in Top. Ariſt. Græc.*

tem reipſa experiare. Quod ſi ad me ſcripſeris, qua Patavii mercede publica profiteare, tentabo, num idem tibi in Urbe referri poſſit. Denique omni in re benivolentia mea, & amiciſſimi hominis officium tibi aderit. Ego tuis acceptis, has reſcripſi ſtatim, antequam ſummum Pontificem alloquutus eſſem: quod mox agam, commodum tempus nactus. Giberto noſtro, omnium tui ſimilium amantiſſimo reddam tuas litteras, ipſeque ſermone ſubſequar, ut habeat meum quoque de tua doctrina & virtute teſtimonium. Jovius ob contagionis ſuſpitionem quamdam ſeceſſerat. Curabimus tamen tuas litteras ad eum perferendas. Tu vale, & nos, quod facis, dilige. Ex Urbe prid. Non Sept.

III. *N. N.* [1].

GRata eſt mihi memoria mei tua; & quod te amorem illum conſervare intelligo, quem olim erga me ex mutuis noſtris ſermonibus ſuſcepiſti; in quo abs te non vincor: viſus enim mihi fuiſti, & nunc videris hercule amabilis. Quare ita ſtatuas velim, quo tu in me es animo, amico & benivolo videlicet, tali me erga te eſſe voluntate. Ego mei promiſſi, quod tibi jamdudum feceram, im-

1 De ſua in illum voluntate ſignificat, & voluntate Pontificis; ſed petenti neſcio quid, temporum rerumque anguſtias excuſat. Epiſtolæ inſcriptum nomen non eſt ejus, ad quem miſſa eſt; ſuſpicabar eſſe Franciſcum Victorium, cui ſuperior epiſtola ſcripta; repugnat tamen annus, in quo forte mendoſa epiſtola eſt: ideo eam hic collocare maluimus.

immemor non ſum : ſed credibile non eſt, in quantis anguſtiis verſemur: omnino. Principis benignitas ſumma eſt, ſed res extenuatæ & fere ad nihilum arctatæ ; in tantis autem difficultatibus temporum, ſi mihi fortuna lætior aſpirarit, curabo, ut experiare, quantum velim cauſa tua. Summus Pontifex a me appellatus de eo, quod tibi ejus verbis mandatum a Jovio fuiſſe dicebas, non modo affirmavit, ſe auctorem fuiſſe, ſed & mihi præcepit, ut te etiam atque etiam animarem, quò tuo labore atque induſtria multorum ſaluti conſuleretur; ſuamque tibi liberalitatem non defuturam ſignificavit. Proinde tu te ita para, ut & tanto Principi, & expectationi, quæ eſt de te, ſatisfacias. Ego te in ſinu gero, ac bene ſalvum cuſtoditumque teneo. Tu me item, id quod facis, ut diligas, Bemboque meo plurimam meis verbis dicas ſalutem, peto a te magnopere. Vale 4. Non. Julii Ex Urbe 1525.

IV. *CARDINALI ÆGIDIO*[1].

VEllem, ut coram mihi liceret, & viva voce, ut ajunt, expromere tibi ſenſum omnem animi mei; &, quod inter nos ſuaviſſime atque amiciſſime ſoliti ſumus, meas tecum cogitationes conferre : profecto, non modo approbares conſilium

1 De ſitu ſuo ſcribit, cum Roma Carpentoracte ad ſuam Eccleſiam veniſſet.

lium meum huc veniendi, de quo ſubdubitare aliquando nonnihil viſus es; verum etiam ultro mihi gratularere, quod ex illis urbanis non tam fluctibus hoc quidem tempore, quam procellis, in portum quietis & tranquillitatis me contulerim. Crede mihi, nihil nec cogitari quidem pacatius hoc ſtatu, in quo nunc ſum, poteſt; qui mihi etiam aliquantò eſt jucundior, quòd ex meis jam multis ac magnis laboribus requiem, & ſtudiis optimarum artium ocium requirebam; quorum nunc utrumque divino beneficio mihi tributum gaudeo. Etſi, ut humano modo facti ſumus, habet hoc gaudium aliquam ſecum adjunctam ſolicitudinem: careo enim convictu, & familiaritatibus plurimorum doctiſſimorum, & amiciſſimorum hominum, quorum aſſiduitate, & frequentia Romæ florebat domus noſtra. Porro in eorum locum libri ſucceſſerunt, quibus totum me dedere quotidie potius cogito, quam adhuc dederim: ſed fiet hoc quidem propediem. Quod ſi quæris, qui ſit noſter ſtatus? qualem maxime cupere oportet, qui ab omni ſit ambitione ſemotus; amor civium erga nos, & incredibilis omnium voluntas: itaque ſalutamur, colimur, in oculis ferimur. Quod ſi in hoc numero haberem aliquos Marios [1], (quamquam quid ego aliquos dico, cum vel Romæ unum eſſe magnum ſit?) ſed tamen mihi ſi eſſent

1 Marium, opinor Maffeum Volateranum intelligit, cui libros inſcripſit *De Laudibus Philoſophia*.

ſent quibuſcum, aut feſtive jocari aliquando, aut libere ſuſpirare poſſem[1], quorum Romæ non deerat copia, aut ſi cum accideret caſus anceps quiſpiam, mihi conſilium, & auctoritas graviſſimi, ac prudentiſſimi viri præſto foret; quo in genere tu mihi pro multis ſufficiebas unus; nullas utique fortunas meis fortunis anteponendas putarem. Nunc careo hoc quidem quamgratiſſimo vitæ condimento, ſed poſſideo alia non minora, pacem, libertatem, tranquillitatem animi; quarum potiundarum in Urbe nec ſperandi ratio erat. Quis enim eſſet tam ferreus, qui ſi etiam ad privata incommoda obduruiſſet, publicis non moveretur? Sed fugiamus a cogitatione hac, neque nos tradamus urbanis curis obruendos, præſertim cum tanti iſthic fluctus ſint, ut uſque huc rejiciantur. Ego poſt labores varios, viarumque diſcrimina,quæ permulta mihi imminebant,tùm peſtilentiæ labe[2] ſuſpectis fere omnibus locis, tùm a militaribus rapinis, & licentia, qui abſque ſtipendio dimiſſi omnium bona prædam ſuam ducebant, certe incredibili felicitate, ope præſentis Dei conſervatus, poſt quartum & trigeſimum diem, quo a Roma diſceſſeram, incolumis cum toto noſtro comitatu veni Carpentoracte, honoratiſſimo quoque nobis obviam longiſſime prodeunte (nam populus expectabat ad portas, ibique ſubitus

1 Idem Noſter hic quod Attico Cicero l. 18.
2 V. quæ de rebus geſtis Sadoleti ſcripſimus §. 2.

tus meus adventus fuerat) apparatu raptim facto, effuſiſſimis omnium ſtudiis excepti fuimus; cetera ad idem exemplum. Quid enim attinet narrare me nunc tibi, quaſi me jactem, aut quæram materiam gloriandi? Quin & hoc prætermiſiſſem opinor recte, niſi ad te hoc genus partem maximam pertineret. Fuerunt enim mihi renuntiata a pluribus mirifica teſtimonia, quæ tu mihi abſenti, cum iter hàc faceres, dediſti, grata illa quidem vehementer & jucunda, ſed ſimilia reliquorum tuorum. Itaque, & egimus tibi, & agimus, & ut video, ſæpe acturi ſumus gratias. Audi hoc quoque: cum laboraretur Carpentoracti ſuſpicione peſtis; ita meo adventu omnis compreſſa eſt, ut nuſquam quicquam exiſtimetur eſſe ſalubrius. Verùm hoc, & ſi quid aliud, ad Deum optimum maximum referendum eſt, cujus ſunt maxima illa quidem & plurima adverſus me beneficia, quæ gratiam, quæ cultum, quæ abſolutam undique, & perfectam pietatem requirant: neque nos voluntate & ſtudio deſumus; ſed adhuc non ſumus voluntati pares. Diſtrahit enim nos, revocatque ab illis curis, cogitationibuſque cæleſtibus, corporis, & carnis imbecillitas, adverſus cupiditatem parum firma, humana illa quidem, ſed tamen mihi neutiquam concedenda; quam dabimus operam, quoad fieri poterit, ut ejiciamus. Itaque quoties ad illa antiqua me refero, *O robur, o conſtantiam*: quamquam illis magis præſens aderat

Deus,

Deus; nos meritis deficimus, ut vitium noſtrum, non illius indulgentia debeat accuſari. Sed hæc hactenus. De te autem ipſo, obſecro te optime virorum omnium, quid agis? cedo, tibine unquam ego verſor in animo, licet abſens? Atqui omnes Deos conteſtans affirmare tibi poſſum, nullum me punctum pœne temporis ſine te eſſe. Nunc illa tua ſingularis humanitas, admirabiliſque prudentia, nunc ſermones illi noſtri dulciſſimi in mea mente loquuntur. Atque ego quidem tecum aſſiduus ſum: ſed tu, quod mihi moleſtum eſt, ſine me es: ignoſco tamen. Arbitror enim premi te eis curis, quæ optimum quemque hoc tempore conficiant, neceſſe eſt; & iniquitatem fortunæ in te accuſo, quæ animis præſtantibus, & ingenuis facultatem nullam dat navandæ virtutis, & liberalitatis. Atque utinam id ne accideret hominum vitio; eſſet fortunæ injuria conſtantius ferenda. Nunc in eum locum dejecti ſumus, ut ne ſperare quidem liceat melius. Age autem, nihil ne tandem in nobis ipſis eſt? *Aude hoſpes contemnere opes, & te quoque dignum finge Deo*: ſunt illa, ſunt profecto divina bona, ad quæ iſti ne cogitatione aſpirant quidem, quorum ipſe abundas, de quibus memini agere me tecum, ut curam aliquando tempuſque ſumeres digerendorum in ordinem monumentorum tuorum, ne, ſi fortunæ reliqua in prædas abeunt, hanc velut hoſtilem prædam, ſibique maxime infeſtam mors dilapidaret. Collegam tuum

tuum Præſulem Sixtianum vehementer doleo, ab Urbe profectum eſſe: magnus ille vir, & vera pietate præditus; nec commodi ſui unquam, nec ſalutis duxit rationem, dum Deo & divinæ rei ſatiſfaceret; neque ego video quid effici poſſit hoc tempore: ſed illius eſt virtus, & voluntas in cælum extollenda; Deos illum fortunare cupio. Quid tibi ſcribam præterea? quid? illud videlicet ut te orem, ne te mei capiat oblivio, deſq. aliquando aliquid ad me tuarum amœniſſimarum litterarum; quas quidem ego ſtudioſe expectabo. Addam hoc etiam, ut Ioanni Matthæo adoleſcenti præſtantiſſimo, quem ego amo unice, & a quo me ſentio amari, multam verbis meis ſalutem dicas. Vale, & nos abſentes, ut fueſti, tuere. Carpentoracti Idibus Junii MDXXIII.

V. *HIPPOLYTO* [1]

Accepi dulces, & perelegantes litteras tuas, quæ incredibili voluptate me affecerunt; tùm ſignificatione tuæ benivolentiæ erga me, qua nihil mihi optatius eſſe poteſt; tùm quia cognovi ex illis, quam ſpem de te jamdudum habebam conceptam, eam eventu ipſo cœptam comprobari. Video enim te, id quod maxime lætor, in virum talem

1 Quis iſte fuerit, ego plane neſcio; reſpondet autem gratias agenti de litteris pro eo ſcriptis Clementis nomine, ſimulque hominem ad virtutem hortatur.

tàlem evadere, qualem ego futurum, tua optima indole fretus, omnibus pollicebar. Sed quod ſcribis in eiſdem literis, gratas tibi fuiſſe litteras ad cives tuos Maximi Pontificis nomine per me ſcriptas; accipio equidem humanitatem iſtam tuam, ac deoſculor: ſed illius officii, ipſi Pontifici omnis a te gratia debetur, cujus ego imperium fideliter executus ſum. De me autem ipſo, Hippolyte chariſſime, ſic tuo velim perſuaſum eſſe animo; cum huic vere optimo, & præſtantiſſimo Principi ita me in perpetuum dicàrim, ut quòcumque ille ſuum judicium deflectit, eòdem ſtudia mea omnia convertantur, tum, tibi peculiari quodam mei animi judicio, plurimum me ſemper tribuiſſe; quod quidem potuiſti tu olim animadvertere, quanquam puer admodum eras: ingenium enim tuum multò antecedebat ætatem; nunc autem liquido habere perſpectum debes. Secutus autem ſum in te amando cùm familiæ tuæ merita, ex quo tot clari, atque illuſtres viri prodiere; tùm vero, quod de te ipſo ita ſperavi ſemper, itaque ſenſi; te ſuccreſcente Majorum tuorum eximiis, ſummiſque virtutibus, non minus illis ornamentorum, quam acceperis, ex virtute tua redditurum. Lucebat enim in ipſa indole pueritiæ tuæ imago quædam domeſticæ nobilitatis, quæ avorum tuorum repræſentaret decora; eam porro commendabat ingenium, non irrequietum, neque ardens, qualia fere ætas illa fert, ſed pacatum moderatumque,

ut in eo multum conſtantiæ, & gravitatis ineſſe appareret.. Quid dicam de bonarum artium, & litterarum ſtudiis,in quibus aſſidue exercebare? nec ſine notabili quidem profectu; ut jam tum facile conſtituere poſſemus, quid de te nobis promittere deberemus. His tot cauſis, cum accedat amor tuus erga me, quem multis ſepe indiciis mihi perſpectum, litteræ nunc tuæ apertius declararunt, quo me tandem putas ardore animi, aut quo ſtudio benivolentiæ in te incenſum eſſe? Nempe eo, quo homo gratus, atque idem non omnino imperite de ingeniis exiſtimans erga tantæ ſpei, & tanti nominis adoleſcentem eſſe debet. Itaque, & incredibili gaudio elatus ſum ex eis honoribus, quos es ampliſſimos in tua Patria conſecutus, & reliqua eſt expectatio, nec mea ſolum, ſed omnium, ut tanto conſenſu tuorum civium virtus tua omni genere laudis cumulate reſpondeat. Faciam, opinor, non neceſſario; ſed quia amantium eſt, eorum vicem ſemper eſſe ſolicitos, quos ament, præcipiam tibi quiddam, quod & meus amor me cogit, & ætas tua hortatur. Vocatus es ad eorum hominum conſuetudinem, ac convictum qui ingeniis maxime acuti, moribus politici, & communicabiles ſunt, apud quos jus præcipue viget, & civilis æqualitatis conſervatio; qui profecto vetus ſuum ſtudium, & animorum benivolentiam,quam Majoribus tuis præſtiterunt,in te ipſum libentiſſime perſequentur, ſi adnitare, inter eos non

non apparatu nec ſpecie aliqua elationis, ſed prudentia, & conſilio eſſe princeps. Ad quam ſtabilem, ac veram & vitæ, & potentiæ rationem, quæ in amore civium ſuorum ſolidum jacit fundamentum, ut te pares, & quotidie meditere, non ſolum te hortor, verum etiam pro eis cogitationibus, quas de te capio, vehementer rogo. Ego, quod mei in te amoris proprium eſt, meæque conſtantis in omnes tuos voluntatis, quicquid ex me eſt, quod tibi tuiſque, aut commodo alicui, aut ornamento eſſe poſſit; omnem meam operam, gratiam, ſtudium, auctoritatem, induſtriam, omnia denique, & naturæ, & fortunæ adjumenta, ſi qua modo adſunt nobis, quantula ea ſunt, ita tibi in omne tempus, & polliceor, & defero; ut in omni curſu temporum tuorum, nihil magis præſto, nec paratius, meâ fidelitate, & benivolentia ſis habiturus: ad quam fidem tibi præſtandam, non ſolum ex viri boni officio, qualem me profecto cupio eſſe, ſed hujus etiam epiſtolæ tanquam fœdere quodam eſſe obſtrictus volo. Tu fac valeas, & nos abſentes diligas. Ex Urbe IIIL Kal. Septembris MDXXIIII.

VI. FER-

VI. *FERDINANDO AUSTRIÆ ARCHIDUCI*[1].

SErenisſime atque invictiſſime Princeps & Domine mihi plurimum colende. Reditus Reverendi D. P. Salamanchæ magnam mihi lætitiam attulit. Nam & de Serenitatis veſtræ bona valetudine, ea quæ maxime cupiebam, & de illius optima ac præſtantiſſima in Chriſtianam Rempublicam voluntate, jamdiu nota & commemorata retulit; præterea litteras mihi ab illa reddidit, pleniſſimas humanitatis & ſapientiæ, in quibus me hortatur, ut ſuſceptam ſemel erga Sereniſſimum Cæſarem & ſuam Serenitatem obſervantiam retinere perpetuò velim: quod equidem facturus ſum, non aliam ullam ob cauſam, quam quod ſpe firma teneor, magnum Chriſtianæ Reipublicæ commodum in Serenitatis veſtræ eximia virtute, & fratris ejus ſumma auctoritate paratum fore. Quod ut celeriter & expedite videre poſſimus, equidem cuperem, hæc civilia & inteſtina bella, quibus afflicta & pene perdita Chriſtiana res laceratur, aliquo fine terminari; ut quæ per SS. D. N., cui ego tota mente & integra fide deſervio, cogitata & deliberata ſunt, nomini Serenitatis veſtræ imprimis glorioſa, Chriſtianæ Reipublicæ ſalutaria, quamprimum a

primo

1 Hanc inſcriptionem nos poſuimus ex epiſtola ipſa; ex qua apparet, eſſe hunc Ceſaris, idest Caroli V. fratrem. Eſt ergo Ferdinandus Auſtriæ Archidux, qui a Sadoleto petiverat, ut perpetuam obſervantiam erga ſe, fratremque ſuum retineret; quibus litteris Sadoletus reſpondet.

primo quoque tempore in actum deducerentur. Quod ut Deus ſua faxit bonitate, illius inenarrabilem clementiam ſupplices deprecamur. Mihi, ſi licitum eſt coram Serenitate veſtra ea effari, quæ & fides mea, & ſingulare ſtudium erga illius amplitudinem me cogit, nihil optem ardentius, quam horum tot malorum atque tantorum a Chriſtiana Rep. depellendorum laudem & decus illi reſervari: in qua...., etſi privati aliquid in ea affectus eſt, ut cogatur prope neceſſario ſuſcipere partes & Sereniſſimi fratris ſui, & ſuas ... illa eſt vera ſapientiæ laus, quæ publicam utilitatem primam omnium ducit, tamen ad illius ſingularem & egregiam pertinet naturam ac ſapientiam providere longius, nec ſolum quæ in præſentia aguntur, ſed etiam quæ in poſterum poſſint impendere, proſpicere. Ego & quæ mei deſiderii ſunt ingenue expromo, & pro Serenitatis veſtræ honore, ſtatu, perpetuitate, fama ita animo & cogitatione exulto, ut omnem præclariſſimarum rerum & vere ſummo Principe digniſſimarum gerendarum gloriam, communem illi cum Sanctiſſimo Domino noſtro & conjunctam eſſe cupiam: in quem erga Serenitatem veſtram animi affectum acrem, atque ferventem, primùm Sanctiſſimi Domini noſtri in illam amor incredibilis, deinde ipſius ſumma & meo judicio incomparabilis virtus me impulit; in quo quidem affectu & judicio perpetuo manſurus ſim, atque ejus commodis, amplitudini, gloriæ quantum mea tenuitas

feret, omni tempore deſerviturus. Valeat ſemper felix Serenitas veſtra, cui me unice commendo. Ex Urbe die 17. Jan. 1525.

VII. *ARCHIDUCI AUSTRIÆ*[1]

SEreniſſime atque invictiſſime Princeps & domine mihi plurimum colende, poſt commendationem debitam. Dominus Petrus Salamancha doctus vir, & gravis, & Serenitatis veſtræ rerum, ac dignitatis ſtudioſiſſimus reddidit mihi eas litteras, quas ipſa ad me ſcribere dignata eſt, plenas humanitatis, denique dignas, quæ a magno Principe & magno animo prædito mitterentur; mihi vero hòc gratiores, quò minus expectatas. Nam etſi ego, tùm meo quodam proprio judicio, quo de ſummis & præſtantiſſimis virtutibus Serenitatis veſtræ mirifice exiſtimabam tùm SS. D. N. cuius mihi omnis voluntas pro norma eſt, incredibili erga eam benivolentia adductus, libenter Serenitati veſtræ inſerviebam, omniumque ipſius & acta atque conſilia mihi probabantur, & voluntates ac deſideria fovenda videbantur, tamen cum id agebam, non tam quærebam in eo ſatisfacere Serenitati veſtræ, quam animo meo & veritati. Cum enim ipſa pro Sedis Apoſtolicæ dignitate, & pro fidei Catholicæ unitate nullum ſibi laborem gravem eſſe duceret

1 De ſua in eumdem voluntate atque officiis. Annus incertus; ſed vel idem ac ſuperior eſſe videtur, vel ei proximus: ideo hic eam collocavimus.

ceret; ita ſtatuebam, pertinere ad omnes qui Chriſti nomen diligerent, & præcipue ad me, qui multis de cauſis ad id ſum obligatus, amare, & celebrare, & omni obſervantia ac cultu proſequi Principem illum, qui de re & pietate Chriſtiana tam præclare promeritus eſſet; ut in eo ipſo vera illi, & perpetua, & in univerſam poſteritatem celebris futura eſſet gloria. Hoc igitur animo, hoc affectu in amplectendis Serenitatis veſtræ negotiis procedebam; ſatis magnum mihi præmium conſtituens in ſinceritate animi mei, & in bona voluntate. At poſtquam Serenitas veſtra pro ſingulari ſua humanitate hoc mihi ſignificare ſuis litteris haud gravata eſt, grata ſibi eſſe officia mea atque accepta; quod ſponte antea faciebam, ut eſſem illi maxime deditus, id mea omni ratione facere cogor. Neque enim aut ulla res eſt, quæ me magis obliget, quam benivolentia, aut ulli beneficio majorem gratiam debeo, quam tali judicio erga me & voluntati. Quamobrem ſic volo Serenitas veſtra....... inter multos qui pro illius dignitate, & honore curam ſuſcipiunt & ſuſcepturi ſunt, me, quantum mihi datum, & conceſſum fuerit, primas partes ſtudii, laboris, atque obſervantiæ appetiturum, omnibuſque in rebus adnixurum, ut mea conſtans & fidelis erga eam voluntas appareat. De his ulterius cum eodem Domino Petro Salamancha ſum adlocutus; cui ego homini valde affectus ſum, propter eximiam quidem illius doctrinam & ſummam integritatem ....

magis quam me ab illo ſentio amari. Valeat felix ſemper Serenitas veſtra; cui me unice commendo. Romæ 8. Kal. Novembris.

VIII. *SERENISSIMI ARCHIDUCIS SECRETARIO*.

QUod ſcribis ad me, grata tibi fuiſſe ea amicitiæ noſtræ fundamenta, quæ vir gravis, & prudens, & utriuſque noſtrum amiciſſimus P. Salamancha jeciſſet, id mihi ex tuis litteris agnoſcere, fuit jucundiſſimum. Nam & tua virtus antea mihi ſpectata & cognita, & humanitas nunc perſpicue percepta eſt; quarum altera fecit ut te mirifice amarem; altera vero, abs te ut amarer. Quamobrem, quod tu mutuam noſtram benivolentiam multis fortunæ commodis anteponis, facis peramanter. Neque tamen arbitrere, me abs te in amore ſuperari. Is enim ego ſum, qui nulla fortunæ præmia, neque emolumenta cum bonorum & doctorum amicitia comparari putem: in quorum quidem numero vel imprimis tu a me habitus es; quem, cum amare mea ſponte occepi, dedi hoc virtuti tuæ, cujus nomen & dignitas valet apud me plurimum. Cum vero & tu tam accurate & diligenter de tuo erga me animo benivolo ac propenſo ad me ſcripſeris, planeque mihi ingenuam mentem tuam & ſtudium in amicitia conſtans declaraveris, prorſuſque ita eſſe perſuaſeris; ſi dignus

1 Officioſis ejus litteris officioſiſſime reſpondet.

gnus ſum aliquo bonorum judicio,& eis ſtudiis quæ ſemper artium optimarum & honeſtiſſimarum ſum ſecutus; debes exiſtimare, me omni ope curaturum, ut mea tibi & voluntas & benivolentia cum omni tuo commodo & honore reſpondeat. Itaque & quæ tu mihi officia tua polliceris, in eo habeo tuam voluntatem gratiſſimam; & ego de te jam ſum cum hoc meo & omnium Principe accurate locutus, nec jam ut de ignoto homine, ſed ut de amiciſſimo; qui pluribus verbis oſtendit, tuam & fidem & obſervantiam ſibi eſſe acceptiſſimam. Sed ut aliquid tui cauſa faciam aliquando,quod tibi emolumento eſſe queat, Deus & occaſio afferat: ut vero ita velim & optem, jam ſum tibi ex officio noſtro amicitiæ obſtrictus, ſicuti me facturum & polliceor & defero. Tu ut valeas meque perpetuo diligas, magnopere a te peto. Ex Urbe 16.Kal. Feb.

IX. *REGI POLONIÆ SIGISMUNDO* [1]

SEreniſſime atque invictiſſime Rex & Domine honoratiſſime.Cum natura,ac voluntate,Deique beneficio ad virtutem venerandam ſatis propenſus ſim,

1 Suam in eum voluntatem declarat. De Sigiſmundi laudibus (fuit enim vere prudentia, fortitudine, conſtantia, ſtudioque Catholicæ Religionis inſignis) præter Staniſlai Oricovii & Martini Cromeri funebres laudationes, quibus vitam ejus omnem ferme complexi ſunt, Antonius M. Gratiani cap. 7. *Vita Card. Commendoni*: obiit Sigiſmundus A. 1548. ipſo Paſchatis die annos natus LXXXII. cum regnaſſet a. XLII.

ſim , fuit jamdiu mihi neceſſe , illam in Majeſtate veſtra colere ac venerari , in qua , præcipua & admirabili dignitate, præcellit . Itaque mihi conſcius ſum , quantum in omni tempore , ubi aliqua mihi ſeſe obtulit occaſio , ejuſdem Majeſtatis veſtræ honoris ſtudioſiſſimus,& rerum omnium amantiſſimus fuerim . Sed quoniam ſtatus mei tenuitas non eſt paſſa, mea erga illam officia magni æſtimari , cum deſiderio ac voluntati opes meæ pares non eſſent , exiſtimavi antehac , ſummam meam in veſtram Serenitatem obſervantiam tacitis officiis mihi potius colendam , quam aperta ſignificatione eſſe oſtentandam . Ac in eadem nunc ſententia manſiſſem, niſi Venerabilis vir Dominus Joannes Rudnicski Archidiaconus Eccleſiæ . . . . qui aliqua Majeſtatis veſtræ negotia procuravit apud me , cum vidiſſet , qua ego diligentia , quo amore inſervire illi conarer , hortatus me eſſet, ut has ad eam litteras mitterem ; quod feci libenter . Magnus enim fructus amantis eſt , intelligere ſuum amorem eſſe probatum & agnitum : qui cum nulli rei magis debeatur, quam virtuti, non mirum eſt ſi in animo meo erga Serenitatem veſtram vehementer eſt inflammatus ; quam ego agnovi in his miſeris & calamitoſis temporibus propemodum ſolam facultates omnes , & illam qua potiſſimum valet & prædita eſt , ſapientiam Deo , & Dei Fidei , & amplitudini Chriſtianæ Religionis dedicaſſe . Hæc faciunt, ut ſi quid eſt in me, licet id ſit exiguum , ſed

ta-

tamen, ſi quid poſſum & valeo ingenio, induſtria, fide, ſedulitate; id totum cupiam, & optem Majeſtatis veſtræ honoribus,& commodis promptum & paratum eſſe; nihil gratius, neque optatius habiturus, quam ſi intellexero, Majeſtati veſtræ hunc animum acceptum & dicationem meam gratam eſſe: quam Deus omnipotens in omnibus conſiliis ſuis actionibuſque ſecundet. Romæ iv. Non. Martii 1528.

X. N. N.[1]

Reverendiſſime in Chriſto Pater & Domine, debita & reverenti benedictione præmiſſa. Litteræ, quas V. P. Reverendiſſima mihi miſit ſuper facultate conferendorum beneficiorum ad triennium impetranda, ſimul cum litteris Sereniſſimi Cæſaris, ad SS. D. N. & ad me ſcriptis, a me quidem diligenter Summo Pontifici redditæ fuerunt. Sed, cum ipſe cuperet uti benignitate erga eam, de qua optime ſentit ſemper & loquitur, non tamen potuit,propter expectativas,quarum illo ipſo tempore expeditio erat in procinctu paulo poſt facienda, quæ inde eſt facta: cum peterem ad reſervata, libenter ſe facturum fuiſſe, reſpondit, ſed ſe impediri, ex eo, quod plures ex Hiſpanis Epiſcopi, ac Archipræſul imprimis Toletanus, idem inſtantiſſime petierunt, ſeque a D. V. in ſimili

L l 4 gratia

1 Reſpondet facultatem conferendorum beneficiorum ad triennium, aliaque petenti.

gratia ſuperatos eſſe moleſte ferrent ; quorum precibus reſiſtere non poſſet ſi D. V. ſoli morem gerere vellet . Dixit tamen de reſervatis, ſe majorem partem mihi collaturum,ut de eis gratificari hominibus bene de D. V. meritis poſſem . Ac de hac quidem re nihil amplius exprimere potui : de cauſa vero & contentione Capituli Conchenſis cum oſtendiſſem Sanctitati ſuæ litteras & D. V. illi plurimum commendaſſem ; dixit , via juſtitiæ ordinaria id ab illis fuiſſe impetratum : quod ſi commiſſio denuo ad Signaturam referretur,ſe conſulturum juſtitiæ & honori D. V. ; multaque benigne & honorifice de ea locutus eſt . Dixi Reverendo P. Cantori , ut curaret, ſolicitaretque negotium ; me omni diligentia D. V. rebus non defuturum : quod quidem agam ſemper , nec me unquam illius ſingularium clariſſimarumque virtutum , & aliàs expertæ erga me benivolentiæ capiet oblivio ; tantum donet mihi Deus , ut quo animo quaque obſervantia erga eam ſum , factis & rebus declarare poſſim . Præteritis diebus rumor fuit D. V. pro Oratore Cæſaris huc adventurum , quod ego lætiſſimo animo accipiebam : nihil enim mihi poſſet evenire jucundius, quam illam videre,& alloqui,& coram meam illi reverentiam benivolentiamque præſtare ; ſed is rumor nunc evanuit : quicquid ſit , iter omne precor ſit D. V. fauſtum & proſperum . Nos in aliquo metu peſtilentiæ ſumus , magna tamen adhibetur diligentia , nec principis benignitas & liberalitas

pu-

publicæ curæ deeſt. Summum Deum deprecor, ut D. V. Reverendiſſimam ſalvam diu incolumemque cuſtodiat: ipſam vero, ut ſolitum ſuum erga me amorem conſervet, enixe oro. Ex Urbe. ultima Auguſti 1525. E. Rev. D. V.

Obedientiſſimus filius & ſervus Ja. Sad. Carp.

XI. *N. N.* [1]

SI veſtræ virtutis fama atque opinio, quæ in laude juſtitiæ, & ſtudio æquitatis magnam apud omnes habet commendationem, mihi bene nota, & perſpecta non eſſet; durius tuliſſem meæ Eccleſiæ Carpentoractenſis cauſam, cum diu in Aquenſi conſiliò agitata, & jam prope ad finem perducta eſſet, ad initia litigandi rurſum eſſe revocatam. Sed quoniam de unoquoque veſtrum ita ſentio, ut de juſtiſſimo, & optimo judice ſentiendum eſt, veſtrique iſtius Senatus gravitatem, dignitatem, conſtantiamque intelligo; gaudeo, mihi oblatam eſſe occaſionem, qua, & patrocinium tantorum virorum experiar & ego in jure Eccleſiæ meæ proſequendo animi mei integritatem ac innocentiam veſtris Spectabilitatibus probare poſſim. Etſi enim grave eſt mihi litigare, propterea quod optimarum artium ſtudiis deditus, & in hoc onere atque officio, quod ſuſtineo, maximis occupationibus diſtri-

1 Judicibus Gallicis, ut finem aliquando imponant litibus, & cauſſam quamdam ſuam judicent: quæ ea ſit, explicatum habes *ep.* 17.

ſtrictus, natura etiam a litibus abhorrens ſum; tamen in hac cura & ſolicitudine illæ res me conſolantur, primùm, quod Deo omnipotenti deſerviens, cum Eccleſiaſticas res retineo, videor mihi Dei honori & debito meo non deeſſe; deinde, quod veſtri clariſſimi, graviſſimique Conſilii æquitatem atque virtutem confido juſtitiæ, & veritati fore propitiam. Non enim ego aliud quicquam quæro aut poſtulo, nec vero quæſivi unquam, niſi juſtitiam & juſtitiæ exitum: cum qui res Eccleſiæ meæ diripuerunt, & illam poſſeſſionibus ſuis expoliarunt, omnibus artibus ſemper ſtuduerint, ut numquam finis huic judicio daretur; cauſamque ſpolii præſertim, per triginta circiter annos tractatam & actam, ad terminum venire paſſi non ſint, nunc varias cavillationes ſubterfugiaque inveniendo, nunc producendis, ſæpe bis, aliquando ter eiſdem ſcripturis, maximum proceſſus volumen cumulando, quo diem ſententiæ ferendæ in infinitum extraherent. Quas illorum artes & calliditates non commemorarem, niſi in poteſtate veſtra eſſet celeriter cognoſcere, utrum ego hæc vere, an ſimulate ſcriberem. Sed per Deum immortalem, cujus ante trhonum juſtitia ſedem ſuam habet, & qui filios hominum, ſi vere juſtitiam loquuntur, juſte jubet judicare; oro obteſtorque vos viri præſtantiſſimi, ut cauſam hanc ita cognoſcendam & finiendam ſuſcipiatis, ut diu multumque per tot annos agitata, aliquando veſtræ ſapientiæ judicio con-

conquieſcat; & quod jus dictat, veritas præſcribit, veſtra virtus integritaſque pollicetur, deciſione & ſententia declarare velitis. Quamquam hoc ipſum Spectabilitates veſtræ ſponte ſua facturæ ſunt; tamen illud orare atque obſecrare meum eſt (in quo maximum beneficium a vobis accepturus ſum) ut non me diutius in hac ſolicitudine verſari permittatis. Satis diu mea Eccleſia vexata eſt, ſatis ego cum litigioſiſſimis hominibus conflictatus: qui ſi aut privatæ cupiditatis cauſa, aut quò avaritiæ prædam comparem, cauſam hanc ipſam perſequor; indignum me judico, qui apud vos gratiæ locum inveniam. Si vero ex debito & officio id ago, & quò Eccleſiaſticis facultatibus uti poſſim ad ſubſidium bonorum, atque egentium; de qua mea voluntate & natura ferre teſtimonium poſſunt qui me noverunt; peto a vobis, ut me ipſum & Eccleſiam ipſam meam commendatam vobis accipiatis, velitiſque pro humanitate veſtra dare hoc mihi precanti, ſi non iniqua deprecor; dare nomini & dignitati non ſolum veſtræ propriæ, ſed & communi Galliæ totius, quam ego, in ea Eccleſiam, hoc eſt cæleſtem ſponſam aſſecutus, patriam meam chariſſimam eſſe profiteor, ut apud vos & in veſtro judicio quod æquum juſtumque fuerit, non ſolum judicatum, ſed etiam accurate & celeriter judicatum ſit; ut ego his moleſtiis aliquando liberatus, ad ferendam vobis gratiam expeditus eſſe poſſim: quod tanto amore & ſtudio polliceor me facturum, ut

nemo

nemo ex vobis meam aliqua in re operam quæſiturus ſit, quin ſummam in me fidem & ſummam benivolentiam ſemper reperiat; iſtius autem præclari eximii Senatus nomen & auctoritatem, virtutem, omnibus a me officiis, atque omni obſervantia cultam in perpetuum, & honoratam ſit intellecturus. Romæ 27. Junii 1525.

XII. *PRÆSIDENTI*[1].

Præſidenti &c. Etſi non dubito virtutem, & integritatem tuam ad expediendam tandem aliquando cauſam meæ Eccleſiæ Carpentoractenſis, mihi pro tua præſtanti humanitate affuturam, tamen cum poſt trigeſimum ferme ſpolii atque injuriæ ei Eccleſiæ factæ & litium agitatarum annum, hic qui proxime appropinquat annus magnam mihi ſpem præbeat, tua imprimis auctoritate & juſtitia interveniente, exitus inveniendi earum moleſtiarum, quas diu adverſarii malitia ſum perpeſſus, volui has ad Spectabilitatem tuam litteras ſcribere, quibus & me,reſque meas ejus fidei commendarem, & meum erga illam animum declararem. Ego enim in eis rebus, quas ad te pertinere arbitratus ſum, id ſtudii profecto præbui, quod & tuæ eximiæ virtutes, & mea inſignis erga te benivolentia poſtulabat: ſumque eodem animo paratus ſemper futurus (uti-

1 Idem est argumentum hujus epistolæ & quæ ſequuntur xI. ac ſuperioris.

(utinam ea mihi offeratur occaſio) quo melius etiam mentem meam, & deſiderium inſerviendi tibi poſſis cognoſcere: quod donec acciderit, ut interea meam optimam voluntatem grate accipias magnopere a te peto. Abs te vero id poſtulo, quod in præſentia mihi concedere cum tua laude potes, ut tua auctoritate, benignitate, gratia cauſa mea expediatur; atque ita expediatur, ut id quod ego maxime volo, jus, & æquum, & veritas in ſuo honore retineatur. Hanc petitionem, ſi tu juſtam intelligis eſſe, da mihi quæſo, meæque obſervantiæ,& ſummæ erga te benivolentiæ,ut tua ope & patrocinio ab hoc onere liberer. Multa ſunt officia, quæ ego abs te, tali viro expectare poſſum: es enim in eo honore & loco conſtitutus, ut plurimis in rebus egere poſſim tuo præſidio;ſed nullum certe majus beneficium,nullum mihi carius nec gratius potes exhibere, quam ſi ſenſero,te favente, & moderante judicium, ſententiam primo quoque tempore in hac cauſa latam; pro quo munere tibi ſum perpetuam gratiam & obligationem debiturus, nec unquam animo quieturus, donec aliquo inſigni teſtimonio experiare meæ erga te effectum benivolentiæ & amantiſſimæ voluntatis. Romæ 3. Novembris 1525.

XIII.

XIII. *NOVO PRÆSIDENTI.*

SPectab. & Magn. tamquam frater honorande. Gratularer libenter dignitati tuæ,quod ad præſidendum tanto iſti Conſilio fueris vocatus, niſi multo magis ipſi Conſilio gratulandum eſſet, quod tanto Præſide fuerit exornatum.Sic enim intelligo; omnes illas virtutes, quæ in magno viro, & patrono juris ac juſtitiæ requirendæ ſunt, in te ipſo cumulate exiſtere, ingenium,æquitatem,prudentiam, ſcientiam, quodque præterea rarum inter homines eſt, & ut ego judico maxime præclarum, te ita excellere ac florere eis artibus & litteris,quæ & ſunt & vocantur optimæ, ut nullam laudem deſiderari in te ſinas. Quibus ego rebus & cauſis adductus, etſi opem tuam mihi & cauſſæ meæ,quæ iſtic agitatur, accedente ſemper veritate & juſtitia, eram imploraturus; tamen hoc libentius facio, quod video in te non ſolum auxilium & patrocinium, ſed aliquanto etiam magis benivolentiam ac amicitiam optimi,& præſtantiſſimi,& omnibus rebus ornatiſſimi hominis mihi eſſe optandam: cujus imprimis adipiſcendæ cauſa, has denuo ad te litteras ſcribere ſum inductus; cumque ego, ſimili tecum voluntate, multum bonis litteris tribuam & honoris, & ſtudii; arbitror eam cauſam, quæ me ad te amandum maxime impulit, tibi quoque ad me diligendum alicujus momenti futuram: non enim du-

bito, quin, qua es doctrina, eadem ſis humanitate; & quo es animo omnium virtutum laudem conſecutus, eodem animo ſis eos, qui ad te colendum accedunt, ad tuam amicitiam & benivolentiam accepturus; quod ut in me ipſo facias, te vehementer rogo. Et quoniam tua auctoritas in illo Conſilio plurima eſt; pro veritate juſtitiæ & integritatis tuæ, cauſam meæ Eccleſiæ que xxx. ferme annis calumnia adverſariorum protracta, & nunc ad calculum pene redacta eſt, ut decidi & terminari ex juris ratione adjuves atque efficias etiam atque etiam deprecor. Ego omnem amoris ſignificationem, quem mihi exhibueris, ita ſum grate & jucunde accepturus, ut in perpetuum, quam ſuſcepero erga te obligationem, nulla unquam ætas ſit diſſolutura; quicquid etiam in me erit ſtudii, auctoritatis, operæ, id totum tibi & honoribus commodiſque tuis, ac tuorum promptum ſit paratumque futurum: in quo & fidem meam firmam eſſe ſenties, & amorem experiere. Vale. Romæ 3. Novembris 1525.

XIV. *PRÆSIDENTI* [1].

SPectab. & Magnifice &c. Audio Spectabilitatem tuam florentem laude virtutis, atque doctri-

1 Conſilio Tholoſano. In editis *lib.* 1. *ep.* 13. eſt epiſtola N. *Senatus Tholoſani Præſidi*; ubi cauſſam Eccleſiæ ſuæ ad Senatum Tholoſanum delatam ſignificat; quam camdem hanc eſſe puto. Scripta eſt illa epiſtola xi. kal. Nov. 1527.

Digitized by Google

ctrinæ præſidere in iſto Conſilio Tholoſano, quod propter gravitatem & juſtitiam magni nominis ubique eſt: quod ego ſumme gaudeo; gratulorque, dignum honorem in te tali viro virtuti eſſe habitum. Et quoniam ego eorum qui virtutum ornamentis præditi ſunt, ſum & natura & voluntate amiciſſimus, peto a te, ut tu quoque me aſpirantem tecum ad conjunctionem benivolentiæ, ne aſpernere, veliſque mihi eſſe ad tuam amicitiam aditum; ſicut te facturum ſpero, ſi modo, ut audio, pari humanitate & doctrina polles. Tulit autem caſus & curſus temporum, ut apud te primum eſſet facultas promerendi de me; quod quidem juſtiſſime & rectiſſime facere poſſis: non enim aliter volo nec poſtulo; ſed ut cauſam meæ Carpentoractenſis Eccleſiæ triginta fere annos in Aquenſi Conſilio agitatam, & nunc iſtuc tranſlatam, pro juſtitia abſolvi expedirique adjuves, oro te & deprecor: hoc enim eſt in quo maximum abs te expecto beneficium, cui debiturus ſum gratiam ſempiternam. Cauſa ſpolii eſt; quod ius ſemper expeditum eſſe ſolet; & nunc tamdiu dilatum finem aliquando habere debet, quod potiſſimum, tua auctoritate adjuvante, confido fore: adverſarius homo omnium litigioſiſſimus, qui exitum cauſæ videre non vult: hac tu me cura & ſollicitudine ut aliquando, iure præeunte, liberes, humanitatem tuam omni ſtudio obteſtor; quò ego liberius poſſim & optimarum artium ſtudiis vacare, quibus mirifice ſum deditus, & huic

& huic ſummo Pontifici deſervire apud quem maximis occupationibus obſtrictus ſum. Tu, ut hujus tui meriti iatelligas gratiam tibi a me relatam, ac meam omnem operam, ſtudium, auctoritatem tibi ac tuis in hac Curia paratam eſſe cognoſcas, efficiam, perpetuamque tibi fidem in amicitia & benivolentiam præſtabo; ut te nunquam me accepiſſe in clientelam pœniteat: ſicut cum Spectabilitate tua nobilis vir Gregorius .... pro vice mea latius loquetur, cui illa fidem habebit.

XV. *PRÆSIDENTI.*

VIrtus tua & prudentia,quam ego intelligo eſſe eximiam, animum mihi dat ad Spectabilitatem tuam ſcribendi, ut & commendem cauſam Eccleſiæ meæ, quæ ad veſtrum judicium delata eſt, & inveniam aditum ad præſtantis & magni viri amicitiam, quam ego ceteris rebus anteferendam puto. Nam cum hoc habeat virtus, ut ingenuos animos ad ſe amandum alliciat, ego, qui ſi non virtute præditus, virtutis tamen cultor ſum, ita ad te amandum colendumque acceſſi, ut te quoque rogem atque obſecrem, ut me dignum tua benivolentia ducas. Quod ad cauſam meam pertinet, nihil a te peto, niſi juſtitiam & integritatem, quam tu ſponte tua omnibus præſtiturus es: illud, oro te, concedas benivolentiæ & occupationibus meis, quæ apud ſummum hunc Pontificem maximæ ſunt,

in animo non mediocrem gero; volui his litteras teſtes tibi afferri meæ erga te amantiſſimæ voluntatis. Equidem, ſi peterem aliquid abs te, quod minus ex veritate, minuſque ex officio probi viri eſſet; reprehenderem ipſe me, neque is eſſem, qui ſemper eſſe volui, æqui & recti & juſti obſervantiſſimus; tu vero, cujus ſingularis integritas egregia opinione eſt, facile me poſſes & damnare & coarguere: ſed abſunt hæc ab utroque noſtrum. Ego vero peto & deprecor, ut poſt triginta fere litium annos, tua induſtria, opera, auctoritate meæ Eccleſiæ cauſa aliquando definiatur. Faciunt autem meæ plurimæ occupationes, & illud ſtudium, quod ego optimis artibus & litteris aſſiduum do, ut abhorreat in me animus a litibus; nec ex omnibus beneficiis quæ mihi multa a tui ſimilibus venire poſſunt, ullum ſit mihi expectatius harum curarum & moleſtiarum levamento: quod, quando in tua poteſtate ſitum eſt, obſecro te & deprecor per vinculum illud pietatis & juſtitiæ, quo Deo omnipotenti omnes obſtricti ſumus, perque amicitiæ fidem, quam ego mihi tecum & fidam & perpetuam eſſe opto, ut me & meam libertatem tranquillitatemque tibi habeas commendatam, aliquantumque laboris mea cauſa aſſumas, ut tuo ſingulari dono his ſolicitudinibus celeriter ſim abſtractus: atque hoc ita abs te peto, ſi tu me non indignum exiſtimas, quem tuis præc laris beneficiis ornatum, perpetuam tibi gratiam c onſtituas debere.

Illud, quod & grati, & conſtantis, & non inertis hominis proprium eſt, ego tibi a mea parte defero ac polliceor, nullum tempus unquam fore, quo aut memoria in me nominis tui aboleatur, aut gratiæ tibi referendæ voluntas: quam promiſſionem his litteris expreſſam, fideliſſimi pignoris & teſtimonii loco apud te perpetuam eſſe volo. Vale Romæ 3. Novembris 1525.

XVII. *CONSILIARIO*

SPectabilis & Magnifice &c. Tua virtus multorum mihi cognita teſtimonio facit, ut & amicitiam tuam ſummopere expetam, & tui auxilii indigens, audacter ad te confugiam in re quidem juſtiſſima & rectiſſima: non enim aliud aut me petere aut te concedere honeſtum eſt. Habeo cauſam cum homine omnium litigioſiſſimo Domino de Muris ſuper duobus dirutis oppidis S.Lamberti & Baſtiti de Beſania, quibus mea Carpentoractenſis Eccleſia ſpoliata fuit, quæ cauſa annis fere 30. in Aquenſi conſilio agitata, cum prope ad finem adducta eſſet, ſemper fugiente adverſario deciſionem litis, ejus calliditate & verſutiis, ad iſtud nobile Conſilium tranſlata eſt: hanc ego peto aliquando poſt tam diuturnum tempus abſolvi expedirique, prout juſtitia exigit; ſed ad celeritatem expediendi requiro opem & auctoritatem Spectabilitatis tuæ, qua plurimum illam pollere intelligo, ſi modo

modo non indignus ſum, quem humanitate & benignitate tua in re honeſtiſſima eſſe adiutum velis. Mihi quidem abs te nullum majus beneficium dari poteſt, quam ſi ero his litigandi ſolicitudinibus te adiutore liberatus, a quibus mea mens & natura longe abhorret: præterea cum ſim & litterarum optimis ſtudiis valde deditus,& maximis apud hunc ſummum Pontificem occupationibus obſtrictus, amo & deſidero his curis liberari: quod ſi tua clementia fuero aſſecutus, polliceor tibi, me totum in tua poteſtate futurum,gratiamque tibi hujus meriti perpetuam habiturum. Equidem quantum in me eſt vel auctoritatis, vel gratiæ in hac Curia, etſi id non multum eſt, tamen ita tibi promptum & paratum offero, ut nunquam ſis in me nec fidem amicitiæ, nec memoriam gratæ & benivolæ erga te voluntatis fruſtra deſideraturus: ſicut &c.

XVIII. *CONSILIARIO*

SPectabilis & Magnifice, tamquam frater hon. Peto a te,ut quo ego animo ad tuam amicitiam expetendam venio, eadem tu me excipias voluntate; & quoniam caſus tibi primum obtulit facultatem beneficii in me conferendi, tuam humanitatem ſimul & juſtitiam mihi paratam eſſe velis. Habeo cauſam meæ Eccleſiæ Carpentoractenſis, quæ ab hinc annis circiter 40. duobus territoriis oppidorum dirutorum ſpoliata, agit ad recupera-

Digitized by Google

tionem ſpolii: quæ cauſa triginta fere annis plus minuſve in Aquenſi Conſilio agitata nuper ad iſtum graviſſimum Senatum avocata eſt, adverſarii mei calliditate & verſutiis, qui omnium hominum maxime litigioſus, nullum juris finem unquam videre vellet. Hujus ego cauſæ celerem expeditionem poſtulo, precorque a Spectabilitate tua, per illam virtutem & integritatem tuam, qua te ſumme valere intelligo, ſuſcipias in fidem & patrocinium tuum me ipſum, & meam ſponſam Eccleſiam, qui & optimarum artium ſtudiis deditus, & maximis apud ſummum Pontificem occupationibus impeditus nihil magis cupio, quam finem litigii, a quo mea natura longe abhorret: nec majus beneficium accipere poſſum, quam harum ſolicitudinum liberationem. Quantum ergo Spectabilitas tua, ſalvo officio & fide ſua, mihi in hujus cauſæ expeditione favere dignata fuerit, tantum ego tibi in perpetuum debiturus ſum; habiturusque gratiam tuæ benignitati ſempiternam: & quod ad me pertinebit, in eis rebus omnibus, quæ tibi honori & commodo eſſe poterunt quicquid eſſe in me poteſt, in hac Curia aut auctoritatis aut gratiæ, etſi illud non maximum eſt, tótum tamen tibi atque tuis futurum eſt paratum: in quo me memorem & gratum atque in ſuſcepta amicitia fidelem ſemper es experturus.

XIX.

XIX. CONSILII THOLOSANI CONSILIARIO.

SPectabilis & Magnifice &c. Si ea tua eſt humanitas, quam ego eſſe audio, mihi his litteris ad tuam amicitiam aſpiranti facilem aditum præbebis; præſertim cum omnia ſim honeſta & recta a te petiturus: hoc enim & naturæ meæ petere eſt, & tuæ integritatis concedere. Nam cauſam quidem meæ Carpentoractenſis Eccleſiæ triginta & amplius annos injuriis adverſariorum oppreſſæ, quæ ſuper recuperando ſpolio actitata eſt, ut pro juſtitia & veritate commendatam accipias, vix petendum a tua Spectabilitate eſt: tu enim ex natura & integritate tua, juſtitiæ & veritati non es defuturus. Illud eſt, in quo velim adeſſe mihi humanitatem & benignitatem tuam; ſi modo preces meæ juſtam cauſam afferunt obtinendi, quod precamur.; ut litem tanto tempore dolis & calliditate adverſarii ductam, aliquando tandem in iſto ſapientiſſimo Conſilio, tua auctoritate mihi aſſiſtente, videam expeditam. Hoc eſt illud beneficium, quo a te cupio affici, quod mihi maximum futurum eſt; cum & natura a litigando abhorrens ſim, & maximis apud hunc ſummum Pontificem occupationibus impeditus. In hoc ſi tua benigna mens precibus meis annuerit, ſumpſeritque ſtudium & curam juſtitiæ meæ expediendæ, polliceor tibi, me æternam pro tanto dono gratiam tibi habiturum; omnem-

que daturum operam, ut te collati in me beneficii nunquam pœniteat: quicquid certe valeo & poſſum vel opera, vel gratia, vel auctoritate in hac Curia, etſi ea in me non magna ſunt, quantacumque tamen ſunt, tuis commodis ac honoribus ſunt parata: in quo & fidem amicitiæ, & ſtudium amoris erga te ſemper in me cognoſces.

XX. *CONSILIARIO*

Ex meorum litteris certior factus ſum, te in meæ Eccleſiæ cauſa, quæ 30. ferme annis calumnia & malitia adverſarii extracta litibus eſt, ſingularem quamdam juſtitiam & integritatem oſtendiſſe; operamque adhibuiſſe, ut ea aliquando ſecundum normam veritatis, & juris decidi poſſet, totiuſque judicii expeditionem tua præcipue virtute adjuvante in procinctu paratam eſſe: quo nihil potuiſſem audire, nec accipere mihi gratius. Valde enim opto, cum & occupationibus maximis, & ſtudiis artium optimarum honeſtiſſimis diſtrictus ſim, liberari aliquando hac moleſtia, quæ me, non commodo mei, ſed officii, & pietatis, ac in Deum omnipotentem religionis cauſa, maxime ſolicitum tenet. Quod ut per benignitatem & auctoritatem tuam conſequar, magnopere tuam Spectabilitatem rogo atque oro. Ex omnibus enim beneficiis quæ mihi impendi poſſunt, hoc maximum habiturus ſum, ac pro eo æternam tibi obligationem & gra-

Digitized by Google

& gratiam debiturus. Quòd ſi acciderit, ut mea tibi fides & opera alicubi utilis, aut honorifica eſſe poſſit; intelliges, te homini gratiſſimo, & in ſuſcepta benivolentia conſtantiſſimo & officio & humanitate tua tribuiſſe. Ego ad meos iſtos actores ſcribo, ut in rebus omnibus conſilio & auctoritate tua nitantur; tu ut eis auram tui favoris in omni juſta & honeſta re (non enim aliter poſtulo) impendas, meque in tua fide receptum foveas, omni animi ſtudio te deprecor. Vale 3. Novembris 1525.

XXI. *EPISCOPO MIRAPOYS*[1].

REveren. &c. Nihil eram de te meritus, nec meum officium erga Reverendam Paternitatem tuam adhuc ullum conſtabat; cum tu ſingulari quadam humanitate præditus me abſentem, & tibi incognitum in fidem & patrocinium tuum ſuſcepiſti, eamque auctoritatem & gravitatem, qua plurimum polles meis iſtic actoribus ad expeditionem cauſæ meæ benigniſſime obtuliſti: quo ego præſtanti tuo erga me beneficio ita ſum obſtrictus, ut ne ad agendas quidem verbis gratias ſatis digne poſſe me intelli-

1 Mirapicenſis Epiſcopus erat hoc tempore Philippus de Leris de quo Sammarthani: *Epiſcopus ſane generis claritudine æque illuſtris, ac munificentia, qui Eccleſiam ſuam opulentiſſime ditavit argentea & ſerica ſuppellectili; libris officiorum divinorum, fundationibus, aliiſque Epiſcopatum ſuum, ipſamque Abbatiam Graſſæ ædificiis decoravit. Mortuus anno 1537.*

telligam vel merito tuo, vel voluntati meæ ſatisfacere. Præterquam enim quod in meæ Eccleſiæ cauſa,quæ tot jam annos iniquiſſime vexata,me hominem vehementer occupatum, & bonis præterea artibus ac litteris deditum majorem in modum ſolicitat, video mihi prodeſſe plurimum poſſe ad aſſecutionem juſtitiæ optimi & graviſſimi & omni virtute ornatiſſimi Præſulis auctoritatem, ac prudentiam; illud etiam mihi multo eſt jucundius, quod in tua erga me benivolentia maximos mihi fructus jucundiſſimæ amicitiæ video eſſe propoſitos. Atque, ut tu ſola bonitate ad me amandum & favendum adductus es, ſic ego omnes cauſas habeo, quamobrem te non amem ſolum,verum obſervem etiam atque colam. Nam & præclaræ virtutes tuæ,& tanta humanitas erga me,& officium in meis rebus jam adhibitum, onus in me tam magnæ obligationis imponunt, ut ego id perpetuo geſturus ſim, æternamque tibi pro beneficiis gratiam habiturus. Quod ſi quid in me eſt vel auctoritatis, vel induſtriæ; id totum tibi, & commodis tuis, ac tuorum ita polliceor ac defero, ut te velim exiſtimare, nihil tibi paratius quam meam fidem,operam, ſtudium omnibus in rebus eſſe & ſemper fore. Ego, quod jam abs te fieri cœptum eſt, te deprecor atque oro, ut mihi in omni re honeſta opem & patrocinium tuum præbeas, & me,quem jam ſemel in fidem tuam recepiſti, tuis officiis, auxiliiſque ſublevatum ab anfractibus litium & hominum

minum litigioſiſſimorum injuriis adjuves liberari. Quod cum effeceris, viciſſim promitto tibi & ſpondeo, eam rem tibi aliquando honori & voluptati futuram eſſe. Valeat Reverenda Paternitas tua, cui me unice commendo. Vale. III. Novembris 1525. Romæ.

XXII. *EPISCOPO PINO*[1].

EX litteris meorum intellexi, tuam Reverendam Paternitatem commorari Tholoſæ[2], eamque memoriam ſervare noſtræ mutuæ benivolentiæ, quam fides & virtus tua poſtulat: quod mihi accidit gratiſſimum. Recordor enim, cum tu in Urbe eſſes, meum amorem erga te & obſervantiam juſtiſſimis de cauſis fuiſſe ſuſceptam. Quamquam enim vir magnus eſſes, & auctoritate, & nomine, egregieque Legatione regia fungerere, plus tamen multum erat in te, quod propter ſingularem doctrinam & eximiam probitatem amandum eſſet, quam quod propter fortunam. Quo tempore etiam memini, tuam mihi benivolentiam & ſtudium non defuiſſe. Succeſſerunt ea, quæ tu ſcis tempora, quibus, diſtracta conſuetudine noſtra, amor tamen ſervatus eſt. Accidit autem conſilio quodam veluti

1 Joanni du Pin, de quo Voſſius in *Hiſtor. Latin. lib. 3. cap.* 11. Scripſit enim, præter librum de vita Aulica, vitam S. Catharinæ Senenſis, item vitam Philippi Beroaldi Magiſtri ſui. Laudat eum Eraſmus quoque *in Ciceron.* Floruiſſe in Sede Rivenſi a. 1500. ſcribunt Sammarthani. Extant ad eum Sadoleti noſtri litteræ jamdiu vulgatæ lib. IV. 13.

2 Rivenſis civitas *Rieux* ſubeſt Archiepiſcopatui & *Parlamento* Tholoſano.

luti Divino, ut cum ego cauſam Eccleſiæ meæ Carpentoractenſis ſpoliatæ ac vexatæ quorumdam injuria in Galliis agitarem, tuque tunc in Urbe præſens tua illam commendatione non parum adjuviſſes, in eis locis nunc exiſteres, ubi maximo illi poſſis eſſe adjumento. Quod ut facias, te maximopere deprecor, vel juſtitiæ, & veritatis cauſa, cujus tu ſemper fuiſti amantiſſimus, vel amicitiæ etiam noſtræ; ſi te homini non ingrato tuum officium præſtiturum exiſtimas. Equidem, cùm multis aliis de cauſis hac ſolicitudine & cura cupio eſſe expeditus, tùm maxime, ut eis artibus honeſtiſſimis liberiore animo vacare poſſim, in quibus tu ſingulari quadam laude excellis; ego mediocriter verſor. Itaque mandavi actoribus meis, ut tuo conſilio, gratia, ope, patrocinio in rebus omnibus utantur. Quos ſi tua illa ſolita humanitate exceperis, mihique ad fidem tuam confugienti opem eam præſtiteris, quam ego abs te & ſpero & opto; non ſolum egeris id, quod te talem virum maxime decet, ut juſtitiam tueare; ſed mihi libenti æternum vinculum obligationis ad cultum & amorem tui ... quod ego ſum ſingulari ſemper fide & conſtantia conſervaturus. Valeat tua Paternitas Reverenda, cui me unice commendo. Romæ 3. Novemb. 1525.

XXIII.

Digitized by Google

XXIII. *DOMINO DE PIRA*

Quod multorum fama, & teſtimoniis intelligo, te eſſe hominem ſingulari ingenio & doctrina præditum, laudemque prudentiæ & æquitatis eximiam obtinere; id me ad te amandum, obſervandumque compellit: huic enim generi hominum natura ſum amiciſſimus. Accidit autem percommode, ut quem virtutis cauſa omnino amare cogebar, ejus fidei & veritati me & meam Eccleſiam gauderem eſſe commiſſam: quod patrocinium ut ſuſcipias, te vehementer oro, meque tibi deditiſſimum, & tui nominis amantiſſimum tua æquitate adjuves. Nec tamen poſtulo a te in cauſa mea aliud quicquam, niſi juſtitiam & integritatem; hæc enim in te virtus maxime præclara mihi viſa eſt: ſed ad celeritatem expeditionis, ad liberationem & finem mearum ſolicitudinum, ut curam & benivolentiam tuam adjungas; hoc ego a te deprecor; aperiaſque pro tua humanitate, quam audio ſummam eſſe, aditum mihi, hoc maxime expetenti, ad amicitiam tuam, quam ego egregia fide & ſinceritate culturus ſum, atque hujus tui beneficii, ſi dignum me duxeris quem diligas, memoriam perpetuam retenturus. Quibus injuriis & detrimentis ab homine omnium litigioſiſſimo & verſutiſſimo mea Eccleſia affecta fuerit, ex actoribus meis, & ex cauſa ipſa cognoſces: huic ſuccurrere & ſub-

Digitized by Google

& ſubvenire oppreſſæ, tuæ virtutis proprium eſt; in qua ego ſpem maximam locavi: quæ me ne deſerat, Spectabilitatem tuam etiam atque etiam vehementer rogo. Ego ſi quid tua cauſa aut tuorum efficere idoneus ſum, ita tibi meas omnes facultates defero, vel operæ, vel benivolentiæ, vel auctoritatis, ſi qua mihi modo apud hunc optimum Pontificem eſt; ut te velim confidere, non minus me tibi paratum fore, quam te ipſum tibi: quod in omni eventu & occaſione re ipſa cognoſces. Vale, & nos in amorem tuum recipe.

XXIV. *MAGNO CANCELLARIO FRANCIÆ* [1]

ILluſtris & excellens Domine, ſemper obſervande. Pro ea obſervantia, qua Excellentiam tuam ſemper ſingulari proſecutus ſum, aliquantum moleſte tuli

1 Quis iſte fuerit non facile eſt dijudicare. Cancellarii Franciæ ex P. Anſelmo *Hiſt. des Grands Officiers de la Cour.* fuere ſub Ludovico XII.

Jo: de Gannay ad a. 1512.

Stephanus Foncher Sigillorum cuſtos ad a. 1515.

Sub Franciſco I.

Antonius de Prato ab a. 1515. ad a. 1535.

Antonius de Burgo ab a. 1535. ad a. 1538.

Guillemus Poyet ab a. 1538. ad 1542.

Franciſcus de Montelon cuſtos Sigillorum ab a. 1542. ad 1543.

Franciſcus Errault cuſtos Sigillorum ab a. 1543. ad 1544.

Matthæus de Longuejoue qui a. 1538. cuſtos aliquamdiu Sigillorum fuerat, iterum ab a. 1541. ad 1545.

Franciſcus Olivier Cancell. ab. a. 1545. ad 1560. Sub Henrico II. & Carolo IX.

Ex his Guilielmo Poyeto & Antonio de Prato extant jam editæ Sadoleti litteræ *lib.* XIII. 7. 8. 9. 10. *lib.* VI. 4. 5. 6. 7. 8.

tuli, de eis negotiis, quæ in Romana Curia habes nihil ad me delatum fuiſſe:potuiſſem enim,ſi a principio rem ſciſſem, ſi non auctoritate atque ope, at ſtudio, amore, diligentia tibi aliqua ex parte ſatisfacere: quam meam erga te,& tuos omnes voluntatem jampridem tibi exploratam eſſe arbitror. Equidem tibi ego ſemper admodum fui deditus, vel præſtanti virtute tua, vel magnis erga me beneficiis provocatus; neque deſtiti tamen apud ſummum Pontificem inſtare atque urgere ut negotia tua expedirentur: quem inveni (ita Deus mihi ſit propitius) ſtudioſiſſimum ac pene ardentem cupiditate ſatisfaciendi tibi. Sed res parum caute ab initio agitata in eum locum deducta eſt, ut oppoſito juſtitiæ nomine cogatur ipſe Pontifex, pro inſtituto ſuæ juſtiſſimæ mentis ac naturæ ire cunctantior. Datum eſt tamen negotium ſummo & doctiſſimo viro Cardinali Anconitano [1], ut videat,ecquis modus ſit te explicandi;qui in eo nunc totus eſt;neque ego non optime ſpero de exitu. Nam & Pontifex optima in te voluntate eſt, & nos opera non deerimus, ſi modo a tuis adhibebimur, & quæ ad te pertinuerint, in eis opera mea fideli & prompta volent uti. De his omnibus copioſius locutus ſum cum Petro Spina viro prudente,& tuæExcellentiæ ſtudioſiſſimo; cui etiam animum erga te meum, & ſtudium inſerviendi tibi aperui: qui tibi coram omnia

1 Petro de Accoltis, de quo Clacеon. *t. 3. col.* 295. Cardinalis creatus a Julio obiit a. 1532.

omnia melius exponet; ei ego poſtulo haberi a te fidem. Tu quicquid erit, in quo me tibi commodo eſſe poſſe arbitrare, ſi de me tibi omnia promiſeris, non fallam ulla in re opinionem tuam. Vale vir maxime. XIV. Kal. Decembris.

XXV. *LANGEO*[1].

HAbeo litteras datas Pariſiis XVII. Kal. Junias, mihi tardiſſime redditas, propter difficultatem credo itinerum & moras excutientium tabellarios omnes, ne quid litterarum ultro citroque perferatur: quas etſi non habeo compertum, a te eſſe, ideſt ab eo, de quo & per Archidiaconum Avenionenſem, & per Gregorium procuratorem meum ad me ſcriptum eſt, cujus officia in me apud Regem Chriſtianiſſimum maxima extiterunt; tamen ſimilitudo & nominis & facti me inducit, ut arbitrer eumdem eſſe, quando pro Langeo Langiatus ſcriptus eſt. Quod ſi ita eſt, atque idem tu, qui me & cauſam meam tuis humaniſſimis officiis apud Regem ſublevaſti, litteris quoque tuis, ſcriptis amiciſſime animum tuum omnem & amorem oſtendere

(1) Guillielmo Bellaio Langeo, ſuſpicor hanc eſſe ſcriptam epiſtolam, homini antiqua nobilitate prudentiaque inſigni, Martini Hiſtorici, & Joannis Bellaii Archiepiſcopi Pariſienſis & Cardinalis, fratri. Johanni editæ jam extant Sadoleti epiſtolæ; *lib.* VI. 1. 2. 3. *lib.* X. 19. Guillielmo vero ipſi *lib.* IV. XII. 12. cui etiam librum inſcripſit *De liberis recte inſtituendis*: litteræ certe ſunt homini ſcriptæ, qui apud Galliæ Regem plurimum poterat, cui de præſtitis in ſe officiis gratias agit, commendatque illum qui has litteras reddit.

dere mihi voluiſti, ſcito te ita recte in me tuam operam, & beneficium collocaſſe, ut eorum qui te amant & florentem eſſe cupiunt, quorum non mediocris pro tua præſtanti virtute eſſe debet copia, ego tui benivolentia & amore incenſus principem me eſſe profitear: tantum apud me virium habet humanitas & hæc benivoli animi ſignificatio, hòc mihi gratior, quò minus proviſa aut expectata fuit. Ac tibi equidem gratulor, quamplurimas partes amicitiæ conſtituendæ fortunam ad te detuliſſe; quas ego occaſiones ſoleo ceteris rebus omnibus anteferre. Sed quando tu tali virtute, ingenio, probitate præditus es, meo judicio, es digniſſimus, cui omnis præclaræ rei gerendæ facultas deferatur. Eſt præterea in eiſdem tuis litteris ſcriptum, eſſe quod operam meam apud ſummum Pontificem requiras; quod ego, quidnam ſit intelligere non potui, neque vero quiſquam ad me detulit, quo fierem certior, quod ſummo meo cum dolore fero; nihil enim mihi magis eſt in optatis, quam referre tibi gratiam ſi modo ea referri poſſit; quod tuorum erga me magnitudo meritorum excludere videtur. Verumtamen, ſi quid dabitur occaſionis, ut meum in te animum declarare poſſim, non deſiderabitur a te nec voluntas nec induſtria mea. De tuis erga me officiis & ſingulari tua humanitate communicavi cum eo qui tibi has litteras reddidit, cujus apud ſummum Pontificem gratia atque auctoritas maxima omnium eſt; idque ejus merito: nihil enim

illo fidelius, nihil integrius, nihil in omni genere virtutis perfectius; qui quidem te etiam mirifice diligit, & tuam amicitiam familiaritatemque expetit, cui ſi te totum tradideris, hominemque omni laude præſtantem tua illa humanitate incomparabili fueris complexus, nequaquam te pœnitebit optimi & prudentiſſimi viri amicitiam eſſe aſſecutum: penes hunc quidem ſummum omnium & vere optimum Pontificem quicquid ambo valemus gratia,& benivolentia, valemus tibi; quod magis reipſa experimentoque cognoſces.

XXVI. *SANCTISS. AC BEATISS. D. N. PAPÆ* [1].

PAter Sanctiſſime ac Beatiſſime, poſt pedum devota oſcula beatorum. Venit ad has regiones Sanctitatis veſtræ Commiſſarius D. Joannes de Piſcia, homo peritus, & prudens, & mihi jam diu amicitia

(1) Clementi VII. pro Avenionenſi Legato, cum Jo. de Piſcia (de quo *lib.* VII. 8.) Commiſſarius a Pontifice miſſus eò eſſet. Hunc his litteris defendit & laudat. Neſcio, an ille ſit, de quo Florebellus in Vita, de Carpentoractenſibus loquens; *eorum cauſa, ampliſſimi & potentiſſimi viri ſimultatem (qui eo tempore Legatus Avenionem & finitima illi urbi oppida, quæ in fide Romanæ Eccleſiæ ſunt, regebat) homo in injuriis perferendis quæ ipſi fierent incredibili lenitate ac nimia prope patientia, ſuſcipere veritus non eſt. Multas enim Eccleſiæ ſuæ injurias inferri, multa tum a Legato, tum ab ejus Magiſtratibus, ac miniſtris inique decerni atque agi, pro munere ac pro perſona quam ſuſtinebat minime ſibi ferendum exiſtimavit. Ac primo quidem illum ab eis inſtitutis hortando & amice ſæpius monendo deterrere conatus eſt; ſed cum nihil hac ratione proficeret, cumque ejus quamquam abſentis, Romæ magna apud Clementem P. M. eſſet auctoritas, brevi tempore perfecit ut Legatus, ſeſe colligeret, & eos quibus* prae-

tia conjunctus, qui tres commiſſiones attulit; ex quarum una, quæ maximi momenti eſt, & adverſus Officiales jus male adminiſtrantes inſtituta eſt, & in qua Sanctitas veſtra me quoque nominatum eſſe voluit, facile cognovi id, quod mihi maximæ lætitiæ eſt, meam illi fidem, & ſervitutem ſatis eſſe probatam, pro quo ego ſemper eidem Sanctitati veſtræ maximas gratias. Sed quod ad zelum pertinet juſtitiæ (qui ſemper in Sanctitate veſtra fuit ſingularis) & ad illam ſummam integritatem ac prudentiam, qua Sanctitas veſtra & Dei munere, & ſua voluntate, ac virtute in primis eſt prædita; viſum eſt mihi eam de toto ſtatu hujus ſuæ provinciæ per litteras facere certiorem, ut re plene cognita poſſit ipſa deinceps iis, qui querelas ad ſanctam Sedem deferent, ea reddere reſponſa, quæ ipſius ſummæ dignitati, & ſapientiæ erunt convenientia. Ac primùm Pater Sanctiſſime, non poſſum hoc affirmare, nullos unquam errores ab Officialibus his committi, cum ut Sanctitas veſtra optime ſcit, in magna copia eorum, qui juri reddendo præfecti ſunt, aliqui, interdum quidem etiam malitia, ſed ſæpius negligentia, aut etiam ignorantia poſſint peccare. Sed quod ad Reverendiſſimum D. Lega-

 tum

praerat populos, magna in poſterum æquitate & diligentia regeret. Qua in re Sadoleti officium ac pietatem potius adeo is aliquanto poſt amavit, ut non modo cum eo in gratiam redierit, ſed ex eo tempore illum & vereri maxime, & patrem etiam appellare ſolitus fuerit. Jo. de Piſcia mentio habetur *ep. ad Binum inter Italicas edit. Veron.* 111. eam vide. Nam eodem anno ſcripta eſt, atque iiſdem fere de rebus agit.

tum, pertinet (ego enim Pater Sancte, dabo fidele, veritati teſtimonium, neque hominibus odio, aut amore ero affectus, ſed res ipſa, & facta cujuſque, cujuſmodi ipſa fuerint, integro animo ſinceraque fide, aut laudabo aut reprehendam) quod igitur ad D. Legatum pertinet, ſciat, & teneat Sanctitas veſtra, nihil illo fieri poſſe ad gubernandum populos ſibi creditos, aut juſtius hoc tempore, aut providentius. Et quoniam laus a verbis communibus ducta parum videtur habere ſoliditatis, narrabo ipſa facta, ut Sanctitas veſtra intelligat, utrum habeamus, necne, omnes qui in his locis degimus juſtam, & agendi gratias Deo, & gloriæ veſtræ Sanctitatis, ac honori ſanctæ iſtius Sedis gratulandi rationem. Primùm annus eſt, & eo plus, quod nos qui de Comitatu ſumus, cum aliquot capita juris viderentur nobis ab Officialibus adminiſtrari aliquanto ſecus, quam ſtatuta Patriæ, & noſtra utilitas ferret, adivimus D. Legatum, & ad eum cauſam totam, poſtulationeſque noſtras detulimus: qui convocato Conſilio, rebuſque coram (nam, & ego adſui præſens) examinatis, ac diſcuſſis, nihil nobis denegavit eorum, quæ honeſte, & juridice petebantur: atque id ita prompto, & liberali animo fecit, ut in quibus ratio etiam juris non ita erat certa ac liquida, maluerit tamen pro ſua benignitate noſtræ voluntati morem gerere, quam aliquid ſuæ poteſtati reſervare. Itaque earum poſtulationum, & conceſſionum decem circiter,

aut

aut duodecim capitula confecimus, quæ univerſæ Patriæ gratiſſima, opportuniſſimaque ſunt, & nobis ſumma cum fide obſervantur. Secuta eſt peſtilentia paulo poſt, quæ nos omnes in varia loca disjecit: annus deinde, & a principio ſterilis, & extremis tribus menſibus, omnibus his veſtræ Sanctitatis populis ferme perniciosus;quo tempore,aſperrima fame incrudeſcente, hominibus tanquam feris per agros, & nemora victum ſibi ex ramis herbiſque quærentibus, cum D. Legatus ab urbe Avenione abeſſet, facileque poſſet, ſi vellet, cauſam probabilem ſuæ abſentiæ reddere, nihil ejuſmodi fuit, ſed venit ultro in civitatem, & ſemetipſum obtulit: multiſque laboribus atque omni diligentia, miſſis circumquaque hominibus, & proſpexit quantum fieri potuit publicæ indigentiæ, & privatim ipſe, magnifico, & memorabili opere, pauperum turbam, & numerum ingentem, ferme ad duo hominum millia, duorum menſium ſpatio amplius, privatim aluit, pane ſingulis, & pulte quotidiana præbita: cujus præclari facti exemplum, atque imitatio ita animavit, inceditque ceteros, ut plurimi, qui domeſticis copiis inſtructiores erant, domum ſuam indigentibus aperuerint, nec unquam, ut ego arbitror, ulla in gente tantum miſericordiæ, & charitatis, fuerit aut expectatum, aut viſum, quantum in populis veſtræ Sanctitatis reipſa, & opere fuit expertum, & cognitum: quæ res, quantum ad decorandum, &

celebrandum S. Sedis Apoſtolicæ nomen inter has gentes valuerit, Sanctitas veſtra optime poteſt exiſtimare. Conſtat quidem certe, niſi hæc Domini Legati virtus, & magnificentia lumen ſalutis pauperibus oſtendere cœpiſſet, multique exemplum pietatis ſecuti fuiſſent, non pauca hominum millia fame interitura fuiſſe. Tranſiit iſta nox famis, & tenebrarum; & cum ubertatem frugum, non ſolum terra monſtrare, ſed effundere etiam cœpiſſet; ipſaque ſpe propinquæ ſaturitatis facile homines per ſe ſuæ ſaluti ſubvenire inciperent, Dominus Legatus interea, accerſito homine doctiſſimo, & Religioſo peritiſſimo, qui natione Italus, patria Vicentinus regulam Fratrum Prædicantium profitetur, rem novam, & inauditam in his regionibus, maximeque ſanctam, & ſalutarem inſtituit, ut beati Apoſtoli Pauli epiſtolæ publice legantur. Nam hæ gentes, Pater Sanctiſſime, ſua quidem ſponte, & chriſtianiſſimæ, & devotiſſimæ ſunt; ſed præter fidem illam ſimplicem, & illa prima Religionis rudimenta, nihil unquam, neque legerunt, neque audiverunt, quod ad altiora fidei Chriſtianæ myſteria intelligenda pertineat; una eſt illis litterarum cognitio in jure, & canonibus, in quo genere doctrinæ, multi ſane verſantur; ceteras quidem artes, & diſciplinas liberales, & præſertim eas, quæ ad cognitionem Dei, & ſui unicuique ſunt neceſſariæ, nemo ferme in his terris cognoſcit. Quod videns D. Legatus & bonitate quadam, ac

ac ut cæleſtis ſcientiæ ſemina in his populis ſereret, providentia erga ſuos adductus, hominem illum conduxit, non publico civitatis, ſed ſuo privato ſumptu atque impendio, qui ſanctiſſimi, & ſapientiſſimi, Deoque dilectiſſimi Apoſtoli myſteria fidei, ac præcepta hominibus aperiret. Itaque tanta eſt ex hac lectione, facta Avenionenſibus animorum concitatio, ut concurſus ad audiendum magni fiant; ſperandumque ſit, Deo ſanctum opus dirigente, maximas ex hoc utilitates, & quidem cæleſtes potius, quam terrenas in his populis eſſe proventuras. Mitto nunc Monaſteriorum reformationes, in quibus feminæ Deo ſacræ verſantur, quæ cum nomen quidem Religionis haberent, parum autem proſpera eſſent pudicitiæ ſama, ipſius D. Legati cura, & attentiſſima diligentia, reſtrictæ, & correctæ ſunt: mitto particulares aliquas Curiarum, & Tribunalium emendationes. Ad maximum enim & pulcherrimum D. Legati factum feſtinat animus; qui, jam menſes aliquot ſunt, cum videns judicia, & juriſdictionem in populis hujus Provinciæ, longo abuſu, & malitia multorum, depravata non minimum, & corrupta eſſe; liteſque perpetuas, fugas, & fraudes cavillantium eſſe infinitas, adjecit animum ad univerſalem totius juſtitiæ correctionem, vocatiſque peritis, & conſilio cum illis communicato, plurima decreta, ſtatutaque confecit; quæ licet nondum plane perfecta ſint, ad finem

tamen, & exitum ſunt propinqua: quæ ſi in uſum venient, & in jure dicendo obſervabuntur; credat mihi hoc affirmanti Sanctitas veſtra, maximas a populis ſuis incommoditates, & conſumptiones bonorum ac fortunarum, & privatim, & publicę fore amotas. Hæc ego cernens, gaudebam animo, & triumphabam lætitia, ſperans propediem me viſurum lumen Domini in his terris, & ut ſanctæ Sedis Apoſtolicæ nomen in antiquam dignitatem, auctoritatemque reſtitueretur: quod eò etiam mihi erat jucundius, quod Sanctitate veſtra Sedem iſtam ſanctam obtinente, videbam hujus rei gloriam ad ipſius præcipue laudem & decus redundaturam eſſe, cui ego toto corde & animo ſum affectus. Sed interim, Pater Sancte, quod cum dolore aliquo loquor, hæc intervenit nova commiſſio, quæ aliquantum de honore, & fama D. Legati detrahens, apta ſit animum ipſius potius retardare ab his actionibus præclaris, quam intendere: nec dubito, quin illa ab optimo animo, & ſapiente conſilio Sanctitatis veſtræ profecta ſit: novi enim ejus pietatem, prudentiam, religionem, atque in primis zelum juſtitiæ, quo prædita eſt. Sed accidit, ut puto, maligni hoſtis conſilio, qui ſemper ad diſturbandas pias actiones paratus eſt, ut aliquorum apud Sedem Apoſtolicam querelæ hoc tempore plus valuerint, quam fortaſſe valere debebant. Quamquam qui ſint iſti, & quam querendi cauſam habeant, poſtquam ita placuit Sanctitati ve-

veſtræ; ego cum Commiſſario ſimul cognoſcam. In ceteris vero, ut inquiramus contra Officiales, & ſalvos conductus præbeamus; hoc putarem ita novo Brevi eſſe moderandum, ut ſi quid ſit, quod reprehendendum, & corrigendum eſſe videatur, de eo nos non judicemus, nec ſalvos conductus præbeamus, ſed ad D. Legatum deferamus: qui non ſum dubius, ſiqua conſtabunt Officialium errata, quod emendabit illa & corriget. Atque ad has fortaſſe nondum intellectas Sanctitati veſtræ D. Legati actiones, egregiæ ipſius voluntatis, & optimi animi teſtes, cum accedat ejus potentia, nomen, auctoritas, quæ in his nationibus permagna eſt, & maximis opibus, clientelis, cognationibuſque munita, ſi licitum mihi eſt infimæ Sanctitatis veſtræ creaturæ loqui coram ea libere quod ſentio, auderem rogare eam, quam etiam rogo atque omnibus precibus obteſtor, ut mutata ratione ſcribendi, ipſi D. Legato de his rebus, & factis potius gratuletur; eumque in hac præclara voluntate confirmet; commendet, & approbet quæ geſta ſunt; ad cetera quæ ſuperſunt gerenda adhortetur. Hoc enim Sanctitas veſtra ſi efficiet, maximum certe bonum ſuis fideliſſimis populis procurabit; & inſigne, atque eximium ſuæ ſapientiæ, juſtitiæque lumen his gentibus oſtendet. Altera commiſſio eſt de feudis, & juribus Cameræ, ſi qua uſurpata ſint, recuperandis; quæ cum juſta & honeſta ſit, caute tamen & prudenter eſt tractanda: de qua re tota

cum

cum ipſo Commiſſario locutus ſum. Tertia contra Lutheranos, & alios Hæreticos intenta eſt; quam ſanctiſſimam eſſe nemo poteſt negare. Sed tamen Pater Sancte, in hac Eccleſiaſtica provincia, Lutherani ſeminis nulla ſuſpicio eſt, & Hæreticorum nomen incognitum. Eſt quædam natio, quæ in hanc ſuſpicionem apud aures veſtræ Sanctitatis adducta forte eſt: non enim ignoro ſenſus, & voluntates horum hominum, ac quorundam inter ſe æmulationes. Nam per hæc calamitoſa omnibus fere locis tempora, multi multis ex locis mercatores Avenione ſe receperunt, factaque eſt ob hanc cauſam hæc civitas opulentior; quod omnes ita exiſtimabant, ſi in hanc urbem ſe contuliſſent, portum in ea pacis, & tranquillitatis ſe reperturos: quibus ſi iſti nunc terrores, & formidines oſtendantur; video Pater Sancte, cum parvo iſtius S. Sedis, aut nullo potius commodo, magnam commutationem rerum futuram eſſe, ut demigrent in alia loca qui hic ſedes conſtitutas habebant; quorum tamen ſpecies, & forma tanquam bonorum virorum eſt, nec unquam de illorum impietate ulla extitit ſuſpicio. Itaque ego fretus veſtræ Sanctitatis juſtitia, dixi Commiſſario, ut, ſi quid per teſtes probatos intelligeret, ſeveriſſime exequeretur; ab ignominia autem & dedecore ne inciperet; cum hujus peccati infamia gravibus viris ipſa morte ſit durior, nec illis aures, qui odio ſimultateque feruntur, præbendas eſſe duceret: quos ego novi, Pater

San-

Sancte, qui ſint, & quemadmodum ſeſe habeat res tota, optime intelligo. Sed quod magis pertinet ad honorem Sedis Apoſtolicæ, & non mediocrem etiam utilitatem, aperta eſt via ipſi Commiſſario, ab ipſo etiam Reverendiſſimo D. Legato, per quam cum ſumma juſtitia, & æquitate, commodis Cameræ poterit conſuli; de quo Commiſſarius eamdem Sanctitatem veſtram plenius eſt informaturus. Ego Sanctitatem veſtram humiliter deprecor, ut hæc omnia quæ ſcripſi in optimam partem accipiat, atque ita reputet, me fideliſſimo animo, & ſumma cum fide omnia ſcripſiſſe: non quin poſſim judicio falli;ſed certe, quod mihi ipſi perſuaſum eſt, rectum & æquum eſſe, id Sanctitati veſtræ ſtatui eſſe per me exponendum;quæ ſolita ſua cum ſapientia omnia & gubernabit, & diriget: quam Dominus Deus noſter omni felicitate, & gratia augere ſemper dignetur, & cujus ſanctiſſimis pedibus me commendatum eſſe & cupio, & rogo. Carpentoracti XXVIII. Julii MDXXXI.

S.V. Humillim. ſervus Jacobus Sadoletus.

XXVII. *SS. AC CLEMENTISS. D. N. PAPÆ* [1].

PAter Sanctiſſime ac Beatiſſime, poſt pedum devota oſcula beatorum. Cum Gaſpar de Brancatiis,præſentium lator Romam accederet,petiit a me,ut eum Sanctitati veſtræ litteris meis commendarem; quod ego libenter feci, non tam meis litteris,

[1] Commendatitia pro Gaſpare de Brancatiis.

teris, quam Sanctitatis veſtræ benignitate, & clementia fretus. Cum autem ſit juvenis optima indole, ac egregiis moribus præditus, tum autem ex nobili familia & genere, cujus pater Dominus de Cæſariſta, inter primos hujus provinciæ, exiſtimatione, & fortunis ornatus eſt, mihique amiciſſimus, commendo hunc juvenem Sanctitati veſtræ, ut in eis rebus quas poſtulabit, quæ cum honeſtate, & juſtitia, & cum veſtræ Sanctitatis dignitate conjunctæ fuerint, velit ei ſuam humanitatem, gratiam, benignitatem, libenter impertire, in quo, & ſuæ optimæ clementiſſimæque naturæ rem conſentaneam faciet, & mihi valde gratam: qui Deum continue rogo, ut veſtræ Sanctitati omnia proſpera feliciaque concedat; cujus ſanctiſſimis pedibus me humillime commendo. Carpentoracti VIII. Octobris MDXXXI.

Devotiſſimus ſervus Jacobus Sadoletus.

XXVIII. *Reverendiſs. in Chriſto Patri, & D. Domino, & Patri mihi obſervandiſſimo, Domino* *EPISCOPO CONCHÆ*[1].

REverendiſſime in Chriſto Pater, & Domine mihi ſemper obſervande, poſt commendationem

(1) Commendatitiæ pro Jo. Franciſco Bino. De hoc Bembo ſcribit *lib.* 1. *ep.* 3. 8. eidem vero & Cardinali Trivultio ep. Italico ſermone conſcriptæ *inter epiſt.* XII. *virorum Illuſtrium pag.* 86. & 89. *edit. Venet.* 1582. *Edit. Veronenſ. oper Sadoleti tom.* 2. *pag.* 120. & 223. *Lib.* V. *epiſt.* 18. *in*

nem debitam. His menſibus præteritis cum tranſiſſet prope hanc civitatem CarpentoractenſemDominus Alonſus conſanguineus, & Nuncius R. P. Veſtræ, & propter metum peſtis convenire me non potuiſſet, dedit ad me litteras, & ſuas, & V. R. D. quibus ſignificabantur mihi moleſtiæ, quas ipſa in Urbe ſuſtinebat; quæ mihi magnum dolorem attulerunt, propter ſingularem obſervantiam, & amorem, quo proſequor Reverendiſs. D. V. & quia ipſius ſummas virtutes cognoſcens certus ſum, illa omnia ab iniquis animis procedere. Scripſi igitur efficaciſſime ad aliquot ſummos viros, habentes potentiam & auctoritatem, & mihi amiciſſimos, atque etiam ad ipſum ſummum Pontificem, dans illuſtre teſtimonium de D. V., & multis precibus utens, ut has calumnias tanquam veram integritatem maculantes vellet coercere. Quæ litteræ, cum ad manus dicti D. Alonſi pervenerint, adhuc ab eo, ut intellexi, non ſunt redditæ, neque ille illis uſus eſt; quod ſi fecit, quia non fuit neceſſe, multum gaudeo, rem & honorem V. Rev. D. in tuto eſſe; ſi autem non reddidit, quia parum utiles fore exiſtimavit, ego e contrario puto nihil fuiſſe nocituras: ſed dummodo

in utraque enitentem lingua appellat. De eodem & Bembus *lib.* 3. *epiſt.* 24. &c. Fuit ille *Florentinus* (etſi eum in Scriptoribus Florentinis prætcrierit Poccjantus) ut in ejus epitaphio dicitur apud Schrederum *p.* 150. *civis Romanus*, *Baſilicæ Sanctæ Mariæ Majoris Canonicus*, *ſummorum trium Pontificum* Julii III. *Marcelli* II. *Pauli* IIII. *ac Sacri Senatus Scriba*. Quare in epiſtolis Italicis Sadoleti, quarum quinque ad eum ſpectant, prima inſcribitur *A M. Gio: Franceſco Bini Secret. di N. S.* V. epiſtolam Trivultio ſcriptam.

modo V. R. D. ſciat, me, quicquid ſum & quantulum valeo, totum eſſe ipſius voluntati, & commodo ſemper addictum; de reliquo, opera mea utatur quantum ei placuerit; ego enim promitto, me neque amore, neque ſtudio animi, neque diligentia unquam illi defuturum; nec unquam ex meo animo excidet memoria illius paternæ benivolentiæ, quam ipſa mihi, dum fuit Romæ, oſtendit. Ceterum, eſt quod rogem D. veſtram, & pro amico meo, & pro juſtitia. Aliàs enim cum vacaſſet beneficium De la Fuente Petro Naharro, & id mihi in Curia Romana fuiſſet delatum, dedi illud Domino Joanni Franciſco Bino doctiſſimo, & probatiſſimo homini, qui me tunc in illo Secretariatus officio plurimum adjuvabat; illeque id poſtea reſignavit in favorem cujuſdam Hiſpani, viri optimi, & Sacerdotis, reſervato ſibi regreſſu, & penſione, quarum reſervationum litteræ extant Apoſtolicæ. Poſt vero, illo cui reſignatum fuerat mortuo, convenit iterum cum alio, juſque ſuum illi tradidit, qui quominus poſſeſſionem conſequatur, allegat ſe a quodam impediri, cui per V. Rev. D. illud Beneficium fuit collatum. Quod ſi ita eſt, precor Rev. D. V. ut meo intuitu, qui pro homine in omni virtute egregio, & quem ego fraterno amore diligo, multum laborem, velit ipſa efficere, ut tam ipſe meus Jo. Franciſcus Binus, quam ille, cui per eum id Beneficium denuo reſignatum eſt, ſuis juſtis, & debitis commodis, fructibuſque utantur, nullumque

illis

illis impedimentum a quopiam inferatur. Nam, præterquamquod hoc æquum eſt, & convenit præſertim P. V. Rev. quæ & doctiſſima eſt & prudentiſſima, ut ſuum cuique reddatur, legeſque, & jura, quibus utitur Chriſtianitas, & quibus vivimus, conſerventur; tum vero propter amorem mei, qui hoc enixe, & inſtanter poſtulo, & propter ipſius Domini Bini magnas virtutes, cujus ſimilibus hominibus V. Rev. D. ſemper fautrix fuit. Spero, illam hoc etiam benigne, libenter, prompteque facturam;in quo me ſibi quamvis obligatiſſimum, ſemper tamen magis obligabit. Quod ſi dubium aliquid ſit, ego ad ipſum D. Binum ſcribo, ut V. Rev. P. de omnibus per literas ſuas doceat: quem, & ipſum, & cauſam ejus totam, ut ipſam in protectionem ſuam accipiat,magnopere oro; atque eum, ſi videbitur, V. Rev. D. in ſuis rebus,& negociis adhibeat: eſt enim familiaris ſummo Pontifici, & valde ei charus ac dilectus. Ego hic in ſtudiis, & litteris aſſiduus ſum, recteque per Dei gratiam valeo, & V. R. P. ſemper optime valere, & felicem eſſe opto, me cum omni amore; & reverentia plurimum illi commendans. Carpentoracti XXVIII. Decembris MDXXXI.

Obedientiſſimus filius & humili ſcliens
Ja. Sadoletus Epiſc. Carpent.

XXIX.

XXIX. *SS. AC BEATISS. D. N. PAPÆ*[1].

PAter Sanctiſſime ac Beatiſſime, poſt pedum devota oſcula beatorum. Annus agitur quintus decimus, ex quo in civitate veſtræ Sanctitatis hac Avenionenſi Jus civile profitetur optimus profecto doctiſſimuſque vir Joannes Franciſcus Ripa, de quo ego veſtræ Sanctitati hoc teſtimonium præbere poſſum, nullum a me de his, de quibus aliquid judicare potuerim, aut præſtantiore ingenio, aut illuſtriore fama fuiſſe cognitum; nec ſolum doctrinæ, & eruditionis, ſed virtutis etiam eximiæque integritatis. Illud equidem ipſis oculis cerno, quod ceteri quoque omnes; præcipuum eſſe in eo ac pene ſolum ornamentum provinciæ Eccleſiaſticæ huic, civitatique Avenionenſi, quam alteram Romam nationes circumjectæ appellant; quod etiam in decus, & laudem Sedis Apoſtolicæ, & Sanctitatis veſtræ redundare cognoſcitur: magni enim concurſus ex tota Gallia quotidie fiunt, hujus hominis conſilium, & ſententiam de maximis ſuis rebus ſciſcitantium; noſque omnes incolæ Eccleſiaſtici, illius prudentia, & æquitate in dubiis rebus noſtris

1 Pro Jo Franciſco Ripa, qui Avenione Jus Civile profitebatur, ut in eadem ille urbe retineatur, etſi optimis conditionibus evocetur Mediolanum, pœnis etiam, ni pareat, intentatis. Scribit Ripæ Sadoletus *ep.* 8. *lib.* v. ubi *omnibus bonis in litteris artibuſque excellere* eum hominem affirmat; & de voluminibus XL. editis, XX. Interpretationum, totidemque Reſponſorum. Epiſtola vero *lib.* II. I. *ſummum omnium & maximum Juriſconſultum* vocat.

ſtris præcipue nitimur. Quæ cum ita ſint, Pater Sancte, cum iſte nobiſcum vivat, ſortuniſque apud nos, & liberis pluribus comparatis, multas, & honorificas conditiones, quæ ſibi offerebantur, aliàs fuerit aſpernatus, nullo modo intendens ab umbra & patrocinio Sanctitatis veſtræ ſe dimovere; intelleximus nunc magno noſtro cum dolore Illuſtriſs. Ducem Mediolani vocare eum ad Gymnaſium Papienſe; & niſi pareat pœnam illi publicationis bonorum, quæ poſſidet in Mediolanenſi Ducatu, ex quo eſt oriundus, proponere. Quod ſi accidat, Pater Sancte, nos maximum certe detrimentum, Sedes autem Apoſtolica non exiguum damnum ſui ſplendoris, & nominis inter has nationes factura eſt. Nec vero æquum nobis videtur, cum hic tantus vir ſub duorum Principum dominio conſtitutus, in amborum ſtatu bona, & fortunas obtineat, ut a minore Principe ei imperetur, quò is majorem debeat poſthabere, & relinquere. Hoc enim eſt inferiori Principi, non ſuo jure uti, ſed alterius jus, quod, & gravius ſit, & verius, velle pervertere. Atque etiam illud & expectant, & intelligunt omnes, Sanctitatem veſtram non minus fortem, & conſtantem in retinendo tali ornamento, & præſidio fidelium populorum ſuorum eſſe debere, quam alios in eo evocando, & eripiendo. Quæ cum ſe ſic habeant, Pater Sancte; cum magna populis his ex hoc homine utilitas, magnum Eccleſiaſtico ſtatui proveniat decus; noſque ſi hoc lumine privemur,

Digitized by Google

mur, in tenebris deinde videamur quodammodo futuri; rogo ac deprecor Sanctitatem veſtram, ut ſuſcipere curam ſua magnitudine, & ſapientia digniſſimam hanc velit, quò nobis, & ſuæ, ac Sedis Apoſtolicæ laudi conſervetur hic vir, ſine quo Avenio, hoc quidem in tempore, luce omni orba, & litterarum, & jurium, & quotidianæ ad eam venientium celebritatis eſſet remanſura. Quod cùm & honoris Sanctitatis veſtræ, & ipſius ſubditorum commodi cauſa poſtulo, tùm vero illa mihi ſummum in hoc quoque beneficium privatim conceſſura eſt, qui huic homini conjunctiſſima amicitia ſum aſtrictus, diligoque eum amore quodam ſingulari; ur ſi ille mihi eripiatur, dimidium pene mei mihi videar amiſſurus; a quo mœrore animi me, & totam ſimul Patriam hanc Sanctitas veſtra, ut liberare dignetur, omnes illam ſupplices oramus, & obſecramur. De hac eadem re ad D. Bloſium Secretarium ſcripſi, qui exponat Sanctitati veſtræ deſiderium noſtrum, & quod fieri ab ea pro nobis cupimus, requirat: cui illa, & fidem, & benignitatem ſuam exhibebit. Dominus Deus Sanctitatem veſtram omni ſua gratia. & proſperitate tueatur ſemper, & conſervet; cujus me pedibus ſanctiſſimis humillime commendo. Carpenctoracti XI. Martii MDXXXIII.

S. V. infima creatura Ja. Sadol.

XXX. *Al Rev. Monſig. Bloſio Palladio Segr. di N. S.* *FRATELLO AMATISSIMO*[1].

OMnibus in rebus, quæ mihi præcipue cordi ſunt, confugio ſemper ad operam, & ad benivolentiam erga me tuam, quam nullo mihi loco defuiſſe expertus ſum; quòque minor talium amicorum copia eſt, qui erga abſentes amicitiæ fidem tueantur, hòc ego te merito magis amo, videorque mihi ex eo plurimum tibi debere, ſperoque tempus fore, ut tu quoque talibus tuis officiis, & iſta animi virtute vehementer ex me gaudeas: non enim aliquam tibi aliquando gratiam non relaturus ſum. Sed ut veniam ad id quod volo; ſcito, mi Bloſi humaniſſime, ſi ulla in re unquam benivolentiam mihi tuam præſtitiſti, eam nunc maxime me in hac re exquirere, quæ, ſicut ego jam ſemper ſoleo, ad officium meum, non ad compendium aliquod pertineat. Habemus in civitate Avenionenſi ſummum quendam virum Joannem Franciſcum Ripam Juriſconſultum inter primos nobilem, cujus no-

1 Ejuſdem argumenti epiſtola hæc ac ſuperior. Bloſio litteræ in editis extant *lib.* VIII. 11. Bloſii vero ipſius extant verſus in Coricianis multi, & in Suburbanum Chiſianum. Inter *uberes & ſuaves poetas* recenſetur a Sadoleto *lib.* V. *ep.* 18. Factus eſt a Paulo III. Epiſcopus Fulginas, eoque Epiſcopatu abdicato Romæ vixit, ubi a. 1558. deceſſit, ſepultusq. eſt in æde S. M. de Aquiro poſito hoc titulo. *D. O. M. Bloſio Palladio Sabino, Præſuli Fulginat. Clementis* VII. *Pauli* III. *Julii* III. *Pontif. a ſecretis, viro in omni vita probatiſſimo, Incurabilium Orphanorumque ſocii heredes poſuere* 1559.

nomine, integritate, doctrina, tota hæc Provincia & Sedis Apoſtolicæ dignitas in his gentibus ex imie honeſtatur. Eum ego præterea quoque incredibiliter diligo: ſumma enim eſt in homine comitas, ſummum ingenium, tum animus plane nobis deditus; noſque illius conſilio, virtute, opera plurimum utimur, neque nos tamen plus, quam reliqui omnes; quum maximi quotidie ex omni Gallia concurſus fiant eorum, qui ad iſtius prudentiam, & conſilium de ſuis maximis rebus referant: habet ipſe in eadem civitate uxorem, familiam, fortunas, liberos, majoribuſque ſæpe præmiis ſolicitatus, ut in alias regiones ſe conferret, nunquam voluit a ſummi Pontificis umbra patrocinioque divertere. Hunc nunc Dux Mediolani Papiam revocat, & niſi pareat, publicationem bonorum minitatur, quæ iſti non pauca ſunt in Ciſalpina Gallia, ex qua eſt oriundus. Quod ſi accidat, ut iſte a nobis auferatur, non ſolum damnum, & dedecus, ſed dolorem etiam magnum ſumus accepturi: hoc civitas ipſa Avenio, hoc provincia tota, hoc nos iniquo animo ferimus. Itaque præter alios ego quoque privatim ad ſummum Pontificem ſcribo; quarum litterarum exemplum ad te juſſi perferri: petimus autem hoc remedii, ut maximus Pontifex vehementer agat cum Duce per litteras, & Nuncios (ſi Nuncium tamen apud eum ullum habet), ut hic ab hac præceptione velit deſiſtere, Sedique Apoſtolicæ non minus, quam Duci ipſi ſubjectum, ma-

majori, & potiori Domino ſuo deſervire permittat. Etenim habet iſte, ut dixi ſub Pontificis imperio domicilium, & fortunas, quodque pluris eſt, habet voluntatem, in Apoſtolicæ Sedis gremio ſemper requieſcendi; tum autem etiam ad Legatum hujus Provinciæ, & ad civitatem Avenionenſem literas Pontifex mittat, quibus ſevere jubeat, atque imperet, ne hunc ullo modo patiantur diſcedere. Hæc te mi Bloſii, ut renuncies Pontifici, agaſque cum eo, ut quemadmodum volumus, fiat, in primis oro rogoque: ut vero litteræ graviter, expreſſe, ſignificanterque fiant, tuo nobis ingenio, tua diligentia, tuo labore fuerit opus; quem ut mea gratia levem tibi, ut jucundum eſſe arbitrere, magnopere a te peto: nihil mihi omnino potes facere gratius; inter plurima tua erga me officia, hoc mihi optatiſſimum futurum; qui vehementiſſime laboro, ut mihi vir amiciſſimus, ſuum his populis ſolatium atque lumen, Sedis Apoſtolicæ eximium decus, ne auferatur. Vale mi Bloſi, noſque, quod facis, dilige, & Antonio Cornazano meo, qui tecum de hac eadem re loquetur humanitatem, & ſtudium tuum accomoda. Iterum vale. Carpentoracti v. Idus Martii MDXXXIII.

Tuus frater amiciſſimus Ja. Sadol.

 XXXI.

SANCTISS. AC BEATISS. D. N. PAPÆ [1].

PAter Sanctiſſime ac Beatiſſime, poſt pedum devota oſcula beatorum. Non ſine magna cura, & ſolicitudine animi ad Sanctitatem veſtram ſcribo de his, quæ hic paſſim feruntur, & prædicantur, quæ ad ſummam exiſtimationem Sanctitatis veſtræ videntur mihi pertinere. Increbuit enim ſermo, atque opinio, omnium fere hominum vocibus divulgata, hanc provinciam, in qua maximum profecto Sedi Apoſtolicæ apud exteras nationes ornamentum conſtitutum eſt, ad alienas manus, aliudque imperium tranſlatum iri, propeque diem adeſſe, quo commutatio novi ſtatus facienda ſit: in qua fama opinioneque communi, utinam poſſem Sanctitati veſtræ oſtendere, quam incredibiliter homines doleant, quam alii ægritudine animi, alii ira, indignationeque ferantur, quamque multa dicant, & proferant, quæ perturbatis magis hominibus, quam prudentibus, & moderatis ſint conſentanea. Ego vero, cui iſta & dolorem afferunt, & moleſtiam non mediocrem, quique pro meo ſummo amore in Sanctitatem veſtram ægerrime ferre cogor, recentem gratulationem adventus ſui quæ maximam illi laudem attulit, hac contraria hominum quaſi recantione corrumpi, ſuſtineo equidem

1 De rumore qui percrebuerat, Avenionem, oppidaque illi conjuncta, Romani Pontificis voluntate, ad alienas manus perventum iri.

dem partes, quoad poſſum, meoque ſolito & perpetuo more tueor honorem, & laudem Sanctitatis veſtræ; ſed ſtudio, & ſedulitati meæ vehementer rumor iſte adverſatur, quem tamen confido eſſe falſum; palamque ita omnibus dico, nullo mihi modo perſuaderi poſſe, quod ab optimo, & prudentiſſimo Pontifice tantum, & tam inveteratum Sedis Apoſtolicæ decus abiiciatur; præſertim cum nullum in hoc Chriſtianæ Reipublicæ commodum, nulla præclara dignitas, neque laus, nullum ſapientis hominis conſilium appareat, a quo genere rerum & actionum ſolita ſit Sanctitas veſtra abhorrere: tum autem cum certum ſit, eos, qui in imperio, & ditione Sedis Apoſtolicæ nati ſint, & vixerint, eamque, ut matrem optimam, ac benigniſſimam ſummo amore ſemper, ſumma obſervantia, & fide proſecuti ſint, hanc rem gravius morte eſſe laturos; quibus vero hoc veluti munus, & beneficium paretur, ut utilitatem ſuam non contemnant, animum tamen, & conſilium donandi parum eſſe probaturos; fit mihi prorſus incredibile, talem ſententiam,& voluntatem in tantum, & tam prudentem Pontificem,ſtudioſiſſimum ſemper virtutis, & laudis incidere potuiſſe. Itaque, ut dixi, contrariam opinionem tueor, proque nomine & fama veſtræ Sanctitatis fortiter propugno; idemque mecum facit vir omni virtute,& laude cumulatiſſimus Paulus Capiſuccius Neocaſtrenſis, dignus ea auctoritate,quam apud veſtram Sanctitatem

obtinet, & in defendendo honore Eccleſiaſtico homo acer atque conſtans, cujus ego prudentiam, & doctrinam, & ſingularem æquitatem, integritatemque in maximo honore habeo: ſed tamen utrumque noſtrum iſte hominum metus, & ſuſpenſio cunctorum animi, rumorque parum Apoſtolico nomini decorus non mediocri dolore afficit. Quod ſi Sanctitas veſtra non alienum ſua dignitate arbitrabitur, nos ambos de hac re, cujuſmodi ſit, certiores facere; erit utile profecto & ad decus Apoſtolicæ Sedis, & ad conſolandos horum populorum animos, ut non rationibus ſolum, & argumentis, quæ innumerabilia, & manifeſta ſunt, verum etiam veſtræ Sanctitatis teſtimonio, quod unum erit plurimi, hæc falſa, & indigna ipſius nomine opinio penitus tollatur. Quod ut facere Sanctitas veſtra dignetur, ego eam vehementer oro atque rogo. De rebus reliquis ſcripſi ſuperioribus diebus ad Sanctitatem veſtram, librumque miſi; quas meas literas ad eam puto perlatas. Itaque repetere eadem, ſupervacaneum eſſe duco. Me quidem amantiſſimum, deditiſſimum, obſervantiſſimum nominis, honoris, laudiſque veſtræ Sanctitatis, ipſius benignitati, & clementiæ ſummæ commendo; cujus Deus, & vitam & virtutem quotidie magis, & ſecundet, & augeat. Ex Oppido Bauceto VI. Id. April. MDXXXIV.

Sanctitatis veſtræ infima creatura
Jacobus Sadoletus.

XXXII.

XXXII. *CARDINALI CARPENSI* [1].

INcredibilem cœpi voluptatem ex tuis litteris; vidi enim in illis, & perſpexi, meam in te ſummam benevolentiam, inſignemque obſervantiam, & cognoſci a te, & in primis grate accipi: quo nihil mihi poteſt evenire optatius. Certe enim ego, quo ex tempore noſſe te cœpi, ſtatim de te feci id judicium, quod præſtans virtus tua & nobilitas poſtulabat: quorum utrumque etiam mihi videbatur in te eſſe illuſtrius, quod cum integritate animi, & quadam religionis erga Deum conſtantia erat conjunctum; quam ego virtutem omnium ſtatuo eſſe maximam. Itaque & antea ſemper amavi te, & colui, & nunc hac Collegii neceſſitudine[2] adjuncta, etiam enixius veneraturus ſum: ſed hæc factis melius præſtabo, quam verbis. Ex litteris ad Paulum, quas dediſti, cognovi quam amanter & quam diligenter officio pro me functus apud Memorantium Magnum Magiſtrum fueris, de quo ago tibi maximas gratias. Illum ego certe virum jampridem honore magno atque obſervantia ſum proſecutus, non tam quicquam expetens ab eo (non enim tum egebam, cum illam vivebam vitam, cujus etiam nunc deſiderio non mediocri-

ter

1 Rodulpho Pio, cui extant editæ litteræ Sadoleti *lib.* v. 5. & x. 3. quarum poſtrema gratulatoria eſt de Cardinalatu. His vero, officioſis ejuſdem Cardinalis litteris pari officio & benevolentia reſpondet.

2 creati ſunt una Cardinales a Paulo.

ter afflictor : erat enim prorſus beatiſſima) ſed virtus hominis , & prudentia , quam in maximis rebus admirabilem perſpexeram , totum me illi vinctum , adſtrictumque tradiderat , ut nihil mihi eſſet in amore ardentius . Nunc cum tantum ipſe erga me humanitatis , benivolentiæque oſtendat , idque bonitate tantum ſua , nullis meis meritis , flagitationibuſve compulſus ; infinitum eſt profecto , quod illi debeo : cujus utinam perſolvendi aliqua ſaltem ex parte aliquando mihi offeratur occaſio ; ſed hoc dies ipſa , & ratio temporum gubernabit . De ſubveniendo fortunis meis quod tam liberaliter pollicitus eſt , gratiſſimus mihi eſt animus ; res autem ipſa . etſi neceſſaria eſt , quod hic locus atque honos uberiorem fortunam poſtulat , quam mea ſit ; tamen judicio magis ſummi viri , quam munere lætabor ; cum præſertim ipſe ſponte ſua in hanc venerit cogitationem , ut & ipſius liberalitas illuſtrior , & mea modeſtia , qua ego ſemper a petendo ac flagitando deterritus ſum, incorruptior poſſit permanere . Sed de his ſatis . Ego in te, ampliſſime Carpenſis, & ut in amiciſſimo fidem omnem meam , & ut in digniſſimo honorem , atque cultum jamdudum collocavi ; tu ut me diligas,tibique deditiſſimum ſuſcipias,magnopere te rogo . Vale XII. Kal. Apr. MDXXXVII.Roma.

Tuæ Amplitudini deditiſſimus
Jac. Cardin. Sadoletus .

XXXIII.

XXXIII. *SANCTISS. AC BEATISS. D.N. PAPÆ* [1].

Pater Sanctiſſime ac Beatiſſime, poſt pedum devota oſcula beatorum . Etſi multis , ac magnis a Sanctitate veſtra , non ullo meo merito, ſed ipſius tantum bonitate, beneficiis affectus atque ornatus , parem & ſimilem omnibus debeo gratiam , quod quamquam illa gradibus inter ſe differant (aliud enim eſt eorum qnod ad commodum meum pertineat , aliud quod ad honorem , reliquum quod ad juſtam quandam , & piam animi mei jucunditatem) tamen , quoniam ex eodem fonte benignitatis univerſa deprompta ſunt , mea una , atque eadem omnibus illis eſt obligatio . Si tamen petatur mei animi judicium , & quo ipſe magis ſim delectatus requiratur , non dubitabo proferre palam , & dicere, hoc quo Sanctitas veſtra hos nuper populos fidei meæ a Deo omnipotente commendatos , & creditos , ab impendente illis ex importuni-

1 Argumentum epiſtolæ hujus petendum ex Florebello in Sadoleti vita , ubi de Carpentoractenſibus ſcribit ; *Maxima jamdiu Hebræorum multitudo apud eos conſederat : ii Chriſtianos homines imperitos & incallidos circumvenire , & quibus pecunias credidiſſent , & fenoris gravitate , & renovandis multiplicandiſque uſuris, ad extremum fortunis omnibus evertere ſolebant . Eorum quoque Avaritiam & fraudes , ſuſcepta miſerorum populorum cauſa , eaque dilgenter apud Ponntif. Max. & Magiſtratus urbanos per litteras & procuratores acta , magna ex parte repreſſit tandem ac coercuit* . Pro repreſſa ergo & coercita Judæorum avaritia , & fraudibus Paulo III. gratias agit . De his ſæpius repetitum ſermonem in epiſtolis ejus videbis *lib.* XII. *ep.* 5. 15. 16. 17. *lib.* XIII. *ep.* 3. *lib.* XIV. 8. & 5. quæ ſunt omnes anno ſuperiore 1539. ſcriptæ : *lib.* XIII. *ep.* 5. hoc ipſo anno .

tunitate, & avaritia Judæorum exitio liberavit, maximum mihi fuiſſe jucundiſſimumque beneficium. Equidem habeo fixum in animo, hæretque id mihi in memoria, & ſemper hærebit; cum Sanctitas veſtra ſuo ipſo tacito mentis conſilio, ſuaque ſponte me ex longinquis oris, & regionibus Romam evocatum cum ſummo honore dignum non tam inveniſſet illa quidem, quam feciſſet, in ampliſſimum Ordinem S. R. E. Cardinalium cooptavit, Deique ſummi imitatione, & more, qui vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt, quem obſcurum hominem, ignobilemque acceperat, in loco illuſtri, & ſplendido collocavit. Quo ipſius de me judicio nihil ornatius, honore autem & munere nihil magnificentius potuit deſiderari. Et certe nil videbatur ad hanc beneficentiam & paternam propemodum erga me voluntatem addi poſſe. Secutum illud eſt, ut cum ad aures veſtræ Sanctitatis perveniſſet, me in re familiari, vehementer perturbatum eſſe, nec ſolum laborare animo, ſed etiam corpore jacere ægrum; illa ad me viſendum unum ex ſuis intimis, & fideliſſimis mitteret, qui me non ſolum ipſius verbis conſolaretur, ſed magnum ab ea pondus auri, & ſubſidium vitæ commodius agendæ, ſtatutum mihi in menſes ſingulos largum ac liberale ſtipendium deferret. Qua ego veſtræ Sanctitatis eximia, & ſingulari liberalitate cum non eſſem uſus, ne gravius illi aliquod onus, quam meus patiebatur pudor, imponerem, præoptaſſem-

que

que reverti huc ad meos, & cum his vivere, quibuſcum eram aſſuetus; quid mihi in mentem venit, aut poſtulare, aut optare, in quo Sanctitatis veſtræ benignitas, atque humanitas precibus, & votis meis non præcucurrerit potius, quam ſupplicanti mihi fuerit aſſenſa. Vera dicam, Pater Sancte, ſi hæc pendantur omnia, & ſimul examinentur, nec ſolum cujuſmodi ipſa ſunt, quam ampla, quam clara, quam honorifica, ſed etiam a quo auctore profecta ſint, nempe a Principe ſapientiſſimo omnium, & maximo, cujus vel nutus ornare ſolus quemlibet poteſt; mihi non intelligere ſolum neceſſe eſt, verum etiam confiteri, ad tantam vim, & magnitudinem omnium obligationum ferendam, ac ſuſtinendam, me unum non ſatis eſſe; ad quam ne omnes quidem, qui ubique ſunt, majore multo ingenio, quam ego; & opibus fortunæ præditi, pares eſſe poſſunt. Sed etſi tantorum onere officiorum oppreſſus, & pene obrutus, locum novæ gratiæ eſſe non arbitrabar; quod videbatur mihi veſtræ Sanctitatis liberalitas tot erga me donis, & muneribus jam eſſe expleta; acceſſit tamen recens hæc gratificatio, quod ejuſdem veſtræ Sanctitatis providentia ſingularique conſilio, populos meos mihi incolumes, atque ſalvos videre licitum eſt, quorum ego propinquum, & imminentem interitum lugere jam cœperam. Etenim cum ad domeſticam eorum paupertatem, quæ ſane illis aſſidua & familiaris eſt (de aratoribus,

& agri-

& agri cultoribus loquor, quæ longe maxima, & maxime cum Judæis implicita multitudo eſt) cum ad onera infantium, & liberorum, quorum ferme hæc gens nimis interdum eſt fecunda, cum ad ſterilitatem terræ, rerumque gravem omnium, intolerandamque inopiam, Judæorum acerbitas, & crudelis exactio feneratarum pecuniarum accederet, quæ illis per carcerem, per vincula, per detentionem in urbe agricolarum, & ruſticorum, eorumque ab aratro, & opere ruſtico abſtractionem, minus certe honeſtis, & laudabilibus privilegiis conceſſa eſt; quis dubitare poſſet, quin omnia luctu, & lamentis, & direptione larium, pauperumque focorum, fuga, ploratu, lacrimiſque infantium, & muliercularum miſceri, atque agitari futurum eſſet neceſſe, niſi *Sanctitas* veſtra ſuo incomparabili, & opportuniſſimo dono, mora ſolvendi debitoribus ad annum prorogata, miſeris, atque egentibus ipſo in tempore ſubveniſſet? Quod quamquam ab illa datum eſt ſummi hominis fidei, & præſtantiſſimi Cardinalis authoritati, & teſtimonio Reginaldi Poli, qui pro his gentibus deprecatus eſt; tamen quoniam hujus rei fructus ad me potiſſimum redundat; egoque memetipſum ad hanc ſententiam, & voluntatem quotidie magis erudio, ut eorum qui in fide mea ſunt, ſalutem, & tranquillitatem meis commodis & utilitatibus potiorem ſemper ducam; habeo, atque ago pro tanto beneficio Sanctitati veſtræ

ſtræ maximas gratias, meque hoc ab illa præcipuo, & ſummo ceterorum omnium munere affectum eſſe, & confiteor, & prædico. Nam cetera illius erga me liberalitatis indicia ad me ornandum pertinuerunt; hoc ad ſtabiliendum: ex illis meum nomen, & fama celebrior facta eſt; ex hoc pietas mea, caritaſque erga meos eum fructum ſummæ jucunditatis adepta eſt, quod fratribus his meis, atque filiis (neque enim alia eos mente, & voluntate proſequor), jam jamque inſtante, & proxima pernicie, per S. V. liberatis, me quoque in illis ſalvum, & ſoſpitem ab eadem V. S. factum eſſe gaudeo. In quo ipſa mihi, non honoris ſolum ut olim, ſed hoc tempore, virtutis etiam atque officii, quod mihi multo eſt optabilius, & charius, & parens, & adjutrix, & conſervatrix ſola eſt. Sed cum leve ſit verbis agere gratias, ab operibus autem atque factis altitudo fortunæ S. V. me prohibeat; teſtor omnes eos, qui virtute, & veritate in cælo ſibi domicilium acquiſierunt, tanquam mei animi, & intimæ voluntatis conſcios, me, uno excepto dumtaxat Deo, & iis quæ ad Deum pertinent, quæ S. V. vult etiam excipi, omnes meos de reliquo ſenſus omnes, animi mei facultates atque partes, omnem cultum, amorem, obſervantiam, gratiam, ita & debere, & habere S. V. deditam, atque adſtrictam, ut nihil neque in fortuna, neque in vita meum eſſe poſſit, quod non ad illius neceſſaria tempora, omnemque ejus aucto-

auctoritatem, & dignitatem defendendam, ſi uſus veniat, offerre, atque objicere ſim paratus. Interim autem pia voluntate erga S. V., & grata illius beneficiorum memoria incenſus, Deum omnipotentem aſſidue rogo, ut is ea omnia V. S. largiatur ſemper, & tribuat, quæ egomet maxime ab illo tribui mihi ſemper cuperem, atque concedi. Valeat S. V. cujus beatiſſimis pedibus me commendatum eſſe cupio. Carpentoracti Idibus Februariis M. D. X. L.

S. V. infima Creatura Ja.Sadol.

XXXIV. *CAROLO LOTHARINGO CARD.*[1]

SAepe mihi ad amplitudinem tuam ſcribere cupienti, & initia ejus familiaritatis, quæ olim ſumma tua humanitate mihi tecum contigit, hoc litterarum genere, quando majoribus officiis non poſſum, colere, illa res fuit impedimento, quod ſum veritus, ne ſi tibi tot tantiſque negotiis impedito

1 Eccleſiaſticam provinciam Comitatus Venuſini magnis affectam incommodis, injuria regiorum militum, Carolo commendat, quo tempore ad Regem Legati mittebantur, qui præſentium incommodorum levamen petebant, & adverſus futura aliquod præſidium. Notiſſimum eſt Caroli hujus nomen, vel ex hiſtoria Tridentini Concilii; & de eo nos quoque multa *ad orationem ultimam Petri Perpiniani*, atque inter cetera, cum vulgo Guiſius ſeu Guiſianus diceretur, defuncto Joanne patruo Cardinali, *Lotharingum* dici cœptum; quod & Thuanus *lib. 6. num.* 12. tradit, & Ciaconius *tom. 3. col.* 724: Cum tamen Cardinalis creatus ſit VI. Kal. Aug. a. 1547. hinc vel error irrepſit in anno adſcribendo, legenduſque hic idem, Sadoleti vitæ poſtremus, vel inſcriptio *Carolo Cardinali* poſtea addita; quod eſt fortaſſe verius: ita enim ſcribit Sadoletus, ut videatur Carpentoracti eſſe.

pedito inanes litteras miſiſſem, non ſatis tibi viderer, & graviſſimarum occupationum tuarum, & publicæ utilitatis rationem ducere. Nam tu cum eas apud maximum iſtum Regem Reipublicæ partes geras, quæ ſumma tua virtute, ſummoque ingenio, tuaque, & Majorum tuorum nobilitate maxime ſint dignæ; profecto curæ cogitationeſque tuæ minime ſunt interpellandæ, niſi cum ſe aliqua gravior occaſio obtulerit, ut ad operam patrociniumque tuum pro neceſſariorum noſtrorum commodis ſit confugiendum. Quæ quidem nunc, cum mihi in primis opportuna eſſet oblata occaſio ſcribendi ad te, ut tibi horum populorum, qui meæ curæ a Deo commiſſi ſunt, res & commoda difficillimo ipſorum tempore commendarem, libenter eam arripui; exiſtimans id quod re eſt, me neque honeſtiore ratione meæ ſummæ erga te obſervantiæ amoriſque conſtantiam tibi declarare, nec juſtiore de cauſa tuam humanitatem, benivolentiam, atque amicitiæ fidem implorare poſſe. Ea autem res ſic ſe habet. Cum hæc Eccleſiaſtica provincia Comitatus Veneſini magnis modo affecta eſſet incommodis ex militum regiorum exercitu, qui non eis legibus eaque moderatione, quæ illis ab optimo rege fuerat præſcripta, iter per hæc loca fecerint, ſed fere hoſtili animo hanc maxime pacatam, & Regi ipſi deditam provinciam vexaverint, magniſque noſtros homines cùm injuriis contumeliiſque affecerint, tùm extraordi-

 nariis

nariis ſumptibus exhauſerint ; ſtatutum eſt publico conſilio duos iſthuc ex noſtris mittere , genere, probitate , induſtria in primis inſignes , qui clementiſſimum Regem de provinciæ hujus incommodis admoneant , petantque ab eo cùm aliquod præſentium incommodorum levamen , tùm futurorum etiam temporum præſidium : quod quidem non in pecunia , ſed totum in ipſius Regis gratia benignitateque poſitum ſit . Eos ego , cauſamque unà hujus provinciæ, tuæ amplitudini , bonitati , fidei , humanitatique commendo ; te etiam , atque etiam orans atque obteſtans , ut tuam gratiam auctoritatemque , quæ ſumma eſt, interponere velis , quò Rex ipſe facilem ſe precibus noſtris præbeat , noſque , quos ſuo nomini , auctoritati , voluntati addictiſſimos , cum uſus venit , ſemper eſt expertus , dignos ſtatuat , quos & juſtitia ſua æquitateque tueri , & benignitate , & gratia proſequi velit . Hoc cùm nobis gratiſſimum & ad homines hujus afflictæ provinciæ ſublevandos opportuniſſimum feceris , tùm tuo etiam officio , & dignitati maxime conſentaneum : cum hæc ipſa provincia ita in ditione Romana , & ſic Eccleſiæ ſit , ut nominatim , ac proprie ad ampliſſimum Ordinem S. R. E. Cardinalium pertineat ; in quo Ordine cum tu auctoritate , gratia , opibus , virtute , dignitateque tantopere excellas , debes profecto ea ipſa eximia, cùm animi tui, tùm fortunæ bona, quæ ad omnium commoda , qui tua opera indigeant ,

tam

tam liberaliter adhibere es ſolitus, in primis ad eorum, qui tuæ fidei crediti ſunt, ſalutem, utilitateſque conferre: me vero ipſum tanto tuo beneficio devinxeris, ſi tùm negotia hujus provinciæ, tùm eos ipſos actores, & nuncios tua illa inſigni comitate fueris complexus, ut maximam tibi perpetuamque gratiam, ſi minus eam meis officiis referre poſſim (quod tua amplitudo tenuitatem fortunæ meæ longe exſuperat); gratiſſimo tamen, & memori animo ſim habiturus. Vale Kalend. Aprilis 1542.

XXXV. *Iacobus Sadoletus Epiſcopus Carpentoractenſis Clariſſimo Juris utriuſque Doctori*

IOANNI DE LOPIS.

AMor tuus erga me omnibus in rebus ſe oſtendit, idem ille quidem ſemper, & inveteratus jam inter nos, ſed aliis atque aliis quotidie operibus ac officiis novus. Nam ut ego principio [1], tuæ virtutis atque doctrinæ fama commonitus,

cum

Johanni Lopis qui opuſculum quoddam ſuum ei nuncupaverat officioſe reſpondet. Opuſculi hic eſt titulus; *Solennis repetitio utiliſſima L. ſi pater C. de Hared. inſtit. per clariſs. J. U. Doctorem D. Ioan. de Lopis Vicerectorem Comitatus Venayſſini edita. In qua ultra principalem materiam multa inſeruntur, quæ ad rectorum animarum mores pertinent. Lugduni apud Seb. Gryphium* 1536. *in* 4. Poſt nuncupatoriam epiſtolam ipſius Joannis de Lopis, ibidem edita eſt hæc ipſa Sadoleti epiſtola. Eam tamen maluimus hic repræſentare, quod in paucorum manibus ſit ille liber; quem Fontana *Bibl. Legal. part.* 6. ſolum memorat ex teſtimonio Freymonii. Qualis quantuſque vir fuerit Joannes, Sadoletus, qui eum Vicarium ſibi delegerat, teſtatur. Sadoletum vero viciſſim laudat Joannes, ac de eo inter

cete-

cum eſſem abſens, atque in urbe Roma degerem; te ad meæ procurationis Epiſcopalis onus mecum una ſubeundum vocavi, vicariumque meæ diligentiæ conſtitui; primum illud fuit indicium tui amoris, quod libenter & ſtudioſe meam vocantis auctoritatem ſecutus es, totumque te mihi & meis commodis dediſti atque expoſuiſti: alterum etiam præſtantius quod tanta integritate & diligentia munus illud curaſti, ut tuam ſingularem juris utriuſque ſcientiam non minore cum fide & juſtitia conjunctam omnes experiremur. Veni in Eccleſiam meam, hìc quidem commorandi, & Deo

cetera, hæc habet in nuncupatotia illa epiſtola; *Accedunt ad bonarum diſciplinarum tuarum ſplendorem tot præclaræ animi dotes, tamque ſingularis virtus, ut omnibus, qui te norunt, te admirari difficile, te imitari impoſſibile videatur. Fecerunt hæc, Reverende Pater, ut tu muneri, cui merito præes, non prece, aut precio, non potentum inſtantia, minus etiam tua, ne dicam importunitate, ſed neque petitione pervectus ſis, ſed mera Leonis X. providentia, qui ex urbe Roma multis milliaribus abſentem, huic Eccleſiæ paſtore deſtitutæ, de te potius quam tibi voluit providere; teque ex longa rerum experientia eum eſſe ſciens, cui Paſtoris officium congruebat, ad acceptandum compulit renitentem .... Hæc tua tam præclara virtus, tuique mores probatiſſimi, Antiſtes digniſſime, me a natali ſolo, dulciſſimaque Avenionenſi patria in tuum ſervitium evocarunt; & cum tuæ amplitudini, cui pro ſuſceptis a te beneficiis plurimum debeo aliquas lucubrationum mearum primitias offerre honeſtum exiſtimarem, interim dum argumentum quod tibi gratum eſſet, cogito; relatum eſt, te cauſſam duorum civium tuorum, qui jam annis plurimis litigarunt, componendam ſuſcepiſſe; unde non indignum exiſtimavi legem illam, in qua totius proceſſus ſumma conſiſtit repetere, non ut tuæ amplitudini ac plenitudini aliquid adjiciam; ſed cum in cauſa illa ego jus dixerim, ut omnibus innoteſcat, quam examinatum & circumſpectum noſtrum in ea re fuerit judicium, adduco etiam (nec extra propoſitum) aliqua quæ ad Presbyterorum & rectorum animarum rem multum pertinent, ut eos, quos in ſolicitudinis partem vocaſti, ad tui imitationem excitarem.* Ex quibus habes, præter Sadoleti laudem, Joannis patriam, & libri ſcribendi cauſam plane cognitam atque perſpectam.

Deo uni inſerviendi cauſa: quid noſtra conſuetudine quotidiana dulcius? cum ego omnia tibi plane credens ac committens, quæ & probitatem, & conſilium, doctrinamque requirerent, nuſquam opinionem meam de te, & de virtute tua decipi ſum expertus. Addidiſti etiam illud, ut dimiſſa patria & parentibus tuis, quò eſſes mihi propior atque adjunctior, ſedem omnium fortunarum tuarum Carpentoracti conſtitueres. Qua quidem in re declaraſti prorſus quanti me faceres, & quo amoris ſtudio accenſa eſſet erga me voluntas tua. Atque hæc tot ac tanta teſtimonia tui animi ſat magnam vim profecto habere videbantur ad me omni tibi benivolentia devinciendum; cum tu recenti quotidie munere aliquo afficere me ſtudens, repetitionem legis *Si pater C: de hæredib. inſtituend.* quam ſumma cum cura & diligentia lucubraſti, & in qua tuum præſtans ingenium rerumque copia elucet meo nomini inſcribere adortus es; quod ego donum tale eſſe exiſtimo, ut debuerit id potius majoribus viris conferri, quique tui & ornandi & illuſtrandi facultatem majorem haberent; quando & tu, tua virtute ſic poſtulante & gravioribus apta rebus, qui univerſæ huic provinciæ jus dicas his paucis annis electus es. Sed ſive id tu benivolentia tantum adductus feciſti, ſive judicio; habeo tibi omnino magnam gratiam, a teque peto, ut tibi certò perſuadeas, te a me non ſolum diligi vehementer, ſed etiam magni fieri. Vale.

XXXVI.

XXXVI. *AL CONTESTABILE DI FRANCIA* [1].

Illuſtriſſimo, & Eccellentiſſimo Signore

LA lettera di voſtra Eccellenza delli 36. di Gennaro in riſpoſta di una mia, che io le ſcriſſi monſtrando la gran ſperanza, che io aveva della pace, andando V. S. Illuſtriſſima a quella impreſa, quanto piacere mi abbia dato, io non poſſo appieno nè ſcrivere nè dire. Certo è, che ſtimando io già lungo tempo fa V. S. Illuſtriſ. come uomo di gran deſtrezza, e di grand' ingegno: dapoi così come ogni dì più ſi ſcopriva la ſua prudenza, e belliſſima maniera di governare, e far faccende, e favorire ſempre uomini da bene, così creſcendo l' amore, e l' ammirazione mia delle ſue gran virtù, eſſendociſi dipoi aggiunta quella benigniſſima cura, e protezione, che ella preſe di me, e delle coſe mie a Carpentras in que' tempi tanto pericoloſi,

1 Anna Monmorancius Catholicæ rei adverſus Hugonottos magnum columen, qui eos etiam prœlio Sandionyſiano vicit, ex vulnere tamen ibidem accepto paulo poſt mortuus a. 1567. cum eſſet *major regiæ domus* & *Mareſcallus*, a. 1538. *Conneſtabilis* dignitatem obtinuit a Franciſco I., apud quem gratia & auctoritate multum poterat. Ad eum ergo Sadoletus ſcribit novam dignitatem gratulatus, & ad curandam pacem acriter exſtimulans, adjiciens ad extremum decretum quoddam ſuum, nihil pro ſe a Principibus poſtulare. Maximopere pro pace conſtituenda inter Carolum V. & Franciſcum I. Romani Pontifices laborabant hoc tempore, ejuſque rei monumenta multa ad a. 1537. atque hunc ipſum 1538. profert Ribier; apud quem item extat hæc epiſtola *tom.* 1. *pag.* 104. Rurſum vulgatur a nobis quod ea Veronenſes editores præterierit. Quod ſpectat ad abſtinentiſſimi Cardinalis decretum illud, idem leges ferme ſcriptum Antonio Prato *lib.* VI. *ep.* 8.

Digitized by Google

loſi, la memoria, ed obbligazione de' quali non uſcirà in mia vita dall' animo, e dal cuor mio; avendomi, come io dico, tutte queſte parti di V. S. Illuſtriſs. eccellenti, e ſingolari, già molto tempo fa, talmente preſo, e legato, che io non avevo perſona in quelle bande di là, ne ſono per aver mai, a chi io porti più nè di amore, nè di onore, che a V. Ecc., alla quale io mi conoſco ancora eſſere sì ſtrettamente obbligato; quella può penſare qual piacere, e quanta allegrezza di animo io pigli delle ſue lettere, vedendo in eſſe quel Sig., che io tanto ſtimo, & amo, ricordarſi ancor lui di me, e rendermi parte di quell' amore per ſua umanità, che io per ogni obbligo quaſi infinitamente gli porto. Io, ricevuta che io ebbi la lettera di V. Ecc. come prima mi parve occaſione, fui con noſtro Signore, & eſpoſi a ſua Santità quanto ſi conteneva in quella; d' onde nacque un ragionamento aſſai lungo, tutto in dimoſtrazione del giudizio, che faceva ſua Santità delli trattati della pace, parendoli quel che è, che il Re Criſtianiſſimo ſi foſſe ridotto a molta equità, e che dal ſuo lato non ſi mancaſſe di venire all' effetto della pace, tanto da ſua Santità deſiderata, e nella quale, per condurla, ella ha poſto ogni ſuo penſiero, e diſegno; confidandoſi ancora, come diceva, nella virtù, e prudenza di V. S. Illuſtriſs., che non li mancaria in queſta ſantiſſima opera, come in tutte le altre non è mancata, che ſono

ſtate pertinenti alla fede Cattolica, ed all' onore di queſta ſanta Sede; le quali opere, ed azioni di V. Ecc. ſono beniſſimo note a ſua Santità, come ancora prima in ragionamenti avuti altre volte di V. Ecc. con ſua Santità avevo chiaramente conoſciuto, e così ſi eſteſe in parlare delle virtù di V. Ecc. tanto onoratamente, e con sì grand' affezione, che non ſi potrebbe dir più, congratulandoſi ancor con lei del nuovo onore datoli dal ſuo Re meritiſſimamente, e comandommi che io ne ſcriveſſi a V. S. Illuſtriſs., e mi rallegraſſi con lei da parte ſua, e gli diceſſi, come evidentemente appare, che Dio onnipotente non manca di onorare, ed eſaltare quelli, che ſervono lui, e li quali con buon conſiglio, ed animo moderato ſanno reggere, e tenerſi ferma la proſpera fortuna, come V. Ecc. fa, e sà fare. E in concluſione eſequendo io l' officio con ſua Santità, che V. S. Illuſtriſs. nelle ſue lettere mi commette, ne retraggo, come ho detto di ſopra, l' animo ſuo ed il giudicio circa li trattati della pace eſſer tale, quale voi deſiderate; & in particolare sì ben volto ad amare e tener conto di V. S. Illuſtriſs., che ſe a quella accaderà farne eſperienza, conoſcerà per prova eſſer amata, e forte ſtimata da un ſapientiſſimo, e ſommamente ricordevole, e grato Pontefice. Di me io ho a pregare V. S., che ſe io non mi allargherò in dichiarar l' allegrezza, che ho preſa della nuova ſua eſaltazione a quell' onore, che in tutto

quel

Digitized by Google

quel potentiſſimo Reame è ſupremo ſopra gli altri, lo attribuiſca non alla volontà mia, ma alla impoſſibilità. Vorrei poter eſprimere quanto piacere ne ho ricevuto; ma non poſſo farlo, perchè è infinito, e come in molte altre coſe la lingua non può eſſere pari al cuore, così in queſta certo non è. Queſto ben dico, che non meno mi hanno dilettato i modi tenuti da V. S., che l' onore, che gli è ſtato dato: perchè l' onore ſpeſſe volte ſuol eſſer dono di fortuna; ma tenere tali modi, ed uſare sì gentil modeſtia in ricuſarlo prima, poi obbedientemente accettarlo, non può eſſer ſe non di uomo in ogni virtù eccellente; li quali modi finchè V. S. ſervarà, come ha ſervato per il paſſato, eſſendo ella ſempre ſimile a ſe medeſima, non potrà mai dubitare, che fortuna a tanta virtù poſſa far torto: come io prego il Sommo Dio, che mai non faccia, e che ſua Divina Maeſtà ci conſervi V. S. Illuſtriſs. lungamente in ogni proſperità, e dignità. Reſta Monſignore che io ringrazj V. S. dell' amorevoli offerte, che ella mi fa, alla quale certo io rendo tutte le grazie a me poſſibili, replicando quanto altre volte ho ſcritto, che mia natura, e mio coſtume non è di domandare coſe di fortuna a niun Principe; il che io fo, per non guaſtare la lode della loro liberalità, la quale è vera lode, quando quel che ſi dona ſi da per proprio giudicio, non per importunità di domandatori; &io ricevendo un dono da un sì gran Re ſenza averlo

averlo domandato, pigliarei più piacere del giudizio, che ſi faceſſe di me, che d'ogni utilità, che me ne poteſſe venire, e tanto più ancora reſtarei obbligato: perchè chi domanda ha ſolo il beneficio della fortuna, chi non domanda ha il beneficio doppio e della fortuna, e quello, che è molto maggiore, dell'onore, e del giudicio, che è fatto di lui, donde un uomo da bene, come io deſidero eſſere, ſi conoſce doppiamente obbligato. Con queſta ragione, e con conſervar ſempre la mia modeſtia, mi rimetto in tutto ad ogni volontà, e comandamento di V. S. Illuſtriſs., alla quale in ogni modo io ſono già totalmente tenuto & obbligato: dalla quale eſſendo io talmente amato, come per grazia ſua mi veggo eſſere, già mi tengo ricevere da lei grandiſſimo dono, e beneficio, alla quale con tutto il cuore ſempre mi raccomando. Di Roma alli XI. di Marzo 1538.

Di V. S. Illma affetionatiſſimo e deditiſſimo
J. Sadoleto Cardinale di Carpentras.

XXXVII.

XXXVII. *Copia dì Lettera ſcritta da Monſignor Reverendiſſimo Sadoleto a Meſſer Ludovico Caſtelvetri & ſuoi Compagni* [1].

AMici miei cariſſimi &c. Hieri eſſendo in Conſiſtoro fu ragionato di voi a Noſtro Signore da alcuni Cardinali, i quali pare che di voi habbiano qualche ſiniſtra relatione; di che io preſi molto diſpiacere & per minor male feci in modo, che la coſa non ſi divulgò per tutto il Conſiſtoro; nè mi parendo all' hora tempo di ragionare a Noſtro Signore di tal materia, feci pregare S.Santità, che non voleſſe muoverſi per queſte ſuſpicioni, a fare altro, finchè io non le haveſſi ricordato il parere mio. Hora, perchè vi amo tutti cordialmente, per la patria, per le lettere, per l' amicitia, & per l' opinione, ch' io ho, che tutti ſiate huomini da bene, come certo non dubito, di quelli, che io conoſco, ho voluto darvi avviſo di queſto, & dell' ufficio, che fin quì ho fatto per voi, & che anche ſono apparecchiato di fare per l' avvenire, eſſendomi molto difficile a credere che tra voi ſia alcuno

1 Quæ fuerit ſcribendæ epiſtolæ hujus occaſio, petendum eſt ex vita Ludovici Caſtelvetri a Cl. Muratorio ſcripta & præpoſita Operibus Criticis *p*. 16. &c. Cum ſcilicet Mutinæ litteratorum hominum conventus ageretur *Academiæ* nomine, quod ii nonnulla a ſacris Oratoribus imperite dicta reprehenderant, in ſuſpicionem venerunt deſertæ Catholicæ Religionis; quam ſuſpicionem invaluiſſe præſertim hoc eodem anno 1542. *ibidem pag*. 19. leges; atque ipſum Sadoletum tunc etiam Mutinam ſe contuliſſe, cum legatione fungeretur ad Galliæ Regem.

alcuno macchiato di qualche opinione indegna d'huomini letterati, & veri Criſtiani. Ma quando pure ce ne fuſſero alcuni; il che mi diſpiacerebbe grandemente, per l'honore della patria, & per il bene loro, & perchè a chi io porto amore ogni incommodo ſuo reputo mio, & non è però maggior incommodo neſſuno che farſi ſoſpetto di nove & non uſate opinioni appreſſo li noſtri maggiori homini ſantiſſimi; eſſorto quelli tali, & prego a deſiſtere da ogni novità; eſſendo coſa da huomini che poco conſiderino oltre la verità, il dishonore, & danno, che ne gli può avvenire, il cercare tali coſe: & voi altri ſinceri & diritti miei cariſſimi amici & fratelli; ancora eſſorto ad ammonirgli amorevolmente & fraternamente; Et quando pure vogliano perſeverare in qualche loro fantaſia, ſeparargli dalla compagnia & converſazione voſtra, continuando voi ſempre di eſſere huomini ſaldi, & non mobili, & veramente Cattolici, come ſpero in Dio che fa rete; di che & io piglierò molta conſolatione, & voi havrete maggiore honore appreſſo gli huomini, & merito appreſſo Dio. Vi prego a darmi preſto riſpoſta. State ſani. Di Roma alli XII. di Giugno M. D. XLII.

XXXVIII.

XXXVIII. *Copia di Lettera di Monſig. Reverendiſs. Sadoleto a Meſſer Ludovico Caſtelvetri & ſuoi Compagni.*

AMici miei cariſſimi &c. Con molta mia conſolazione ho letto le voſtre lettere, le quali non ſolo mi hanno confirmato nella buona opinione, che io havevo de voſtri ingegni, ma anchora certificato dell' animo Criſtiano & Cattolico, che havete. Del quale anchorachè io prima non dubitaſſi, anzi ne faceſſi fede, dove accadeva, a gli altri; pure perchè mi premeva ſummamente per amore della patria & voſtro, che alcuni haveſſero preſo qualche ombra di voi, queſti dì mi moſſi a ſcrivervi quella mia, & hora ho havuta cariſſima la riſpoſta, che mi havete fatta, per poterla moſtrare; & far conoſcere anche ad altri, & principalmente a Noſtro Signore la innocentia & integrità & bontà voſtra. Pertanto eſſendo hieri in Conſiſtoro, & havendo havuto di voi privato & longo ragionamento con ſua Santità, le riferii quel, che mi havete ſcritto, ſoggiongendo molte bone parole in voſtra commendatione, le quali & la verità, & l' amore mi sforzava a dire. Di che ſua Beatitudine, la quale mi aſcoltò molto benignamente, moſtrò, che riceveſſe tanto maggior ſatisfattione & piacere, quanto più le increſcerebbe, che quella città acquiſtaſſe infa-

mia

mia alcuna per quella paterna affettione & benivolentia, che in più coſe ſi è potuto comprendere ch' eſſa le porta. Hora io giudicherei, che fuſſe molto a propoſito, che voi communemente ſcriveſte a ſua Santità una buona lettera del medeſimo tenore, di che havete ſcritto a me, ſottoſcrivendo i nomi voſtri; nè importerebbe, ch' ella fuſſe volgare. Et così vi eſorto a fare, perchè non dubito, che ſua Santità come benigniſſimo Principe & Patre di tutti, maſſime di perſone ingegnioſe & dotte, l' havrà gratiſſima, & conoſco queſto eſſere il più eſpediente partito di liberarvi da ogni moleſtia per l' avenire, & ſerrare la via alle male relationi d' altri, non ſolamente ſenza una minima infamia, ma anche con molto honor voſtro. Perchè mi rendo ben certo, che come gli uomini prudenti & boni, & che amano & Dio & la ſalute & l' honor ſuo, debbono fare, così voi continuerete di eſſere ſempre buoni & obedienti figliuoli della ſanta madre Chieſa, per eſſere queſta la diritta & battuta ſtrada, che ci conduce a quel ſommo bene, che a tutti i buoni Criſtiani è propoſto: della qual Chieſa, come & i ſacri Evangelii, & tutti i ſecoli paſſati ci fanno indubitata fede, è capo queſta ſanta Chieſa Romana, nè può chi altrimente ſente, fuori della nave di Pietro, giugnere a quello deſiderato porto di vita eterna, come voi & per inſtitutione di tutti i noſtri maggiori, & per proprio voſtro ſapere & giudicio mi rendo certo

certo che tenete & iſtimate. Pertanto torno ad eſſortarvi & pregarvi ſe mi portate amore, & ſe conoſcete, che io amo voi di core veramente fraterno, che vogliate dichiarare il bono animo voſtro a ſua Santità, come ho detto, con una lettera, la quale io a tempo & luogo le preſenterò; & ſono certo, che appreſſo quella ne acquiſterete commendatione & gratia, & appreſſo tutto il noſtro ſacro Collegio tal riputazione, che & a tutti inſieme & a ciaſcuno di voi in particolare potrà in molte coſe giovare, & nell' honore & nell' utile: oltra che, come vi affermo & replico, queſta è ſola la via di eſſere grato a Dio, & di tenere il loco & nome di vero Chriſtiano. State ſani. Di Roma alli xv. di Luglio MDXLII.

FRAG-

FRAGMENTUM OPERIS JACOBI SADOLETI.

CUpienti[1] mihi agere ſemper aliquid, quod eſſet dignum iis ſtudiis, in quibus a puero, non modo liberaliter, verum etiam magna cum ſpe fueram educatus, multa ſæpe obſtiterunt, quæ non tam interrumperent quidem hunc omnino meæ voluntatis curſum, quam retardarent. Nam cum mearum initio actionum, quas in media ipſa adoleſcentia, conſiliis poſteræ & conſequentis vitæ capiendis ſuſceperam, clariſſimis in urbe Roma & potentibus viris obſervandis me dediſſem (quod is fere ad lucem & ad cognitionem hominum omnibus ingenuis, & præſtantibus animis aditus primus atque introitus eſſe videbatur) uſus illorum auctoritate & conſilio ad eam vitæ rationem me contuli, quæ ſoluta & cælebs, ac Sacerdotum ordini legibus noſtris præſcripta, magis etiam cum meis optimarum artium ſtudiis & occupationibus congruebat. Quarum ego artium amore inflammatus, cetera omnia vilia & mihi poſthabenda eſſe ducebam. Itaque quantum mihi ab obſervantiæ officiis vacui & liberi temporis

1 Proemium hoc eſſe operis, quod Sadoletus moliebatur *de Rep. Chriſtiana* ex ipſa ejus lectione patet & ſtylo, qualis proemiorum eſſe conſuevit. Auctor dialogi *de claris Pontificiarum epiſtolarum Scriptoribus* in Sadoeti vita, quam dialogo ſubjecit *pag.* 225. partem hujus producit, atque *epiſtolam* ſemel iterumque vocat.

ris relinquebatur, quod erat tum quidem plurimum, totum in Philoſophia, & in volutandis ſummorum Auctorum libris monumentiſque terebam, dieque ac nocte Græcis & Latinis inſudabam litteris; ſemper id mihi, quod illa ætas tum ferebat, præcipue habens propoſitum, ut eis imitandis quos aſſidue legebam, immortalitatem aſſequerer eamdem ſi poſſem, quam illos videbam eſſe conſecutos; & in cognitione quidem rerum atque doctrina, ad omnem excellentiam; in parandis vero rei familiaris copiis, ad mediocritatem aliquam pervenirem. Secuta ſunt tempora, cum a Leone X. primum, deinde a Clemente VII. Pontificibus maximis ad negocia publica vocatus, factuſque epiſtolarum principalium, hoc eſt earum quæ vel ad Reges a Pontifice ſummis de rebus mitterentur, vel a Regibus eiſdem ad Pontificem afferuntur, & lucubrator & cuſtos; quod munus magni ſane in Urbe & honoris & nominis, ſuperioribus temporibus Magiſterium Scrinii, nunc a populo Romano Secretarium domeſticum appellari video; gratam illam admodum, & mihi non inopportunam occaſionem accepi, quæ mihi datura exercitationes videretur, ex quibus ad ea doctrinæ ſtudia, quæ colueram, maximarum quoque rerum uſum adjungerem. Igitur tredecim annis in eo negotio verſatus, cum ita & fidem meam Pontificibus ipſis, & ceteris comitatem liberalitatemque probaſſem, ut omnibus perſpicuum factum eſſet,

Digitized by Google

nihil a me neque in uberrima re illiberalis compendii, neque in illo honore faſtus, ſed tantum integritatis fructum & bonam exiſtimationem eſſe quæſitam; cupivi me illinc aliquando abſtrahere, & ad mea exoptata ſtudia me referre, in quibus magnum profecto damnum & quamdam veluti vaſtitatem eram paſſus; cumque aliquot annis ante, ſummum Sacerdotium Carpentoractenſem, quem Epiſcopatum vocamus, a Leone accepiſſem, nactus idoneam cauſam commeatum petendi a Clemente VII., quod me meam inviſere Eccleſiam omnis & divina & humana ratio cogebat, alacri & læto animo ex Urbe egreſſus ſum, hac mente trans Alpes in provinciam Galliam proficiſcens, ut omni abjecta voluntate in Urbem unquam revertendi, perpetuum illic vitæ ſtudiorumque meorum domicilium ponere conſtituerem. Sed profecto altior eſt illa, & longe potentior noſtris omnibus conſiliis vis & ſuprema Dei omnipotentis dominatio, quæ hæc humana ſuo arbitratu agit atque verſat, neque ſinit fere cujuſquam hominis conſilia & deliberationes ad ſuos & deſtinatos exitus pervenire. Nam cum decimum jam annum in mea Eccleſia aſſiduus degerem, beatus (ſi cuiquam homini e genere mortalium hac voce uti licitum & conceſſum eſt) beatus inquam, quod & divinæ religionis munerumque Eccleſiaſticorum ſanctitas, & hominum illorum benivolentia, & optimarum litterarum in primiſque

que

que ſacrarum ſtudium attenctum & diligens, & ceterarum curarum cupiditatumque omnium vacuitas animum meum ſummis ſemper gaudiis delectationibuſque refarciebant, nullus ut unquam eſſe poſſet in eo neque deſiderandi quippiam, neque pœnitendi locus; illinc tamen ex illo beatiſſimo ac jucundiſſimo vitæ ſtatu, meiſque jam fundatis conſiliis & rationibus migrare etiam, ac recedere compulſus ſum. Vocatus enim ad Urbem a Paulo III. Pont. max. qui Clementi ſucceſſerat, ac eo nomine vocatus, ut unà cum aliis nonnullis electiſſimis viris, corrigendis moribus Sacerdotum, qui negligentia ſuperiorum temporum a veteris curriculo innocentiæ deflexerant, operam & partes meas impenderem, cum id neque homini a me, neque rei ipſi denegari potuiſſet; haud ita multo poſt ab eodem Pontifice, præter omnem quidem expectationem meam, in ampliſſimum Ordinem S. R. E. Cardinalium cooptatus ſum. Si memorem, quanta cum animi mei moleſtia, fidem fortaſſe non faciam, quod ex conſuetudine ceterorum de mei ipſius voluntate judicabitur: ſed tamen ego Deum teſtem advocans, optima fide hoc affirmo, nihil mihi viſum eſſe meis poſſe accidere inſtitutis rationibuſque inimicitius. Etenim qui primùm natura ipſa vere liber, deinde etiam mente atque animo ſtudiis optimarum & præclariſſimarum artium totus deditus, cuique præſertim neque honoris ambitio nec cupiditas opes facit

optabiles, ſed tantum ardor quidam inhærens & penitus inſitus cum ad contemplandi & intelligendi incredibilem quamdam voluptatem rapit; is ferat æquo animo, fructuoſiſſimum ocium impeditiſſimo negocio, ſuavitatem libertatis ſervitutis moleſtia commutare? Atqui perſtringit fortaſſe oculos minus acriter intuentium hujus ſplendor honoris; angores vero & ſolicitudines, quæ inſunt in eo & aſſidue hærent, cum non cuivis in promptu ſit diſpicere, curritur certatim ab hominibus leviter judicantibus ad eum ambiendum, flagitandumque, de quo nos plene longa obſervatione rerum antegreſſarum eramus edocti, nihil eo fieri poſſe placatæ & tranquillæ vitæ repugnantius. Itaque & fugeramus eum ſtudioſe per Leonis & Clementis tempora, quorum uterque mihi honorem illum deſponderat. At poſteaquam nihilominus in eas plagas, quas diu vitaveramus fuimus compulſi, permiſimus quidem noſmetipſos Deo, noſtroque officio & muneri non deeſſe conſtituimus; decrevimus tamen, id quod fuit neceſſe, intermiſſionem ſtudiorum commentationumque noſtrarum, quarum jucundiſſima exercitatione cum antea teneremur, & ſcripta jam aliqua partim divinæ, partim etiam humanæ Philoſophiæ in lucem edidiſſemus, incredibile dictu eſt, quantum his deinde decem annis, quibus ad Cardinalatum fuimus evecti in omni genere litterarum jacturæ detrimentique fecerimus, quod in iis (quando alterutrum ſci-

ſcilicet neceſſe eſt, aut acquirere in illis quotidie aliquid, aut deperdere) propter moleſtiſſimas quidem multarum rerum occupationes atque curas, & progrediendi erepta nobis facultas, & neceſſitas retrogradiendi fuit allata. Sed tamen, cum viri non ſit debilitari animo, quamvis difficillimis in rebus, neque cum fortuna colluctantem in terram ſe abjicere atque proſternere, ſed contra niti fortiter atque conſtanter, ſi nihil aliud, ſaltem ut non inſtrenue neque indecore cadatur; conſtitui animo, anteaquam ea, quæ diu & multo cum labore collegeram, veterum lectionum rerumque pulcherrimarum monumenta ex mente mea prorſus effluerent, ipſum illud opus, ad quod efficiendum primò accerſiti fuimus, correctionem videlicet morum atque emendationem, quæ in cuncto quidem populo Chriſtiano, ſed maxime in Sacerdotibus Dei videtur neceſſaria, libris & litterarum cuſtodia comprehendere; quando, ne eam re & opere exequi peragereque poſſemus, temporum iniquitas fuit nobis impedimento. Quamquam autem & ſenectute jam graves; quippe qui ad ſeptuageſimum annum acceſſerimus, & quotidianis diſtributionibus impediti, & non ſatis firma valetudine, tantum hoc onus tollere gerereque inſtituamus, quod magis videatur florenti validæque ætati, quam noſtræ affectæ ac debilitatæ convenire; tamen Dei clementia & bonitate confiſi, qui pias fovere voluntates eſt ſolitus, idque ante oculos poſitum intuen-

tuentes, de quo ſupra dictum eſt, nos, non ignave, ſed fortiter conantes extremum diem fati expectare debere; non deterrebimur, quin omni noſtra & animi contentione, & laboris, ſubciſivis horis dumtaxat (neque enim aliter nobis eſt licitum) nitamur uſque ac elaboremus, donec cudamus e vetere forma, quantum in nobis erit, aptum idoneumque velut ſimulacrum, in quo, tamquam in ſpeculo, cerni & agnoſci ab omnibus poſſit quæ Chriſtiani hominis vita, & cujuſmodi ſpecimen morum ac ſtudiorum in Dei præſertim Sacerdotibus eſſe debeat, a quibus vivendi exempla potiſſimum petuntur, & quorum imitatio aut infundit vitia in populos, aut extrahit illa ab eiſdem atque purgat; quod opus inſcribere de Republica Eccleſiaſtica decrevimus: magnum negotium & perdifficile aggreſſi, ſed in quo perpoliendo omnium dierum curas & noctium ponere conveniat. Quod ſi mihi, divina ſuffragante ope, ex ſententia proceſſerit, erit ex illo aliqua fortaſſe & ea non aſpernanda hominibus utilitas; a me quidem certe magna & multa Deo habebitur gratia. Sin autem noſtrum interim laborem atque conatum aut mors præciderit, aut occupatio valetudine oppreſſerit; nihilominus tamen & gratias Deo agemus, & poſteris teſtatum de noſtra voluntate relinquemus, quæ profecto ejuſmodi in nobis innata eſt, ut quicquid unquam ope, ſtudio, auctoritate, gratiaque valuimus, totum id, neglectis etiam & poſthabitis commodis noſtris,

ſicut

ſicut & præterita vita & præſens noſtra fortuna ſatis indicat, ad aliorum commoda utilitateſque contulerimus: in quo quidem juvandi & ceteris commodandi genere, hanc in primis ingenii & doctrinæ operam cenſemus oportere ....

FINIS

Digitized by Google

Digitized by Google

ADPROBATIO

Magnas ſane gratias Cl. V. Petro Lazzari S. J. Presbytero & agere & habere debemus, quod latitantia hucuſque clarorum Virorum monumenta in lucem extulerit, Theodori Prodromi literas Græce ſcriptas, Dantis item & Petrarchæ, multaſque aliorum epiſtolas, qui iiſdem, quibus Poetæ illi, temporibus floruerunt, Cardinalis denique Sadoleti epiſtolas Romani Pontificis nomine ſcriptas, eaſque typis nunc primum edendas curaverit. Earum epiſtolarum Syllogen Præfationeſque elegantiſſimas Clar. editoris, quibus ſua cuique illorum auctorum ſcripta mirifice illuſtrantur, Reverendiſſimi P. Joſ: Aug. Orſi Magiſtri Sac. Palatii Apoſtolici juſſu cum attente legerim, neque in iis quidquam deprehenderim, quo vel Catholica Fides imminui, vel probi mores labefactari poſſint, dignam propterea eam Syllogem cenſeo, quæ typis in lucem proferatur. Dat. III. Kal. Auguſti CIↃIↃCCLIV.

Michaël Angelus Giacomellus.

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſs. P.M.S.P.

F. M. de Rubeis Patriarcha Conſt. Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Elena Ord. Præd. Reverendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Apoſt. Soc.

Digitized by Google

INDEX

RERUM ET NOMINUM.

A

ACademia antiquiſſima Mediolanenſis. 113. Linterni. *ibid.*
Aegidius Cardinalis 380. &c.
Albertus Moguntinus & Magdeburgenſis Archiepiſcopus. 445.
Alexius Ariſtenus 12. 72.
Alvianus Bartholomæus. 310.
Anna Ducæna. 8.
Azarolus Florentius cui Petrarcha ſcribit eſt Nicolaus Acciajolus Florentinus. 94.

B

Bella denuntiandi ritus. 100.
Βῆμα quid ſit. 13.
Binus Jo. Franciſcus. 572.
Blanca Galeatii Comitis Virtutum mater quando mortua. 117.
Bloſius Palladius. 579.
Bolonienſis Cardinalis Guido Roberti. 100.

C

Carolus Aretinus. 112. 160.
Caſini Franciſcus Medicus. 117. 184.
de Capellis Paſquinus Cremonenſis. 104. 113.
Caſtelvetrus Ludovicus in ſuſpicionem Chriſtianæ Fidei violatæ venit. 603. &c.
Ceppo: *Battere il ceppo* mos jam ſæculo XIV. inductus. 118. 187.
Ciaconius emendatur: 350. 467
Circumſpectio. *Circumſpectus* honoris titulus. 335.

Cle-

Clericatus Franciſcus. 423. &c.
Codices mss. Bibl. C. R. operum Theodori Prodromi. 4. Dantis 86. Petrarchæ 93. Colucii Salutati 109. Leonardi Aretini. 106. Sadoleti. 200.
Colucii Salutati epiſtola. 154.

D

Dantis epiſtolæ latinæ ſcriptæ. 85. epiſtola nunc primum edita. 139.
Diffidatoriæ litteræ. 100. 150.
de Dondis v. de Horologio.

E

Eraſmus Roterodamus. 397.

F

Ficini Marſilii proemium ad librum Dantis. 87.
Filonardus Ennius. 497.
Firmi turbæ. 343.

G

Galeatii Comitis Virtutum filius quando natus. 116.
de Gambacurtis Benedictus. 129. 224.

H

Hadrianus Cardinalis. 426.
de Horologio Jo. antea de Dondis. 124. 195.
Hungariæ calamitas. 357. 362.

L

Laſcaris Jo. 292.
Leonardi Aretini epiſtolæ. 119. 156.
Lopis Jo. 595.
Longævi homines. 191.
Lotharinghus Carolus Cardinalis. 592.
Lutheri hæreſis & contra eam litt. a Leone ſcript. 400. &c.
De Lyra Nicolaus obiit annos natus cxx. 118. 193.

M

Maleſpina Spineta. 131. 185.
Manzinus Jo. de la Motta quis fuerit. 134. ejus epiſtolæ. 115. 173.
Mar-

Margarita Auſtriaca . 457.
Marſupinus Carolus . 112. 160.
Michael Oxites . 15.
Modii Parmenſis verſus . 107.
Monmorancius Anna . 599.
Mutinenſis Civitas in poteſtate Leonis X. 337.

N

Nicolaus Lyranus . 118. 193.
Notarii veteres . 105.

O

Orphanotrophium Conſtantinopolitanum . 12.

P

Peſtis Anni MCCCXLVIII. 215.
Petrarchæ opera Latina negligenter edita 89. editio Veneta An. MDIII. *ibid.* Veneta epiſtolarum An. MCCCCXCII. 91. Coloniæ Allobrogum MDCI. *ibid.* Operum aliquot Latinorum Baſileenſis MCCCCXCVII. 92. Epiſtolarum familiarium in mss. codd. libri XXIV. 93. in iiſdem earum ordo 94. inſcriptiones epiſtolar. aliquot reſtitutæ. 95. ſubſcriptiones &c. 97. epiſtolæ nunc primum vulgatæ . 245. Petrarchæ mors male a ceteris deſcripta . 12. a Manzino narrata . 123. 191.
Porcellus . 113. ejus epiſtola de vita activa & contemplativa . 163.
Portinarus emendatus . 124.
Prodromus . v. Theodorus .
Provocationes litterariæ olim uſitatæ . 128. 219.

R

Raynaldus Firmi tyrannus . 118. 187.
Romanæ calamitatis deſcriptio 488.
De Rubeis Ludovicus . 326. 369.

S

Sabellus Troilus turbarum auctor . 339.

Digitized by Google

Sadoleti Jacobi Card. litteræ nomine Pontificum RR. ſcriptæ . 229. &c. 297. &c. ad ſalarii tabernam delatæ . 231. aliquæ jam editæ. 232. in *Bullario Dominicano* xv. in *Caſſinenſi* iv. Familiares xxxvi II. nunc editæ . 511. epiſtola nuncupatoria poematis *Curtius* 263. epitaphium M. A. Columnæ . 265. Sadoleti annus natalis perperam hactenus conſignatus . 237. quando Roma profectus mortuo Leone X. 241. cauſa in Concilio Tholoſano & Aquenſi . 537. &c. vita per annos digeſta . 237. &c. ſcripta omnia . 261.
Scardeonius emendatus . 124.
Scotiæ res . 347. &c.
Sedunenſis Card. Matthæus Schiner . 334.

T

Theodori Prodromi epiſtolæ . 1. opuſcula nondum edita in cod. noſtro . 4. alia . 8. cur falſo dictus Epiſcopus Cotyæi. 15. quis fuerit . 12. morbus . 51.
Tragœdia ſcripta Sæculo xiv. 130.

V

Vallis nebulæ . 132.
De Verme Jacobus . 129. 219.
Urbanus VI. & præclarum de eo teſtimonium . 117.

560953

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google